

*Ex oblatione Mich. Telahs*

# HVNGARIAE ANTIQUAE ET NOVAE PRODROMVS, CVM SPECIMINE,

QVOMODO

IN SINGVLIS OPERIS PARTIBVS  
ELABORANDIS,

VERSARI CONSTITVERIT,

AVCTOR

MATTHIAS BELIVS

PANNONIVS



NORIMBERGAE,

Sumtu, PETRI CONRADI MONATH,  
BIBLIOPOLAE.

ANNO MDCCXXIII.

*Libr. Bibliothecae  
Caes. univ. sub  
Petro hi*

*Ab. W. Reg. in  
Aurore Professor*

*Significandi N. D. 1737. M.*

*Bibliothecae  
Johanne  
Fins  
1803.*





AUGUSTISSIME CAESAR,  
 REX INDVLGENTISSIME!



Quod ad Hungariae TVAE decus, ac  
 gentis nostrae pertinet ornamentum,  
 in litteras referre, adgressus sum: non  
 quod credam, posse quidpiam a me  
 proficisci, quo illustrius reddi queat,

DEDICATIO.

efflorescens, TVA prouidentia, Regnum; sed vt instinctum quodammodo sequerer meum, quem, inde a puero, tenerrimum habui, ad bene merendum de REGE et Patria. Frequentes sunt exterrorum accusationes, desereri a suis Hungariam, nec, vti plerisque gentibus arte cultis, in more positum est, scriptis exornari; quas equidem, sicuti non audiendas, semper existimaui, quod res illa excusationem habeat longe aequissimam, ita tentandum rebar aliquid, quo istud, quidquid est criminis, dilui possit repellique.

Atque haec erat, AVGVSTE IMPERATOR, REX longe clementissime! caussa illa, quae me ad istas consilii, rationes suscipiendas, inuitauit; nempe integer atque incorruptus patriae amor, et boni ciuis officium, quod est, tueri natalis soli dignitatem. Nunc, quod non modo in Augustissimum TVVM conspectum, tenues istos conatus proferre; sed dedicare etiam sacratissimo TVO Nomini, audeam, non id profecto sine temeritatis nota facerem, nisi, et incomparabilis clementia TVA, quae TE pridem summis Principibus, maiorem fecit, praesidio mihi foret; et in promptu essent caussae, quae me, institutumque meum, tuerentur.

TVA est AVGVSTE CAESAR! Hungaria, iam olim quidem immortalibus Maiorum TVORVM meritis, Serenissimae Auftriacorum Genti, ob-

DEDICATIO.

ti, obstricta; nunc tamen ita TIBI propria, ut solus  
is esse videare, qui diuinissimis facinoribus, hoc est,  
pietate, sapientia, amore, constantia, fortitudine,  
iustitia ac felicitate, TIBI eam perpetuo feceris  
obnoxiam. Praeterquam enim quod:

*Te sospite fas est,*

*Vexatum laceri corpus inuenescere regni.*

*Sub tot Principibus quaecunque amissimus olim,*

*Tu reddis. a)*

Ordinum profecto omnium, quin Gentis vniuer-  
sae, voluntates ac studia, ita TIBI deuinxisti, quem-  
admodum id TVA quidem Clementia, pridem po-  
poscit; boni autem omnes summa votorum con-  
tentione, optauerunt. Siquidem:

*Non odium terrore moues, nec frena resoluit,*

*Gratia diligimus pariter, pariterque timemus.*

*Ipsè metus TE noster amat, iustissime legum*

*Arbiter, egregiae pacis fidissime custos. b)*

Igitur, TVA cum sit, iure consummatissimo, Hun-  
garia, et qui eam incolimus, omnes; nefas erat,  
clam, et sine Indulgentia Numineque TVO, hanc  
eius describendae rationem inire.

Deinde, quia summus in regno TVO, littera-  
rum Stator, Patronus, Arbiter es ac Vindex; non  
potui, sine reprehensione et culpa mea aliud, desti-  
nationi huic, quaerere perfugium, quam quod  
TVVS REX Sapientissime! in meliores litteras  
amor, certo pollicebatur. Enimuero, posteaquam  
virtutibus reliquis, quæ sunt imperantium quodam-  
modo

modo propriae, Maiorum TVORVM gloriam, tot celebratam scriptoribus, cumulate adaequasti, id a litteris consecutus es, vt, sicuti rerum ad imperandum necessariorum cognitione informatum animum, ita etiam, ab iisdem haud minus, quam a Domus TVAE natura et ingenio, admirabilem erga quosuis, praesertim eruditos, benignitatem et clementiam, nancisceris.

Quocirca, TVO, Inuictissime IMPERATOR, REX Clementissime! folio, TVIS pedibus adlatus, maioris hunc operis Prodromum, mente deuotissima, verbis obsequentissimis, et, sicuti ex obtutu MAIESTATIS TVAE, par est, manu tremebunda, consecro, dedico, offero. Accipe ergo, quod summo iure ad TE pertinet, et intueri sereno vultu, conatum meorum qualecunque istud specimen, ac, si id se TIBI probauerit, quemadmodum, in mirifica sapientia TVA, spes mihi est certissima, patere benignissime, vt TVA confirmatus gratia, partes operis reliquas, tuto persequi possim expedireque.

Augebit hoc TVI, in litteras, amoris gloriam, eique cumulum superaddet; quin gentem quoque nostram excitabit, vt indolem, quam a natura accepit haud illiberalem, praeter honestissimas occupationes alias, ad mansuetiorum musarum cultum, eo transferat promptius, quo certioribus signis didicerit, non displicere sapientissimo REGI suo, conatus litterarios, patriae causa susceptos.

Seruet

DEDICATIO.

Scruet TE DEVS, CAESARVM Maxime,  
REGVM Optime! Pium, Felicem, Pacificum,  
Victorem, Triumphatorem, Patrem Patriae, Sem-  
per Augustum,

*Vt TIBI subcrescat proles, quae facta parentis*

*Augeat, et circa stet venerata senem. c)*

*Nec taceant monumenta.*

Ita voveo, ac toto animo demississime precor,  
SACRATISSIMAE MAIESTATIS  
TVAE

*devotissimus, subiectissimus,*

Matthias Belius.

a) *Claudianus* de Laudib. Stilic. Lib. II. v. 199.  
*seqq.* et *Mariae* sub finem.

b) *Idem* de Nuptiis *Honorii*.

c) *Tibullus* Lib. I. Eleg. VIII. v. 59.

## Præfatio ad Lectorem Amicum.



Olent nauigaturi, ventos obseruare prius, quam e portu soluant, ne, si imprudentes vela iis dedissent, aut illidere in scopulos, et hauriri fluctibus, aut, cum periculi formidine, tempestatibus se subducere, necessum habeant. Nautarum ista prouidentia mihi opus esse video, quippe qui statuerim, vastum quasi quoddam pelagus emetiri. Nimirum, scriptionis genus adgressus sum, immensum a) pene ac varium, neque non ita sibi ipsi innexum, vt vix fieri possit,

quin horum gratiam, illorum odium, aliorum denique censuram, mihi colligam acceleremque. Profecto enim, in portu eram adhuc, securus, de leui, quam soluere parabam, cymba, cum, nec opinata procella, naufragium minari coeperat, homini, non quidem periculorum ignaro, sed quæ præuidere, in caussa æquissima, haud poterat. Tunc vero, contractis primum, mox subductis etiam velis, serio æstimare coepi, quam longe a continenti, hoc est destinationis integritate, abessem, vestigatisque rationibus, ita reperi, cedendum esse tempestati, in re etiam integerrima, et conuasatis reculis, permittendam fluctibus nauiculam, nihil facturam damni, præter simplex, in portu, quod aiunt, naufragium. Sed, cum discussa procella, in portu me reuera esse aduertissem, sentiremque, sudo iam cælo, non tam ancipitis rem esse periculi, quale subita illa tempestas minabatur, anchoram ieci, futuræ securitatis præsidium, non prius tollendam ratus, quam et venti adspirarent secundi, et prætentato mari, spes felicitis nauigationis concipi posset. Enimuero b)

*Non ideo debet pelago se credere si qua  
Audet in exiguo, ludere cymba, lacu.*

§. II. Hoc vero est, Lector beneuole! quod necessitatem mihi imposuit, huius, quem vides, PRODROMI edendi, qui, si proluxior copiosiorque TIBI videbitur, quam pro modulo instituti huiusmodi, ita existimabis, illorum id caussa factum esse, qui destinationem meam, neque cognitam, neque discussam, præiudicabant. Quia enim rariores sunt apud nos, qui scribendo, virium, ingenii-que periculum faciant, fit, vt facile suspicionem incurrant, qui hanc sibi prouinciam delegerunt, in primis, si res domesticas, litteris complecti voluerint. Tunc enim, non vulgus modo, sed horum quoque non pauci,

*Queis meliore luto finxit præcordia Titan. c)*

conclamant. haud crediderim, quod vel inuidia ducantur, vel odio; sed quod existiment, scelus conflare, sicuti noxium reipublicæ, ita comprimendum, ante, quam in neruum erumpat. Atque istud est, cur ante triennium, cum pagellis aliquot expressas volebam propositi huius mei rationes, in ius vocari coeperim.

Nempe,

a) Ita PLINIUS, de sola historia naturali, Præf. Lib. III. *Infinitem id opus existimatur, nec temere, sine aliqua reprehensione, tractatum.*

b) OVIDIUS Trist. II. v. 329.

c) IUVENALIS XIV. 35.

Nempe, in suspicionem cecidi, moliminis, quod non vndiquaque sit integrum atque innoxium. quam equidem procellam, quia non erat in mea potestate,

- - motos componere fluctus.

sustinui patienter, neque tamen ita me deserui, quin iis locis, quibus id fieri oportebat, de conatu meorum innocentia, testarer.

§. III. Iam vero ex istis syrtibus enataueram, propitio, magnorum virorum, fidere, adiutus; cum amicorum plurimi, dissuadere coeperunt laboriosum scriptoris genus, pro se quisque adferens, quod efficacissimum putabat, ad stringendum retrahendumque animum, a coepta illius rationibus. Cogitarem, *inquirebant*, opus me adgressum esse, alexæ plenissimum, et sicuti laboris pene immensum, si, ita ultra priuati hominis, eiusque tenuioris fortunæ, opes, sumptuosum: vixdum ei manum admouerim, pene elisum mihi esse; quid futurum crederem, si consummauerim, inchoatas, tanta difficultate, operas meminerim præterea, cuius regionis ciuis essem, quam variis obnoxia vicissitudinibus, in qua plus nobis cum ærumnis, quam musis sit commercii: denique existimarem penitus, cui vitæ generi sim adscriptus, nimirum ita comparato, vt non habeam, cur aliena vineta cædam, vbi, si quid in me virium ac doctrinæ est, in expugnanda meorum ignorantiam, debellanda vitia, emolliendos emendandosque mores, meliore cum fructu, possit collocari. Ista, et his similia plura, quo quisque mihi gestiebat esse amicior, eo studiosius animo iniiciebat meo; fateor, ita conquisita, vt potuerint omnino dubiam reddere mentem, quantumuis in proposito confirmatam. Proinde, segnius postea de persequendo instituto cogitavi; immo deserere id penitus statui, antequam proueherer altius. Verum, sicuti sunt ingenia hominum, cum ii ipsi, certe plerique eorum, qui omnes adhibuerant machinas, ad laborem illum e manibus meis elidendum, sententia mutata, fluctuantem animo, remis omnibus, iterum propellerent, vt coeptis insisterem, iniectam sollicitudinem, ponere nequii prius, quam singula, motæ dubietatis capita illa, examinasse seuerius, cumque rationibus meis contendissem.

§. IV. Atque eas quidem, quomodo discussierim, si non TUA, Lector optime! mea profecto multum interest, vt heic strictim exponam. Ante omnia sic reperiēbam: accessisse me ad scribendum, animo æquissimo, atque ita comparato, qui nihil auerfetur magis, quam offendendi alios crimen: sin autem præter opinionem meam, recte et ex vero dictis, offendi quempiam acciderit, sic putabam; non iam in me, sed in illo ipso causam positam fore, qui in offensam verterit, quod erat expeditum: tametsi non videam offensionem locum esse posse, in eo scribendi genere, quod totum ad decus gentis, et communis patriæ, destinatum est. Quemadmodum autem mentem ad liberalia studia natam, numquam ad sordes applicuerim; ita, si opulentum esse contigisset, nullos sumtus honestius collocari credidissem, quam qui in litteras fiunt. quia enim, vti PLAVTVS, d) habet:

*Est ubi damnum prestat facere, quam lucrum.*

Studia profecto ea sunt, quorum causâ, vix vnquam nimios sumtus feceris; in primis, si profeceris quidpiam, ad laudes patriæ atque ornamenta. Etenim, an-

## Prefatio.

gusti animi est, et alieni a præclara cogitatione, pecuniarum impendia, musis exprobrare, aut ex earum contubernio, quæstum facere. Honestam conanti, semper, quod satis est, sufficit. Odiâ, cur metuerem, plane me non reperire, in re integerrima, et quæ ad bonos ciues ex æquo pertineat. Certe, e)

*Sat habet fauitorum semper, qui recte facit.*

Numquam præterea me ita suffenum mihi fuisse, ut existimarim, proficisci a me posse quidpiam dignum inuidia, quippe qui conscius mihi sim, longe infra eius metum conatus meos positos esse. Quod si autem euenerit, iniectis iterum difficultatibus, labores meos retardari, solatio mihi fore, illud Poætæ: f)

*Latius est quoties magno sibi constat honestum.*

Patriæ autem conuersiones, quantæ quantæ sint, a studiorum tractatione mentem auocare non debere, quippe

g) *quarum medicina quiesque*

*Nulla nisi in studio, Pieridumque mora.*

Denique, muneris, quod nactus sum, partes, ubi cum cœpto opere, accuratius contulisset, bellissime utraque concordare deprehendi. Præterquam enim, quod

h) *Hand equum facit,*

*Qui, quod didicit, id dediscit.*

caritatem certe patriæ, ex qua hæc mea profluxit destinatio, tantum abest, ut vitæ, quam sequor, ratio refugiat, ut eam complectatur potius. Accedit, reuera, θεϊαν καὶ περὶ τὰ καλὰ σπυδῆν esse, per temporum vestigia, in gentium originibus, migrationibus, bellis, et conuersionibus innumeris, prouidentiam æterni iustissimique Numinis, obseruare, mirari, dilaudare; rimari naturæ penetralia, et ad examen reuocare, quidquid indagacione dignum est, quæ quidem diligentia, si iustis limitibus circumscribatur, sicuti mentem acuit; ita non modo non auellit a rerum diuinarum contemplacione; sed efficaciter etiam impellit, ad æstimandam celebrandamque benignitatem et iustitiam diuinam, hoc est, ad ea officia, quæ apud hominem θεολογῆντα, in actione perpetua esse debent. Quid? quod honestius sit, arctissima tempora, quæ sunt a publico muneris administratione vacua, istis occupationibus dispungere, quam aut prodigere inaniter, aut ex more eorum male collocare, qui cessatione eiusmodi, ad voluptatem et lasciuiam, turpiter abutuntur.

§. V. His ergo præfidiis tuebar apud animum, conatuum meorum honestatem. Multo autem plura fuerunt, quæ me, ad hanc cogitacionem suscipiendam, induxerunt. Primo enim, ingerebant se oculis, exterarum exempla gentium, quarum eruditi viri, subinde, regna et ditiones tenues, ut decus iis conciliarent, magno et conquisito vndiquaque adparatu, descripserunt, feceruntque non spernendum operæ pretium; quod et multa protraxerunt in lucem publicam, quæ ignorabantur adhuc; et de patrio solo, egregie meriti sunt, cum eam sibi ornandam

e) Idem Amphitruo Prologo v. 79.

f) LVCANVS Belli Civilis Lib. IX. v. 404.

g) OVIDIUS, Tristium Lib. V. Eleg. I. v. 33. 34.

h) PLAVTVS Amphitruo Act. III. Scen. II. v. 55.

dam prouinciam sumserunt, quam, ad doctos viros pertinere, sapientes semper existimauerunt. Accedebant frequentes, eaque molestæ auctorum extraneorum querelæ, quibus silentium de patria sua, genti nostræ, iniquius exprobrare, et vix non barbarici notam inurere, consueuerunt. Tametsi enim non desunt, qui in hac parte cum laude versati sunt; quia tamen aliud sibi propositum habebant optimi illi viri, quam vt se, per res patriæ vniuersas, diffunderent, in eam spem veni, haud inutiliter studia laboresque meos collocatum iri, si, quod eorum effugit diligentiam, pro ingenii ac virium modulo, in commentaria retulerim. Porro, quia infinitæ sunt exterorum hallucinationes, scribentium de rebus nostris, quas siue per ignorantiam, siue prauos adfectus, multis modis fœdant, neque non ita subinde miscent, vt facile indignationem prouocent hominum, etiam non iniquorum; detergendas, pro virili, rebar, maculas istas, ne florentissimi olim regni imago, nostra etiam culpa, ad posteros, luto adpersa, transmittatur. In primis, accuratiore contemplatione digna mihi semper visa sunt, admiranda illa opificia, quæ passim in Hungaria, mirifica parens natura, prodidit. Est enim patria nostra, si fateri velimus; quod neque exteri negant; theatrum quasi quoddam rerum admirandarum, quas, quia nostri homines parcius, exteri autem varie, ac plerumque ex ingenio suo, descripserunt, facturum me laboris pretium putabam, si et hac in parte conarer aliquid. Recte enim SENECA: *Hæc, ex quibus causis accidant, digna res est excuti. Quod, inquis, erit pretium operæ? quo nullum maius est, nosse naturam! Neque enim quidquam habet in se huius materie tractatio pulchrius, cum multa habeat futura vsui, quam quod magnificentia sui detinet, nec mercede, sed miraculo colitur.* Et quia non ab alienigenis tantum, sed domesticis etiam scriptoribus, multa præclara, verum sparsim modo, de Hungaria, memoriæ sunt prodita; haud equidem operam lusurus mihi videbar, quod si istorum quoque labores, in rem nostram verterim, habitoque delectu, transfulerim, ad gentis et regionis decus, illustrandum. Hoc vero vt auderem, præter amorem natalis soli, quo quidem vix vlli cesserim, summorum virorum auctoritas effecit, monentium frequenter et serio, ne deessem patriæ: quorum monitis eo lubentius parui, quo honestius existimaui, non modo de patria bene mereri; sed doctorum quoque desiderijs, si non satisfacere pro eorum expectatione, saltem non refragari.

§. VI. Hæc illa erant auctoramenta, quibus excitatum me sensi, vt ad istas consilij rationes, quas iam Lector amice! T E C V M communico, accederem. Vnum vero, ne quid diffitear, aurem mihi vellebat sapius, et nunc volentem, nunc conantem etiam, a proposito vehementer depellebat, nempe, ingenii tenuitas, et doctrinæ, qua sum, angustia. Enimuero, immensam illam rerum varietatem, quæ commentaria nostra ingredi oportebit, tacita conscientia, reputanti, concidebat animus, et pudore suffusus, temeritatis se ipsum accusabat. Adeo enim, fere per vniuersas eruditionis humanæ partes, sparsum est, quod occipio, vt πᾶσι sit oportet, qui ex se ipso, huic, tam vastæ destinationi, sufficiat. Qua sollicitudine, oppido non innani, me vt exonerarem, in eam curam incubui, quo plures essent, ex omni eruditorum ciuium genere, qui operas mecum sociarent. Neque difficile erat, liberalia ingenia, ad honestam laborum societatem, pertrahere. quia enim non sunt musæ inuidiosæ, vltro lubentesque operam deferebant suam, quibus erectior mens contigit. Plerique autem, non negabant quidem symbola; sed differebant tamen: credo, vt viderent, quorsum res dubia euasura esset, antequam in partem laborum, iuxta et periculorum, venirent. Atque

## Prefatio.

hos ego publice, etiam atque etiam, rogandos volui, uti, pro singulari sua eruditione, et rerum, quæ se circumstant, habitu, opus istud, patria causa susceptum, iuuent, augeant, ornent. Nemini operam, quantulacunque fuerit, laude, quam merebitur, fraudabo; sed profecto tribuam cuique, quod suum est, elaboraboque penitus, ut intelligat posteritas, cuius, in quavis operis parte, opera atque studio, profecerim. Non est vero, cur pensa inter eruditos nostros, partiar: ipse hic, quem exhibeo, propositi mei typus, suam singulis partem, pro virili persequendam, admetietur. Quia enim nihil immensius est natura; nihil historia augustius; nihil denique laudabilius, quam in utroque curam ponere atque studium; proximum quodque, et in quo maxime quisque excellit, vel quo se plurimum existimat profuturum, eo promptius occupabit, quo est liberaiore animo præditus. Igitur, *vestigare antiquitates gentis; indagare origines; excutere priuata non minus, quam publica tabularia, archiua dicunt; explicare arcium et urbium primordia; metiri ac describere locorum situs; designare fluminum capita, alueos et exitus; inquirere in rerum naturalium causas; expromere, quidquid ubique locorum inusitatum est atque excellens; verbo: diffundi per vniuersum, qua is ad nos pertinet, antiquæ, mediæ et nouæ, quin naturalis etiam historiæ campum, hoc opus, hic labor erit!*

§. VII. Ista sunt, quæ ciues nostros, per communem patriam, perque decus et ornamenta inclutæ gentis, rogo; magna satis et multa, quæ si præstiterint, præstituros autem, pietas eorum, atque eruditio, spondent; næ illi mihi digni sunt futuri,

*Quos mea musa canat:*

neque his minora, quibus ab \*) exteris, iuuari posse, optarim. Nimirum, euenit, fato, quemadmodum credere fas est, iniquiore, ut optimorum auctorum, antiquorum ac recentium, de rebus Hungaricis, commentaria, interciderint ante, quam luce donari potuissent, aut in plurium esse manibus, vindicarique ab interitu. PRISCI RHETORIS, qui rebus ATTILAE interfuit, historiam, nemo, crediderim, post tot summorum virorum diligentiam, integram exhibebit; nisi forte ex Turcorum scriniis protractam, apud quos, multa, canæ illius antiquitatis cimelia, teneri captiua, non abs re suspicantur docti. IUVENCVS CAELIVS GALANVS DALMATA, vitam *Attilæ* scripsisse perhibetur, sed qui ineditus adhuc in bibliothecis latet, aut certe tineas pascit. Utinam edisset eum, sicuti spem fecerat, PEIRESCIVS, ac nuperrime nonnemo; tunc enim ferri potuisset iudicium, genuinusne ille auctoris, an supposititius foetus fuerit, quemadmodum LEIBNITZIVS alicubi iudicauit. Equidem, per omnia musarum sacra, rogo atque obtestor, bibliothecarum præfectos, ne scriptorem illum, latere diutius, aut prorsus interire, patiantur; sed vel ipsi publici tandem iuris faciant, vel e carceribus dimissum, nostris curis permittant: quam quidem beneficii, erga gentem suam, magnitudinem, vna mecum prædicabunt, quotquot de eius ornamentis solliciti sunt. Nescio, an idem iste IUVENCVS sit, cuius, non ita pridem, in familiaris sermone mentionem habuit, amicorum nonnemo. Librum, *aiebat*, manu exaratum, atque res *Attilæ* explicantem, in sua fuisse potestate; sed quem

roga-

\*) Utinam lucem proxime adspiciat DACIA ANTIQVA, Illustris FRIDERICI WILHELMII SOMMERI, Vratislauenfis, viri,

nobis amicissimi. Prorsus enim confido, non minus ex ea, quam eius REGNO VANNIANO, me profecturum.

rogatus, vni ex optimatibus Hungariæ, haud grauate, permiserit. Quisquis vero sit, exponendum luci publicæ iudicari, vt ista quoque accessione, si scriptor sit antiquus, saltem mediæ æui, dubiis Attilæ rebus, atque mirum in modum obscuris, lucis quidpiam adfundi possit. IANI PANNONII *Annalium Hungaricorum*, quos ille carmine heroico scripserat, iacturam irreparabilem, cum SAMBVCO nostro, i) alibi deplorauit, felicem me ratus, quod

potui dedoluisse semel.

STEPHANI ZAMOSII historiam, qua res Hungariæ, et conuersiones prouinciarum ei adfinium, persecutus est, apud Transiluanos latere, et magno temporis atque operarum impendio, ab his, qui auctorem ex æquo æstimant, describi, constans nonnullorum sermo est. quæ, si ita sunt, optarim, in eam curam incumberet, ex gente hac, doctorum aliquis, vt historia illa, vel publice legi possit, vel a nobis, ad præsens institutum, opportune transferri. Quia enim erat omnino ZAMOSIUS egregie doctus, confidimus, foetum eum edidisse, si tamen suus est, haud fortean degenerem. NICOLAI OLAHI, viri summi, et *Strigoniensis Archiepiscopi*, Aduersaria Rerum Hungaricarum, vbi locorum, aut cuius industria, adseruentur, equidem nescio. multum me ex iis profecturum, fragmenta illa pollicentur, quæ diligentissimus scriptor, MARTINVS SZENTIVÁNY S. I. passim sua fecit; si essent, quemadmodum futuros spero, qui liberaliter in medium conferrent, quod ad communis patriæ laudem pertinet.

§. VIII. Longum, ac forte superuacuum foret, auctorum percensere nomina, qui nondum potuerunt lucem publicam adspicere, quique mirifice iuarent institutum meum. Recentiores commemorabimus, si eorum fortassis laboribus, meliore fato, potiri liceat. PROCOPIVS BONANVS, *Med. Doct.* atque seculo superiore, *Camera Regia*, in fodinis Hungariæ, *archiater*, ingens volumen, (complectebatur enim, plus, ducentas tabulas, æri incisas) magnò labore, neque minore sumtu, de *Admirandis rebus Hungariæ\**, conscripserat, iamque in eo fuit, vt typis exscriberetur, vtilissimum opus, cum morte præuentus, destinatis excidisset. quod, quia in Austria euenit, facile est ad coniiendum, non potuisse tantæ molis atque sumtuum lucubrationes, interire, sed interceptas, vti fit, aut ad hæredes delatas, alicubi delitescere. Quocirca, oro atque obtestor, vicinam gentem, aut quicumque demum MSC. illud possideant, ne, quod auctor ille, Hungariæ decori consecrauerat, vel interire prorsus sinant, vel differant publici vsus facere. Mihi profecto eo beneficio, nihil exoptatius euenire posse crederem, si, quæ vir diligentissimus, magna collegit accuratone, consulere, aut plane cum meis possem coniungere. Eadem, si non deteriora, fata subiit CHRISTIANVS ab HORTIS. duos ille tractatus, alterum de *Gemmis Hungariæ*, de *Balsamo Hungarico* alterum, vti erat ingenio sagacissimo, composuerat: at enim vero, diem prius obiit, quam suos illos foetus, lucis vsura donare potuisset. quos postea, cum instructissima, quam possidebat, bibliotheca, ob viduæ incuriam

) ( ) ( 2

et

i) De veteri Litteratura Hunno-Scythica Sect. III. §. III. p. 65.

\* Faciunt operis huius indicium *Miscellanea Curiosa* Anno I. p. 292. et Anno II. Dec. I. p. 56. Et PHIL. IAC. SACHS *Ampelogr.* p. 43. *Qui*, (Procopius Bonanus) *hæc*, inquit, *et plura alia, in libro suo, de*

*Admirandis Hungariæ Rebus, qui sumtibus Archiepiscopi, Palatini Regni Hungariæ, et Comitum Nadasdy, faustam lucinam propediem expectat, adnotauit. Sed, quam tum scio, sefellit eum spes sua.*

## Prefatio.

et liberorum ætatem impubem, in nobili vico, quem ad carpathi radicem coluerat, Poloni, prohi malum! diripuerunt. Vtriusque laborum iacturam reparaturus credebatur, notissimus auctor, qui edito apud Anglos, sub ipsum seculi, quod viuimus, auspiciis, *Danubialis sui operis Prodromo*, maiorem in modum exacuerat eruditi orbis expectationem. Verum, fortuna viri, vti apud omnes constat, subito conuersa, spe vasti illius operis, excidissimus omnino, nisi k) editionem eius, ab eruditissimo FONTANINO, expectandam iussisset. quam, si maturauerit, quod ab eo vehementissime petimus, summam a bonis omnibus gratiam inibit.

§. IX. Hæc sunt illa, quibus iuuari me posse optarim, atque maturius in commune conferri, a quibus ea proficisci poterunt. Nam, l)

*Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras.*

Cesso igitur, importunius fatigare viros doctos, siue ciues sint, siue exteri. Secum illi, quod equidem spero, reputabunt, quid studia, quid artes, quibus non sui causa florent, quid denique honestas conatum meorum a se flagitet.

*Non sic virginibus flores, non frugibus imbres,  
Prospera non fessis optantur flamina nautis,*

quemadmodum nobis, eruditorum illa, quæ imploramus, auxilia. Quos et illud impensius rogo, vt quid de mea ista destinatione sentiant, liberius, sine conuitio tamen, seu publice, seu priuatim, expromant, moneantque, sicubi iudicauerint, in ordinando aut elaborando, augendo arctandoue opere, moneri quidpiam posse, debereque. Non enim ita mihi placeo, vt vndique conatus ille meus pulcher mihi sit; totum eum doctis, fingendum ac refingendum, permitto, habebuntque profecto docilem et obsequentem, vbi meliora docuerint. Quia enim vni probari docto malo, quam rudibus sexcentis; constitui, desistere potius a coepto, quam non satisfacere eruditorum expectationi: longe eorum dissimilis, qui sua omnia, sicuti aranea telam, ex se, et suo iudicio, fingunt, neque non ita iis delectantur, vt capite diminui malint, quam aliorum monita ferre, iisque proficere; satis habentes, si et chartam corruperint, et librias tabernas, voluminibus non necessariis, onerauerint. Quod si autem, in hominum, carpenti et pugnandi cupidorum insanias, inciderim, numquam committam, vt in arenam me proliciant; quippe qui didicerim, pulcherrimum victoriae genus esse, quod de obtrektoribus litterariis, ni detrimentum existimationi inferant, silentio paratur. quia enim dicaculi sunt, atque alienissimi a bonarum litterarum humanitate, quo magis retunduntur, eo ferociunt exquisitius. Quid ergo?

*Si linor obtrektare curam voluerit,  
Non tamen eripiet - conscientiam,*

Scili-

k) Coniicias hoc ex litteris, quas auctor, ad R. P. BERNARDUM MONTFAUCON, Anno 1717. d. 27. Aprilis, de *Ponte Traiani*, dedit, quasque ALBERTVS HENRICVS de SALLENGRE in *Nouo Antiquit. Romanar. Thesuro*, Tomo I. num. IX.

p. 989. ex eruditis *Venetorum ephemeridibus*, excerptas, et donatas latinitate, exhibet. Item R. P. MICHAEL BONBARDI, in *Topogr. Magni Reg. Hungaria*, p. 303.

l) PUBLIVS in Mimis.

ſcilicet, non neglecti, aduerſus patriam, amoris et officii. quæ mihi omni conuictio maior, laude vero, etiam maxima, potior eſt.

§. X. Ceterum, ne ignarum Lectorem dimittam, cur ad hunc modum, opus vniuerſum digeſſerim, paucis id quoque expediam. Id vero, HUNGARIAM ANTIQVAM et NOVAM adpellare placuit, ſumto, ex ipſa tractationis materia, nomine. MEDIAM, vtrique interponere fuit animus, quam tamen, quod ſine violentia licuit, partim antiquæ, partim nouæ, admeſus ſum. ANTIQVAM ideo in *Libros IV.* partitus ſum, quia ſic erant origines et incrementa gentis, vt ex *Scythis* naſcerentur *Hunni*; hos exciperent *Abares*; iſtos denique *Hungari*. Viſum eſt autem pretium operæ, *Scytharum*, atque *Hunnorum* hiſtoriam, prius expedire, poſtea vero designare regiones, quas ſiue coluerunt, ſiue populati ſunt, ſiue pulſis hoſtibus, occupauerunt: qua partitione opus non erat in iis libris, quibus *Auarica* et *Hungarica*, explicantur, cum earundem regionum et locorum repetenda fuiſſet mentio, quæ libris prioribus expediuiſus. NOVA autem HUNGARIA *Libros III.* nobis ſuggeſſit: *Hiſtoricum*, quo res Hungaricas recognoſcimus: *Geographicum*, quo deſcribimus locorum ſitus: denique *Phyſicum*, quo hiſtoriam Hungariæ naturalem complectimur. Iſtis, tres alios iungere conſtitueram; *Politicum*; *Diplomaticum* et *Genealogico - Heraldicum*; ad illum ſumma iuris publici Hungariæ capita; ad iſtum diplomata, litteras et id genus documenta; ad hunc denique, genealogias, et inſignia familiarum noſtratum, referre, animo federat; ſed cum ſatis exaggerata ſit materia, in qua iam occupor, differendam diligentiam illam putauit, dum præſentia explicuero: præſtolaturus interim ſuppetias, quæ inſtruendis iſtis quoque libris, erunt neceſſariæ. Alioquin in *Hungaria Antiqua* et *Noua*, conatus ſpecimen, elaboratis capitibus aliquot, exhibui, vt haberent docti, vnde conicerent, de vniuerſi operis tenore, atque quam ſimus ad ſcribendum apti et inſtructi. Enimuero illud HORATII m) mihi dictum credo:

*Tu nihil inuita dices faciesque Minerva;*

ne forte, refragante ingenio ac doctrina, res maximas, obſcurem potius, quam illuſtrem. quod ſi iudicauerint ſapientes, calamum ponam, et chartas complicabo, relicturus partes iſtas his, quibus ingenium felicius obtigit, atque doctrina conſummator. Diſtionis genus, quo vtor, varium, credo, neque ſibi conſtans, iudicabunt aures delicatæ. Sed ita ſunt res, quas ſcribo, vt eundem ubique habitum orationis reſpuant. Suffecerit fortassis, ſi legi poſſim atque intelligi. Elegantiæ enim ſermonis, ubi ea naſcitur ex ipſis rebus, ſicuti non refugio; ita haud quidem anxie conſector, ubi pedestrem et numeroſam orationem, rerum indoles, auerſatur. Videlicet:

*Ornari res ipſa negat, contenta doceri.*

quemadmodum habet verſus MANILII. Certe ea res, CICERONEM, totius facundiæ parentem, deterruit, et ab opere geographiæ, quod moliri occeperat, reuocauit: ſic enim ſcribit: n) *Et hercule, ſunt res difficiles ad explicandum, et ὀμοειδείς; nec tam poſſunt ἀνθροπονγεῖν, quam videbatur.* Sordes autem, ſi  
 )( )( )( )  
 quæ

m) de Arte Poet. v. 385.

n) Lib. II. ad Attic. Ep. 6.

quæ alicubi orationi sunt adpersæ, inuito certe exciderunt, eoque minus exprobrari debent homini, puræ latinitatis haud incurioso, quo magis arduum est, ponere, quod ab ineunte pueritia, ex institutionis vitio, contraxeris.

§. XI. Ista fuerunt, quorum causâ monendus eras, OPTIME LECTOR! Nunc, ii, cum honoris præfatione, nominandi sunt, qui, collatis hucusque symbolis, iuuerunt propositum nostrum. Dum illi generum fuere; alii enim, lucubrationibus, libris alii et consilio ibant me adiutum. In illis primo loco nominandus est, vir, arte medendi celeberrimus, CAROLVS OTTO MOLLERVS, M. D. et inclytorum Comitatum, Zoliensis et Turocziensis Physicus, qui, pro sua, erga me, voluntate; vtor enim eo familiariter; Sklenenses et Vihnenses Thermas, vernacula descripsit: quem ego postea laborem, non modo latinitate donavi; sed auxi etiam, quippe, sæpius in iis ipsis thermis, valetudinis causâ, diuersatus. Eadem ille diligentia, Belitzenses, Baimotzienses, Pöstinenses, Raitzenses, Ribarienses, Trentsinenses, Stubnenses; acidulas item complures, explicare constituit: quod vt possit, vires ei integras, et vitam, sine querela, diuturnam, ex animo precamur. Reliqua, ad eandem hanc classem pertinentia, Nobilissimus ANDREAS HERRMANNVS, M. D. nuper incluti Comitatus Neogradensis Physicus Ordinarius, iam apud nostros Pisonienses, Practicus, adfinis meus, adiecit, totamque illam prouinciam sibi delegit, vbi sub examen chemicum vocanda erunt, metalla, minera, vina, aqua salubres, et quæ sunt huius generis, cetera. Quia enim, cum arte medica, egregio nexu, Spagyricam coniunxit, opportunam nobis fore operam eius, non vno argumento, persuasi sumus. Et profecto confido o), reliquos etiam patriæ Physicos, non commissuros esse, vt operam eorum desiderare possim. Quia enim exterorum ephemerides non sine laude hucusque ornauerunt haud pauci, non poterunt non domesticam, hominis, sui studiosissimi, diligentiam, pari cura subleuare. In describenda Terra Scepusiensi, præclare de nobis sunt meriti, generosus PAVLVS KRAY de Rokusch, S. C. R. M. mathematicus castrensis; et Cl. GEORGIUS BOHVSCH, Kesmarkiensis Scholæ E. Rector: ille enim, mappam chorographicam, p) quam Illustris Nolteni, quæstoris Cæsarei, iussu, diligentissime fecerat, vltro lubensque nobiscum communicauit; hic Comitatus eiusdem historiam, contexit, digestam a nobis ordine nouo, nostraque inuestitam dictione: verum, quod mecum plures ingenue dolent, boni isti viri, fato præuenti maturiore, nequeunt fructu laborum perfrui. Neque minor Cl. GEORGIUS BVCHHOLTZII iunioris, laus censenda est. Enimvero, cum apud Liptouienses ludo præflet litterario, vti est rerum naturalium curiosissimus, Antra Deminsaluensia, Szentivanensia, aliaque, haud sine grandi periculo, adiit, perreptaui, delineauit ad

o) Sunt vero, a quibus suspeticas nobis pollicemur, Viri excellentissimi honoratissimique, apud Sárosiensis, D. REIMANNVS; apud Scepusienses, D. MILÉTERVS; apud Liptouienses, D. FISCHERVS; apud Sempronienses, D. LIEBEZEITIVS; apud Iaurienses, D. KOMAROMIVS; apud Pestiensis, D. STOCKERVS, cuius Thermographiam Budensem, opus præclarum, grati exosculamur, calamitati autem, quam ex nupero vrbis incendio, passus est, ex animo indolemus, Deum præ-

cati, vt virum nobis amicissimum, incolumem feruet, omnique bonorum genere adfluentem.

p) Nescio, quo malo errore factum sit, vt in explanatione mappæ huius, Hungarie Nouæ Lib. II. Geograph. p. 71. §. II. mentionem Elevationis Aequatoris, legas, quippe superfluum. Sed Longitudo etiam ipsa, graduum est 43. minut. vero 56. quod hic monuisse iuuat, ne scribæ errores, nostros faciamus.

ad regulam, fusiorque illustravit commentario. cuius quidem diligentiae specimen, tabula aenea descriptum, exstare voluimus, dum reliqua lucem publicam potuerint adspicere. Pater vero suus, GEORGIUS BVCHHOLTZIVS, venerandus senex, et octogenario maior, *Montium Carpathicorum* miracula, quae ab ineunte iuuentute saepe iterumque praesens spectavit, manu sua, quod in ea aetate dignum admiratione est, fuisse, et ex vero, descripsit, icone simul adiecta, quam *Perillustris ac Generosus* DN. STEPHANVS BERZEVITZY de eadem, pro obtutus ratione, qualem in vico *Kakas Lomnitzensi*, habuit, scite adumbravit, exhibendam, ubi opus integrum consummauerimus. Superest, ut Cl. IOHANNIS MATOLAY, Vetusoliensis, operam, collaudemus, quippe qui, commentationem nostram, de *Vino Sempronensi*, membro secundo, quod ei integrum in acceptis ferimus, adauxit. Atque isti sunt, qui symbolis nos iuuerunt, et quorum opera in concinnando PRODROMO isto, profecimus, nam ceteros, qui in reliquis operis partibus elaborauerunt quidpiam, tunc memorabimus, cum, volente Deo, labor omnis confectus fuerit. Hos interim, sine ingratae mentis nota, silere nequiuimus, certa spe freti, plures in posterum ad laborum venturos societatem, quum viderint, non se alienae laudi, sed suae ipsorum existimationi velificari.


§. XII. Inter hos autem, qui nunc consilio, nunc suppeditatis opportune libris, destinationem meam promouebant, habeo, cur celeberrimo CAROLO REYGERO nostro, ILLUSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI R. H. PALATINI, *Archiatro*, gratias agam. Enimuero, bibliothecam, quam ab optimo patre, accepit instructissimam, totam mihi curiosius vestigandam, permisit, ut si adessent auctores, potissimum in historia naturali, qui me iuuare possent; sunt autem bene multi; eos, iure quodam meo, promere possem, atque in rem meam vertere. Maxime vero doleo, nobilis viri, STEPHANI PAVLLI MVNKATSY, Jcti Tyrnauiensis, mortem, si institutum meum aestimem, oppido intempestiuam. Fuit is, melioribus litteris haud vulgariter, ac praeter morem nostratum, imbutus, graece et latine doctus, antiquitatis scrutator eximius, certe polyhistor haud vulgaris, ac librorum, ad vitium vsque, amans, quos grandi sumtu, ac pene redditus suos exsuperante, atque in his optimas optimorum auctorum editiones, plerasque transmarinas, coaceruauerat, ut publicae potius, quam privatae bibliothecae modum eximius iste apparatus, aemulari iam videretur: rarissimo apud nos exemplo. Ab hac eius indole, in viros eruditos, ex aequo propensa, facile erat impetrare, ut rationes propositi mei, suas existimaret. Tametsi enim et religione a me dissidebat, et vitae, quam sectabatur, instituto, animum tamen ita mihi addixit, ut non dubitarit, integris subinde plaustris, libros ad me mittere, quo luculentiora faceret commentaria mea. quinimmo, difficillimas materias, quarum mentio in sermone familiari non unquam iniecta fuit, sibi ad elaborandum vltro delegit, in quas demum ita incubuit, ut, si potuisset coepta consummare, nae ille me grandi labore exonerauisset. Ac tanto acceptior haec industria mihi fuit, quod sciebam, doctrina eius, quam multo vsu perspectam habui, niti me posse. At enim vero, sicuti fluxae sunt atque instabiles res humanae, optimus MVNKATSYVS noster, morbo adtritius diuturniore, nuper, naturae debitum reddidit: qua re factum est, ut non librorum modo vsura, quos liberaliter communicabat, sed lucubrationibus etiam eius, carere iam debeam. Utinam vero biblio-

theca illa in possessorem incidat, si non similem ΜΥΝΚΑΪΤΣΗ, saltem non durum ac difficilem, hoc est, ad iuuandum nos pronum. Hæc de boni illius viri erga me studio, vti sunt, dicere debui, siquidem,

*Dignum laude virum Musa vetat mori.*

Illud fortassis, scire voles, AMICE LECTOR! quando vniuersum opus, cuius heic summa tantum lineamenta expressimus, possis aut debeas expectare? Si res quidem meo solius arbitrio gereretur, quam ocyssime; sed quum exorandi sint plures, vt sua conferant, longiore temporis interuallo opus fore, facile coniiicies, maxime in tanta rerum varietate, quas conquirere, conquisitas digerere, digestas elaborare, id vero, sicuti operæ, ita temporis permultum deposcit. Licet enim, nulla mihi operis pars, sine grandi adparatu sit; complures autem elaboratæ penitus: multa nihilominus requirentur, quæ addi oportebit. Igitur, plurium erit, tanti operis maturitatem, accelerare. Nos profecto, εὐὰν ὁ Κόριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, nihil faciemus residui, vt fidem, quam orbi litterato adstrinximus, quam primum liberare possimus. Iam optime vale, et, si in limine, diutius a nobis detentus es, quam voluisses, ita id interpretabere, succurrisse nos eorum ignorationi, qui nondum habebant perspectum, quorsum conatus isti nostri pertinerent, voluisseque prouocare ad facilitatem omnes, qui destinationem nostram iuuare potuerint. Nunc permittamus vela ventis! Tu autem, quisquis es, si bonus es! oram soluentibus, ventos secundos, hoc est, DEI et CAESARIS gratiam, precabere. PISONII in Marcomannorum et Quadorum finibus, ANNO MDCC XXIII.

Kalendis Augusti.



**HVNGARIA**  
**ANTIQVA**  
DIVISA  
**IN LIBROS QVATVOR.**

CICERO.

Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares;

sed,

omnes omnium caritates,

PATRIA VNA

complexa est.



# HVNGARIAE ANTIQVAE LIBER PRIMVS SCYTHICVS.

## SECTIO PRIMA HISTORICA.

### CAPVT I.

#### De Origine Scytharum.

#### *Synopsis.*



**U**NGAROS, Scythis ortos esse, nemo temere inficiabitur, eo quod *Hunnis* atque *Abaris*, gente vtraque *Scythica*, sunt prognati. Id antequam doceatur, in Scythici nominis originem, oppido fabulosam, inquirimus, producto vocis etymo cum Hebraico, tum Græco etiam. An recte sibi Scytharum vocabulum Germani vindicent, disputamus, aduocatis simul eius sententiæ patronis, iuxta et caussis. Auctoris, de vocis origine, sententiâ, quæ IOSEPHI testimonio firmatur. Nominis Scytharum antiquitas adseritur, et an Scythæ *Aethiopes* sint aliquando dicti? disputatur. *Aramæos* ab antiquis vocatos fuisse, certum est. Scythæ, gens vetustissima: eorum, de generis vetustate, cum Aegyptiis, contentio, ex IUSTINO recitatur;

tatur; atque locus ille IUSTINI, quod sacram historiam corrumpit, recognoscitur, adductis, de rerum exordio, sententiis auctorum, recensitisque, CENSORINO præeunte, ea in re Philosophorum erroribus. Porro, Aegyptiorum, pro sua antiquitate, rationes, ex DIODORO SICULO, illustrantur, et Scytharum verosimilior opinio adstruitur, verbis SENECAE in eam rem adhibitis. Conferuntur inde Scytharum et Aegyptiorum argumenta, doceturque, Scythas Aegyptiis, in ea contentione, iure censei superiores. Historia diluuii, ad quam Scythæ, atque Aegyptii prouocarunt, profanis scriptoribus nota. LVCIANI, de diluuiio locus. DEVCALION Scythæ. Hactenus de gentis antiquitate. Ipsa eiusdem origo, non minus fabulis contaminata, quæ ex HERODOTO narrantur; auctoris de iis iudicium. Græcorum absõna, de Scytharum origine, commenta. DIODORI SICVLI, de eadem re, atque HESIODI, *μύθος*, de vtroque *ἐπιχρισίς* auctoris. Tutius ergo ex MOSE gentium origines eruuntur: qui in ea re elaborauerint. Scythæ MAGOGI progenies, qui et primus *Scytharum* parens, *Asiaticorum* non minus, quam *Europæorum*. Hinc longo ordine argumenta, quæ pro hac Scytharum origine militant, adducuntur, totaque disputatio ista clauditur.

## CAPVT II.

De

## Primis Scytharum sedibus.

*Synopsis.*

**O**rigine Scytharum, quemadmodum in iis tenebris licuit, indagata, de primis eorum sedibus, agimus. *Scythia* et *Scytharum* vocabula, toti olim Septentrioni tribuebantur, qua de re, luculentus STRABONIS locus adscribitur. Primæ Scytharum sedes, in Asia interiore sunt quærendæ: id quod, auctorum testimoniis, docetur. Communis scriptorum, de prima gentium migratione, opinio, statuentium, gentes omnes, a turris Babylonicæ ædificio, per omnem terrarum orbem, sparsas. Auctoris ea de re sententia, et *Japhetitas*, quibus Scythas prognatos esse, capite superiore docuimus, ædificandæ turri Babylonicæ haud interfuisse; sed, diutius in Armenia subsistentes, diuino postea consilio, in colonias abire iussos esse, quæ singula prolixiore disputatione discussa, scriptorum testimoniis præmuniuntur. Igitur prima Scytharum sedes, apud *Araxem*, fluvium *Armenie*, fuit, vbi arcam Noë conqueiuisse, docti existimant; quin et in *Cæle-Syria* habitasse creduntur, vnde et *Aramæorum* nomen, Scythis hæsit. Eius rei indicium est vrbs *Magog*, cuius hic PLINIUS mentionem facit. Est et in Palæstina, gentis antiquissimæ nobile vestigium, *Scythopolis* seu vrbs Scytharum, de qua prolixè disputamus. Quomodo ex interiore hac Asia emigraverint Scythæ? qua de re capite sequenti.

## CAPVT III.

De

## Migrationibus et Coloniis Scytharum.

*Synopsis.*

**V**idimus primas Scytharum sedes, in Asia interiore olim constitutas: nunc ordo locusque postulat, ut, quomodo eas deseruerint nostri, inquiramus. Variæ ea de re coniectationes. DIODORI SICVLII locus, fide dignissimus, qui regis cuiusdam virtute, per vniuersum Septentrionem, colonias sparsisse Scythas, adserit. Sententia HERODOTI, aliam huic rei causam prætexentis. Quas postea colonias passim deduxerint Scythæ, per auctorum vestigia indagatur: *Parthi, Bactriani, Sacæ, Massagetae, Amazones*, quin et *Americanæ* gentes, Scythis ortæ.

## CAPVT IV.

De

## Religione Scytharum.

*Synopsis.*

**S**CYTHÆ, tametsi barbari, religionis cultu, nulli inter optime moratas gentes, postponendi. Hinc et religio eorum, inter sex illas, quæ a rerum exordio memorantur, secundo loco recensetur. Sunt autem: *Barbarismus, Scythismus, Hellenismus, Judaismus, Samaritanismus, Christianismus*. Quid sit SCYTHISMVS, ex codice manu exarato *Augustæ bibliothecæ Vindobonensis*, docetur: qua occasione de *antediluuiana* idololatria quædam. Postea, Dii Scytharum, ex HERODOTO percensentur: in horum numero sunt: *Vesta*, vnde Hungaricum ISTEEN, veri Dei nomen; *Jupiter, Tellus, Apollo, cœlestis Venus*, atque in primis *Mars, et Hercules*. De singulis quædam, quæ ad rem pertinere videntur. Quin et viros bonos ac fortes, sacrificiis ac diebus festis honorabant. Sed non vna Scytharum omnium, colendi Deos ratio fuit: eius rei exempla. Vanitatis permultum a Græcis traxere Scythæ, circa Deorum cultum, quantumuis auiti ritus longe fuerint tenacissimi. Pangendorum foederum mos, pars religionis Scythicæ. Quos Deos auersabantur Scythæ, et quæ sunt *cetera*.

## CAPVT V.

De

## Lingua, Ingeniis et Sapiencia Scytharum.

*Synopsis.*

**L**ingua Scythica nequit a *confusione* illa *Babylonica*, quam gentes pleræque omnes adfectant, arcessi, eo quod infano illi molimini, non interfuerant *Japhetita*, Scytharum parentes. Ad primam ergo, et incorruptam linguam illam, proxime accessit vetus Scytharum idioma, cuius rei hodiernum, in vocibus Hungaricis, exstant vestigia.

gia. Veteris linguæ Scythicæ quædam reliquiæ ex HERODOTO adferuntur, contendunturque cum idiomate hodierno Hungarico. Lingua Scythica, pro gentium varietate, differebat a se inuicem; HERODOTI in eam rem locus. Ingenia Scytharum, barbarica quidem erant, sed sapientiæ tamen capacia. HERODOTI et Q. CVRTII, eo pertinens testimonium. Eorum sapientia, non tam artium peritia, quam morum integritate, absoluebatur. *Anacharsis*, *Abaris*, *Zamolxis*, Scythæ, magni ob sapientiam, ab ipsis Græcis habiti: de quibus prolixam instituimus commentationem, et quæ fuerint Philosophiæ eorum partes, accuratius dispicimus. Sequuntur veteris sapientiæ Scythicæ, in lingua Hungarica, vestigia, cum specimine quodam. Eloquentiæ Scythicæ exemplum, *reliqua*.

## CAPVT VI.

De

### Moribus, Victu et Cultu Scytharum.

*Synopsis.*

**C**VM vitiis non minus, quam virtutibus memorabiles exstiterint Scythæ, vtrumque auctorum testimoniis docemus. In primis laudat integritatem Scytharum STRABO. Hoc fœditatis plurimum habebat in Scytharum moribus, quod communes habuerunt vxores, tametsi PLATONIS concessu, neque id sine gentium barbararum, quin cultiorum etiam, exemplis. Alioquin inita solo amore coniugia, castissime habebant, contra quam id hodiernis moribus fieri consuevit. HORATII in eam rem oda. Hac occasione de operis feminarum apud Scythas, deque earum fortitudine, duritia in partu, nubendi legibus, et quæ sunt reliqua, disquirimus. Sequitur postea alia Scythicæ integritatis, ex IVSTINO, collaudatio. Erant in primis, in colenda amicitia fide insignes, quod ex *Toxari* Luciani docetur. Scythæ ab agricultura alieni; eius rei in Germanis exemplum, iuxta et causæ. Auro et argento, facile carere poterant Scythæ, vitæ genus sectantes, alienum a voluptatum illecebris. Victus Scytharum, lac et mel, idem et gentium antiquissimarum. Scythæ hinc γαλακτοφαγοι et ἰππομυλοὶ dicti. Leguntur lacti sanguinem quandoque miscuisse. At *Halizones*, gens et ipsa Scythica, cepis, et allio vescebantur, prorsus ex more hodiernorum Hungarorum. Contra immaniores, carnibus humanis vesci solitos fuisse aiunt; *Anthropophagorum* hinc monstra, ab auctoribus relata, ob quorum sævitiam, mare *Euxinum*, olim *Axenum* vocatum fuisse, perhibent. Victus rationem, cultus excipit. Erat is apud Scythas, maximam partem pelliceus, sicuti apud gentes plerasque boreales, quas inde *hirsutas*, scriptores appellant. Pelles illæ quales? vestiebantur et libris arborum; immaniores, exuuiis quoque humanis. Sequitur vestitus Scytharum inferior, braccæ, perones. Ceteroquin continentia apud Scythas, iustitiæ fuit magistra; hinc scriptorum confessione, Scythæ, virtutis studio, Græcos antecellebant. Nempe sine philosophia Scythæ naturæ viuebant conuenientius, quam Græci, philosophiæ magistri. Profecto, corruptela integritatis Scythicæ, a Græcis arcessenda, qua de re, locus STRABONIS adscribitur. Sed non omnes Scytharum gentes, iisdem utebantur institutis: alia enim Scythis omnibus

communia erant; alia singulis gentibus propria. Ritus sepeliendorum regum, iuxta et plebeiorum. *Issedonum* et *Massagetarum*, ea in re, immunitas, cetera.

## CAPVT VII. CONATVS SPECIMEN.

De

### Bellis et Potentia Scytharum.

Synopsis.

*Dicendorum nexus: vita SCYTHARVM, perpetua fuit militia: eius rei causa: bella Scytharum antiquissima ex IUSTINO: Iustini, in rationibus chronologiae, hallucinatio. §. I.*

*Erroris IUSTINI, CTESIAS auctor: idem confutatur: imperii Assyriaci nimiam illam antiquitatem, qui ex eruditibus conuulserint? §. II.*

*TANAI, Scytharum regis, ac SESOSTRIS Aegypti, res gesta recognoscuntur: SESOSTRIS Scythas sibi subiicit. §. III.*

*Dubium id IUSTINVS facit: nostra ea de re sententia, STRABONIS testimonio firmatur. §. IV.*

*An Colchi, a victore SESOSTRE conditi? nos negamus: IUSTINI pro nobis testimonium: PLINII ac VALERII FLACCI, locus: DIODORI suspecta fides; an ritus circumcidendi, pro Colchorum Aegyptiaca origine faciat? §. V.*

*SESOSTRIS fugiens, occasionem Scythis praebet Asia subiuganda: eos ab Aegypto paludes prohibent, quae ex DIODORO describuntur. §. VI.*

*De Asia a Scythiis primum subacta, IUSTINI locus: Scytharum in ea re moderatio. STRABONIS verbis illustratur. §. VII.*

*Altera Scytharum in Asiam impressio, verbis HERODOTI describitur. §. VIII.*

*Medos ea expeditione vincunt Scythae: iniuriam suis a Cyaxare illatam, ulciscuntur: inde Asia annis XXVIII licentiosius imperant. §. IX.*

*Aegyptum inuasuri, donis PSAMMITICHI regis arcentur: reduces Afcalone, templum Veneris vrania diripiunt, ac morbo femineo puniuntur: nostra, ea de re sententia. §. X.*

*Scytharum in Medos tyrannis, tristi euentu terminatur: HERODOTI in eam rem locus: an Ninus ciuitas, post necatos Scythas, a Cyaxare sit deleta? disputatur. §. XI.*

*Tertia Scytharum in Asiam expeditio: de ea desultorie IUSTINVS: ab IDANTHYRSO susceptam fuisse, ex STRABONE colligitur. §. XII.*

*Inde reduces Scythas, bellum feruile excipit, uxorum causa gestum: de earum indole quaedam: CLAUDIANI, de bello isto locus. §. XIII.*

*Bella, quae propulsarunt Scythas: CYRI in Scythas expeditio: causa eius belli atque prae-textus: CYRUS, TOMYRIDEM primo ambit; mox, dolo haud succedente, bello eam inuadit: TOMYRIDIS in auertendo bello solertia; CYRI stratagema, quo pars Scytharum vincuntur, Spargapise, reginae filio, capto: TOMYRIDIS indignatio: CYRVS cum exercitu deletur, cui TOMYRIS sanguine parentat. §. XIV.*

*DIODORVS eandem victoriam AMAZONIBVS adscribit: HERODOTI fides potior: De CYRI morte variantes auctorum sententiae: XENOPHONTIS, CICERONIS, LVCIANI, CTESIAE: Cyri epitaphium. §. XV.*

*Aliud CYRI bellum, aduersus Saens infelicitate gestum, ex CTESIA. §. XVI.*

*DARII in Scythas expeditio: eius causa ex IUSTINO: belli eiusdem historia ex CTESIA. §. XVII.*

*Eiusdem belli historia et causa ex HERODOTO: Scytharum consilium: DARII ad IDANTHYRSVM, Scytharum regem, nuncius: IDANTHYRSI responsum. §. XVIII.*

*Scytharum molimina aduersus DARIVM: quibus donis honorarint eundem: DARIVS non tentata pugna, fugam cepisset. §. XIX.*

*Scytharum, de Zopyrione, ALEXANDRI M. duce, victoria: dubietates, quae eam premunt: nostra sententia. §. XX.*

## §. I.

Dicendo-  
rum ne-  
xus.

Vita Scy-  
tharum  
perpetua  
fuit mili-  
tia.

**H**Vcusque Scytharum origines, primas sedes, migrationes, ingenia, atque mo-  
res, impensa, quantum fieri potuit, opera indagauimus: nunc deinceps,  
quæ bella, siue intulerint, siue propulsarint, explicabimus. Profecto, Scy-  
tharum vitam consideranti, obuium fit, totam eam perpetuum quasi quoddam mi-  
litia genus existisse. **LUCIANVS** a) *Solonem* introducit, hæc de Scythis nostris,  
*Anacharsis* obiiicientem: *Ἰμεῖς δὲ συγγνωστοί, ἐν ὄπλοις αἰεὶ βιῶντες. Τό τε γὰρ ἐν ἀφράκῳ*  
*οἰκεῖν, ῥᾶδιον ἐς ἐπιβελήν. καὶ οἱ πόλεμοι μάλα πολλοί, καὶ ἀδύλον ὅποτε τις ἐπιστὰς*  
*κοιμώμενον κατασπᾶσας ἀπὸ τῆς ἀμάξης φονεύσειεν.* Id est: *Vobis autem condonandum,*  
*quod semper armati viuitis. Nam in loco immunito habitare, insidiis est obnoxium, mul-*  
*taque ibi bella vigent: incertum etiam, quando superueniens quispiam dormientem, e*  
*plaustro pertractum, iugulet.* Hactenus recte, et vitæ illi generi, quod sectabantur  
Scythæ, congrue. Nam:

*Et latro, et cantus præcingitur ense viator,  
Ille sed insidias, hic sibi portet opem.*

Sed, quæ subiicit **SOLON**, non satis ingenio Scytharum conueniunt. *Ἡ τε πρὸς*  
*ἀλλήλων ἀπιστία ἀθαιρέτως, καὶ μὴ ἐν νόμῳ συμπολιτεύεσθαι, ἀναγκαῖον αἰεὶ τὸν σίδηρον ποιεῖ,*  
*ὅς πλησίον εἶναι αὐτοῦντα, ἢ τις βιάζοιτο.* Hoc est: *Quod etiam alii aliis ultro diffi-*  
*dunt, nec ullis legibus obstrictam ciuitatem incolunt, facit, ut ferrum semper sit necessa-*  
*rium, ut si quis vim inferret, ad propulsandam iniuriam præsto esset.* Tametsi enim  
ritu Græcorum legibus obstrictam ciuitatem, haud omnino habuerunt Scythæ, so-  
cietatem nihilominus, b) fide amicitia mutua, sanctius coluerunt, quam ipsi legis-  
latores Græciæ. *Iustitia gentis, inquit IUSTINVS, ingenii culta, non legibus. Nullum*  
*scelus apud eos furto grauius; quippe sine tecto munimentoque, pecora et armenta inter sil-*  
*uas habentibus, quid saluum esset, si furari liceret.* Iam si furari, atque grassari in pe-  
cora aliena, impune haud licuit Scythis, quis adfirmare audeat, mutuis iniuriis in-  
uicem defæuuisse, nisi vbi iusta belli ratio suberat. At enim vero, non sola hæc caus-  
sa fuit, ob quam perpetuo in armis erant Scythæ: nimirum, durari hac ratione vo-  
luerunt efficacius, quam Græciæ adolescentes, oleo, pulueribus et luto; ut essent  
in prælio expeditiores, neque facile armorum tractatione fatigarentur, atque a bel-  
lo temere discederent. Nos iam de rebus Scytharum gestis dicamus. Summatim  
breuiterque de iis **IUSTINVS**: c) *In relatione, inquit, rerum ab Scythis gestarum, quæ*  
*satis ampla magnificæque fuerunt, principium ab origine repetendum est. Non enim minus*  
*illustria initia, quam imperium habuere; nec virorum magis, quam feminarum virtute,*  
*claruere. Quippe quum ipsi Parthos, Bactrianosque; femina autem eorum, Amazonum*  
*regna condiderint: prorsus ut res gestas virorum mulierumque considerantibus, incertum*  
*sit, vter apud eos sexus illustrior fuerit.* Sed de Amazonibus postea, nunc de rebus  
Scytharum agamus. Antiquissimis temporibus, et cum nondum Assyriorum inua-  
luerat potentia, bellis longinquis claruisse Scythas, idem **IUSTINVS** d) prodidit:  
*Primus omnium Ninus rex Assyriorum, veterem, et quasi autum gentium morem, noua*  
*imperii cupiditate, mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resi-*  
*stendum populos, terminos vsque Lybia, perdomuit. Fuere quidem temporibus antiquio-*  
*res, SESOSTRIS Aegypti, et Scythia rex TANAVS. quorum alter in Pontum, alter vs-*  
*que Aegyptum excessit. Sed longinqua, non finitima bella gerebant; nec imperium sibi, sed*  
*populis suis gloriam, quarebant; contentique victoria, imperio abstinebant.* Obscurius hæc a  
**IUSTINO** dicuntur, huc tamen redit verborum sententia: **NINVM** inter mortales pri-  
mum existisse, qui finitimos bello cœperit subigere; antiquiores eo, **SESOSTRIM**  
Aegypti, ac **TANAVM** Scythiæ, reges, tametsi bellis inclaruerint, cum *Sesostri* in  
Pontum, *Tanaus* contra in Aegyptum vsque, armis victricibus peruaserit: longia-  
qua tamen eos gessisse bella, quibus non dominatio hominis vnus, sed vniuersi populi

eius rei  
causæ.

bella Scy-  
tharum  
antiquif-  
sima ex  
Iustino.

a) in Dialogo de *Gymnasiis* Edit. Amstelod.  
1687. Tom. II. pag. 293. 8vo.

b) Vide **LUCIANI** Dialogum, *Toxaris*

siue *Amicitia* nomine inscriptum, To-  
mo II. pag. 31. seqq.

c) Lib. II. cap. I.

d) Lib. I. c. I.

puli gloria, quærebat. Verum si TANAVS Scytharum rex, NINO creditur antiquior, non facile erit reperire, cui eum ætati, cum rebus, quas gessit, adscribere debeas. Namque Assyriorum imperii, cuius fundamenta iecit, quodque late idem propagavit NINVS, longior est duratio, quam quæ cum rationibus chronologicis possit subsistere. Imperium Assyrii, inquit IUSTINVS, e) qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere. Quod si credimus, initia eius, in diluuii seculum incidant oportet. Atqui, si fides sit IUSTINO, f) iam tum ante NINVM, per mille quingentos annos, vectigalem habuerunt Asiam Scythæ. His, inquit, Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit: pendendi tributi finem, Ninus, rex Assyriorum fecit. Ita vero Scytharum res gestæ, cum prima rerum origine, de antiquitate certabunt. Si enim a diluuiio, mille quingentos annos retrorsum subduxeris, ipsam Sethi natiuitatem, hoc est, annum ab orbe condito CXXX, anteuertes, quo iam Scytharum regem, siue is TANAVS fuerit, siue quicumque alius, iis oportuit esse viribus, ut vniuersam peruadere Asiam, ipsique Aegypto grauis esse, potuerit. Quæ quidem, quam sint absõna, et extra modum absurda, nemo non aduertit.

Iustini  
in ratio-  
nibus  
chronolo-  
gicis, hal-  
lucinatio.

## §. II.

Nempe, decepit TROGVM, vti plerosque alios, mendacissimus CTESIAS, qui primus, Assyriorum regno, tantam tribuit antiquitatem, ut eius initia, in idem seculum, in quod diluuium Noachi, incidant. Satis autem certo constat, cum ex silentio scriptorum antiquissimorum, MOSIS, auctoris libri IOSVÆ, IUDICVM, SAMVELIS, HOMERI (qui, si tam illustre fuisset Assyriorum imperium, ut totius fere Asiæ, per tantum tempus, fuerit positum, non potuissent non eius mentionem facere; nec passi fuissent, illi tam potentes reges, aut eorum præfecti, impune sibi eripi, florentissimas regiones a Iosua; tum ex testimonio HERODOTI, qui tradidit, Semiramidem, quinque generationibus floruisse ante Nitocrin, matrem Labyniti, quem Cyrus vicit, hoc est, vix ducentis annis ante Cyrum; regnum Assyriorum tum nondum fuisse ortum, cum a CTESIA scribitur deletum fuisse. Ne dicam, argue- idem con-  
re id inania regum, qui post Ninum, et eius vxorem commemorantur, nomina- futatur.  
Quando Aegyptus a Nino et Semiramide, si CTESIAE credimus, subacta, iugum hoc excussit? altum de his omnibus, in Aegyptiorum historia, silentium. Nihil falsius commentitia Assyriorum antiquitate. Propius ad veritatem accedere videtur, quod HERODOTVS g) prodidit, Assyrios Asiæ superiori imperasse annos DXX, cum Medi primi ab iis deficere cœperint. Quod tempus incidit in Troianum bellum, cum GIDEON iudex, Hebræis præesset. Hinc et Porphyrius, apud EVSEBIVM, h) Semiramidis ætatem, ad tempora Troiana refert. Alioquin, falsam illam Assyrio- Imperii  
rum regni antiquitatem, primus impugnavit HERMANNVS CONRINGIVS, lu- Assyriaci  
men Germaniæ, in aduersariis chronologicis, de Asiæ et Aegypti antiquissimis dy- nimiam  
nastiis; postea magnus VSSERIVS Armachanus, in annalibus veteris fœderis, labefa- illam an-  
ctavit, et tandem euertit illustris MARSHAMVS, in canone chronologico. i) Ista tiquita-  
ex sententia IOHANNIS GEORGII GRAEVII, summi viri, adnotasse placuit, ut tem, qui  
erroris origo, quo res gestæ Scytharum, in retrusam adeo reiciuntur ætatem, ma- ex erudi-  
nifesta fieret. Enimvero si falsa est, ac commentitia Assyriorum imperii antiquitas tis con-  
illa, proclive erit, de iis Scytharum rebus gestis, existimare, quæ longa annorum uulserint?

## §. III.

Iam, si de TANAI, Scytharum regis, expeditione illa, cuius meminit IUSTI- TANAI  
NVS, (neque enim ætate eius conuulsa, res gestas ideo negamus,) disquirandum Scytharum  
sit sollicitius, illam esse existimo, quam scriptor idem, VEXORIS, regis Aegypti, in- rum regis  
ac  
termini- Sesostris,

e) Lib. I. c. 2. fin.

f) Lib. II. c. 3. fin.

g) Lib. I. c. 95.

h) de Preparat. Euangel.

i) Sed pro antiquitate Assyriorum, ut iam alios taceamus, pugnat HUGO ROBINSONIVS, Annal. Mundi Lib. II. §. 46. quem vide.

Aegypti,  
res gestae  
recognoscuntur.

terminatione prouocaram, et tradit. Namque *Vexoris* iste *Sesostris* est, quod pridem aduerterunt eruditi, qui aetate iuxta et rebus gestis, cum *TANAOS*, Scytharum rege coniungitur: *Fuere*, inquit, *temporibus antiquiores*, *Sesostris* (vulgo *Vexoris* legunt,) *Aegypti, et Scythiae rex* *Tanaus*, quorum alter usque in *Pontum*, alter usque *Aegyptum* excessit. Accedit, quod *Asiae imperium* ter quassuisset *Scythas*, *IUSTINVS* k) memoret: *Imperium Asiae ter quassuere, ipsi perpetuo, ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere*: quod ubi dixisset, paucis interiectis, factam a *Vexori*, vel melius *Sesostri*, belli denunciationem describit: *Primus*, inquit, *Scythis bellum indixit Vexoris, rex Aegyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent*. Quam haec cum *Sesostri* illo, potentissimo rege *Aegyptiorum*, qui primus omnino bello *Scythas* lacessuit, concordent, nequit latere *historiarum peritos*. De eius expeditione, praeter *HERODOTVM*, l) prolixè *DIODORVS SICVLVS*, m) cuius locum, ne quis frustra requirat, adscribemus: *Αὐτὸς μετὰ τῆς δυνάμεως περὶ τὴν πορείαν ποιησάμενος, κατερέψατο πᾶσαν τὴν Ἀσίαν· ἔ μόνον γὰρ τὴν Ἑσπερίαν ἐπ' Ἀλεξάνδρου τῆ Μακεδόνος κατακτηθεῖσαν χώραν ἐπῆλθεν, ἀλλὰ καὶ τινὰ τῶν ἑθνῶν, ὧν ἐκεῖνος ἔ παρέβαλεν εἰς τὴν χώραν. Καὶ γὰρ τῶν γαγγῆν ποταμὸν διέβη, καὶ τὴν Ἰνδικὴν ἐπῆλθε πᾶσαν ἕως ὠκεανῆ, καὶ τὰ τῶν Σκυθῶν ἔθνη μέχρι ταναΐδος ποταμῆ, τῆ διορίζοντος τὴν Ἑυρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας· ὅτε δὴ φασὶ τῶν Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας περὶ τὴν Μελιῶτιν λίμνην συστήσασθαι τὸ τῶν κόλχων ἔθνος. Hoc est: Ipse terrestri agmen itinere promouens, Asiam totam subegit. Non enim prouincias solum ab Alexandro Macedone postmodum acquisitas, verum etiam gentes, quarum terras ille non adgressus est, inuasit. Nam et Gangem fluuium transiit, et Indiam ad Oceanum usque totam permeauit. Tum et Scytharum gentes subiecit, ad Tanaim usque fluuium, qui Europam ab Asia dispeccit, ubi Aegyptiorum nonnullos ad Maotim paludem relictos, Colchorum nationem condidisse tradunt. Plane hinc, profectiois et itinerum *Sesostris* rationes cognoscas. Nimirum ex *Aegypto* digressus, permeata, quae est inter *Euphratem* et *Tigrim*, *Asia*, ac transmissa postea *Gange*, fluminum illic maximo, *Indiam* perdomuit: postea vicinos *Indis* *Scythas*, flexo expeditionis itinere, adortus, sub iugum misit. De traiectu porro in *Europam*, ita habet: *Διαβάς δ' εἰς τὴν Ἑυρώπην καὶ διεξιὼν ἅπασαν τὴν Θρακίαν, ἐκινδύνηυτεν ἀποβαλεῖν τὴν δύναμιν, διὰ σπάνην τροφῆς καὶ τόπων δυσχωρίας. διόπερ ἕρπια τῆς στρατιᾶς ποιησάμενος ἐν τῇ Θρακίᾳ, σήλας κατεσκεύασεν ἐν πολλοῖς τόποις τῶν αὐτῆ κατακτηθέντων· ὑπ' αὐταὶ δ' ἐ τὴν ἐπιγραφὴν εἶχον Αἰγυπτίοις γράμμασι, τοῖς ἱεροῖς λεγομένοις. Τὴν δὲ τὴν χώραν ὄπλοις κατερέψατο τοῖς ἑαυτῆ βασιλεὺς βασιλέων, καὶ δεσπότης δεσποτῶν Σεσώσις. Id est: Transgressus porro in Europam et permeans uniuersam Thraciam, in amittendi exercitus periculum deuenit, ob annonae defectum, et locorum difficultatem. Idcirco terminis expeditionis in Thracia constitutis, cippos ubique terrarum bello acquisitarum erexit, sacris Aegyptiorum litteris, hoc verborum indicio, inscriptos: Hanc prouinciam armis suis deuicit rex regum, et dominus dominorum, Sesosis. Satis ad fastum! Illud grande impotentiae documentum est, quod sequitur: τὴν δ' ἐ σήλην κατεσκεύασεν ἔχουσαν αἰδοῖον, ἐν μὲν τοῖς μαχίμοις ἔθνεσιν, ἀνδρὸς, ἐν δὲ τοῖς ἀγεννεσὶ καὶ δειλοῖς, γυναικὸς. ἀπὸ τῆ κυριωτέρου μέρος τὴν διάθεσιν τῆς ἐκείων ψυχῆς φανερωτάτην τοῖς ἐπιγινομένοις ἐσεῖναι νομίζων. In cippis n) illis pudendum uiri, apud quidem strenuas gentes et pugnaces, apud ignauias autem et timidias, feminae, expressit. ex praecipuo hominis membro, animorum in singulis adfectionem posteris euidentissimam fore ratus. Nempe, digna τοῖς ἱεροῖς γράμμασι, sacris Aegyptiorum litteris, simulacra. Haec de *SESOSTRIS*, seu quemadmodum cum vocat, *SESOSIS*, expeditione, *SICVLVS*, quorum pleraque, non satis mihi probabilia videntur. An vero ista occasione, post subiugatos *Scythas*, *Colchorum* idem coloniam, *Aegyptiorum* quibusdam hic relictis, constituerit, cum de expeditione ipsa diximus, porro dispiciamus.**

J. IV.

k) Lib. II. c. 3.

l) Lib. II. 102. seqq. Edit. IACOBI GRONOVII, Lugd. Batau. 1715. fol. p. 125. seqq.

m) Bibliothecae historicae Lib. I. Edit. LAVRENTII RHODOMANNI, Hanouiae typis Wecheliani 1604. fol. p. 50. c.

n) Meminit titulorum *Sesostris*, *HERODOTVS* quoque, citato loco, seque eos vidisse dicit in *Syria* *Palastina*, καὶ τὰ γράμματα, τὰ ἐπιγεγραμμένα ἐπέετα, καὶ γυναικὸς αἰδοῖα, inscriptos, tum quibus dixi, litteris, tum mulieris genitalibus.

## §. IV.

Certe, dubiam SESOSTRI, vel si mauis cum vulgo legere, *Vexori*, victoriam *Dubium* de Scythis IVSTINVS o) facit, immo prorsus derogat. Eius verba recitabimus, vt *id Iustinus* possit aduerti, quam sint suspecta, quæ hæcenus ex SICVLO audiuius: *Primus facit.* Scythis bellum indixit Sesostris, rex Aegyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythæ, iam ante a finitimis de aduentu regis certiores facti, legatis respondent: Tam opulenti populi ducem, stolide aduersus inopes occupasse bellum, quod magis domi illi fuerit timendum: Igitur non expectaturos Scythas, dum ad se veniatur, cum tanto plura sibi in hoste concupiscenda sint, ultroque præda ituros obuiam. Nec dicta res morata, quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque, cum omni adparatu belli, relicto, in regnum trepidus se recepit: Scythas ab Aegypto paludes prohibuere. Hæcenus IVSTINVS. Dicam, quæ ad hunc locum vero videntur esse simillima. SESOSTRIS nimirum, suscepto aduersus remotissimas gentes *Auctoris* bello, siue per Indos, ad Scythiæ fines delatus, quod historiam DIODORI legenti, *ea de re* probabile fit; siue a Thracibus, apud quos finem expeditioni fecit, quod fere ex *sententia.* HERODOTO colligas, redux, Scythas bello tentare constituit. Igitur, missis legatis, bellum ne, an pacem, parendi obstrictam legibus, malint? cum gentem bellicosissimam importunius lacescit, omni opinione celerius, in se prouocat, qua ille rei nouitate, quod eam præter opinionem cadere videret, perterritus, deserto exercitu, ad suos se recepit. Ita ut sentiam, multa sunt in tota illa historia, quæ suadent persuadentque: quis enim credat Scythas, tot circa se gentium cladibus, si vera sunt, quæ de Sesostris victoriis prodiderunt auctores, non fuisse expergefatos, vt ante bellum compararent, quam a superbissimo rege inuaderentur? Accedit, monitos a finitimis fuisse, ne suis malis, cum tanta immineret belli tempestas, securi indormirent. Vt taceam plenam præfidentis animi orationem, qua lenones Sesostris a se acceptos dimiserunt Scythæ. Vnum illud contraire IVSTINO videtur, quod armis tamen a Sesoistre subactos Scythas Græci memorant. Sed erat ista Græcorum consuetudo, vt, de quibus præclaram conceperunt opinionem, eos illi extra modum extollerent admirarenturque, nihil subinde veriti, falsa, neque explorata satis, in historias referre. Recte de scriptoribus Græcis, quibus nunc magna pars antiquitatis creditur, tradit CICERO: p) *famam esse secutos, et mirabilia pleraque, sine auctoritate litteris mandasse.* Hinc IUVVENALIS: q)

## Quidquid Græcia mendax

## Audet in historia.

Quamuis Græcis opponere Græcos possimus. Certe STRABO r) grauiissimus scri- *Strabonis* ptor, fidem, ex Megasthene iubet derogare antiquis de India narrationibus: ούτε γὰρ *testimo-* παρ' Ἰνδῶν ἔξω σαλῖναι ποτε στρατιάν, ἔτ' ἐπελθεῖν ἔξωθεν καὶ κρατῆσαι, πλὴν τῆς μεθ' *nio fir-* Ἡρακλέους καὶ Διονύσου, καὶ τῆς νῦν μετὰ Μακεδόνων. καὶ τοὶ Σέσωστριν μὲν τὸν Αἰγύπτιον καὶ *matum.* Τεάρκωνα τὸν Αἰθίοπα ἕως Εὐρώπης προελθεῖν. I. e. Neque enim ab Indis foras missum exercitum nusquam; neque extrinsecus ingruisse et obtinuisse: excepta Herculis et Bacchi expeditione, et hac ipsa Macedonica. Sane Sesostrim Aegyptium, et Thearconem Aethiopem, usque in Europam processisse. Et mox: Ἰδάνθυρον δὲ τὸν Σκύθην ἐπιδραμεῖν τῆς *C* *Aτίας*

o) Lib. II. c. 3. SESOSTRIM eum regem esse, qui in obelisco, apud Ammianum Marcellinum Lib. XVI. dicitur RHAMESTES; ab Eusebio et Josepho, RHAMESSES; a Manethone, SETOSIS, recte docuerunt, Scaliger ad Eusebium, et H. Valesius ad AMMIANUM MARCELLINUM. Iltum Sesostrim autem esse Sefakum illum, qui templum Hierosolymitanum diripuit, dubitare nos non sinunt, quæ nobilissimus Marshamus, de eius ætate, in Aegyptiorum chronologia, disputauit accurate, in

Aegyptiaco canone. Nam ante hunc Sesostrim Aegyptii nihil præclari, patrios extra fines, gesserant, nec tam victoriis, quam cladibus fuerunt nobiles. quin in ipsa patria, sæpe peregrina Aethiopum et Arabum imperia, per aliquot secula sunt passi. Vid. Clar. I. G. Grauii notam ad Justinum Lib. I. c. 1.

p) Lib. VI. ad Atticum, Epist. 1.

q) Satyra X.

r) Lib. XV. Edit. Amstelodam. 1707. fol. Tom. II. p. 1007, A. B.

Ασίας μέχρι Αιγύπτου. τῆς δὲ Ἰνδικῆς μὲν ἀνατέτων ἀφασαται. *Idanthyrsum Scytham, factis in Asiam excursionibus, attigisse etiam Aegyptum, ad Indiam vero eorum neminem peruenisse.* Ergo Indos nequidem a limine salutavit, tantum abest, ut sub iugum miserit Sesostris. Idem de Scythis iudicium esto.

## §. V.

An Colchi a victore Sesostris conditi? negat auctor.

Iustini, pro auctore, testimonium:

Porro, si Colchi sunt Aegyptiorum colonia, non eas ab victore exercitu, sed deserto a rege, cum Scythas fugeret, constitutas existimauerim. Et auget sane verisimilitudinem HERODOTVS, s) cum subdubitat, victores ne Aegyptii, an longinquioris belli pertæsi, colonias in Colchide collocauerint. Ἐνθεῦτεν δὲ ἐπιστρέψας ὀπίσω, ἦν. Καὶ ἐπεὶ τε ἐγένετο ἐπὶ Φάσι ποταμῶ, ἐκ ἔχω τὸ ἐνθεῦτεν ἀτρεκέως ἐπιῦν, εἴτε αὐτὸς ὁ βασιλεὺς Σέσωστρις ἀποδασάμενος τῆς ἐαυτοῦ στρατῆς μόνιον ὅσον δὴ, αὐτὸς κατέλιπε τῆς χώρας οἰκητορας, εἴτε τῶν τινες στρατιωτῶν ἐν τῇ πλάνῃ αὐτῆ ἀχθεσθέντες, περὶ Φάσιν ποταμὸν κατέμειναν. φαίνονται μὲν γὰρ ἴοντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι νόησας δὲ πρότερον αὐτὸς, ἢ ἀκέρσας ἄλλων, λέγω. Id est: *Hinc (Thraciam intellige, in qua Sesostris, victoriarum terminum statuisse fertur,) digressus, retro abiit, et posteaquam ad Phasin flumen subsedit, pro comperto dicere non possum, an ipse rex Sesostris, diuiso suo exercitu, aliquantulum copiarum ad eam regionem incolendam reliquerit, an aliqui militum, pertæsi peregrinationis errorem, circa fluuium Phasin substiterint. Nam Colchi videntur Aegyptii esse, quod ipse prius cogitatum, quam ex aliis auditum, refero.* Verum non finit dubitare IUSTINVS: rex, inquit, in fugam vertitur, exercituque cum omni adparatu belli relicto, in regnum trepidus se recepit. Proinde, ab exercitu, deserto a rege, et a Scythis redacto in potestatem, non vero a Sesostris, quippe profugo, colonia ista constituta est; siue hos demum tractus, victores adtribuerint Aegyptiis; siue facta remigrandi potestate, longioris militiae pertæsi, felici adeo solo, fortunarum sedem lubentes constituerint. Enimvero: Ἀγαθὴ ἐστὶν ἡ χώρα, inquit STRABO, τ) καὶ καρποῖς (ὡλὴν τε μέλιτος, αἰκρίζει υ) γὰρ τὸ ὡλεόν) καὶ τοῖς πρὸς ναυπηγίαν πᾶσι· πολλὴν τε γὰρ καὶ Φύει, καὶ ποταμοῖς κατακομίζει· λινόν τε πιεῖ πλὴ καὶ κάναβιν, καὶ κηρὸν, καὶ πίττα. Id est: *Bona est regio, fructusque eius boni, melle demto, quod plerumque amaroris aliquid habet. Rebus etiam ad naues compingendas omnibus prædita est: multam enim materiam, cum ipsa producit, tum per amnes subuehit. Linum quoque producit copiosum et canabim, ceram et picem.* Quæ regionis diuitiæ, fabulæ aurei velleris, ansam dedere, sicuti alibi meminit STRABO: v) ὁ ὡλετός τῆς ἐκῆ χώρας ἐκ τῶν χρυσείων καὶ ἀργυρίων, καὶ σιδηρείων, δικάσιαν τινὰ ὑπαγορεύει πρὸ Φασιν τῆς στρατίας. Hoc est: *Diuitia regionis illius ex auri, argenti, ferrique metallis, iustam eius expeditionis causam ostendunt.* Quid? quod in Colchide, ea tempestate, quum istis regionibus Sesostris immineret, PLINIUS x) *Esubopem* regnasse narret, cuius ille immensas opes, aureas cameras, argenteas trabes, columnas atque parastatas, victumque ab eo commemorat Aegypti regem Sesostrim, tam superbum, ut prodatur, annis quibuscunque, sorte, reges singulos e subiectis iunxisse ad currum, sicque triumphasse. Ex quo PLINII loco, procliue ad coniciendum est, captiuos in Colchide, non colonos reliquisse Sesostrim, multoque minus expugnasse Scythiam. Atque hinc sunt ista VALERII FLACCI y) intelligenda:

et Valerii Flacci locus.

- - - - - cunabula gentis,  
Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Sesostris  
Intulerit rex bella Getis, ut clade suorum  
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem;  
Phasidis hos imponat agris, Colchosque vocari  
Imperet.

Nec

s) Lib. II. c. 103. 104. pag. 125.

t) Lib. XI. p. 762. A.

u) Certe, qui eo vescebantur, dementes reddebant. Lepida est historia, quam habet SICVLVS Lib. XIV. p. 259. seq. *Manomenon* inde dictum, vid. Plinii Lib. XXI. c. 13. Edit.

Lugdunenf. 1669. 8uo. p. 709. Conf. et RHODIGINVM Cap. XXX. 18. et Cap. XXXV. 23.

v) Lib. I. p. 77. C.

x) Lib. XXXIII. c. 3. p. 453. seq.

y) Lib. IV. vers. 415.

Nec quidquam auctoritatem DIODORI SICVLII 2) moramur, qui post victos Scythas, Colchorum hanc coloniam constitutam fuisse, scribit: ὅτε δὴ Φασί τῶν Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας, περὶ τὴν Μαιώτιν λίμνην συσίσασθαι τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος. Id est: ubi Aegyptiorum nonnullos ad Maotim paludem relictos, Colchorum nationem condidisse tradunt. Fuit enim liberalior in deducendis ex Aegypto coloniis SICVLVS. Sane, Iudæos \*) nihil dubitat ἀποίκους Aegyptiorum dicere, et cum Colchis coniungere: τῶν Κόλχων ἔθνος ἐν τῷ Πόντῳ, καὶ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἀνὰ μέσον Ἀραβίας καὶ Συρίας, οἰκῆσαι τινὰς ὀρμηθέντας παρ' ἑαυτῶν. διὸ καὶ παρὰ τοῖς γένεσι τέτοις ἐκ παλαιῆ παραδεδοῦναι τὸ περιτέμνειν τῆς γενομένης παίδας, ἐξ Αἰγύπτου μετανηγεμένους τῶ νομίμῳ: Colchorum nationem ad Pontum, et Iudæorum, Arabibus interiectōrum et Syris, ab Aegyptiis egressos, quidam condiderunt. ideoque per antiquam traditionem in usu his gentibus esse, ut pueros apud se natos, ritu ab Aegyptiis deriuato, circumciderent. Quam hæc de Iudæis dicantur absurde, nihil adinet monere. STRABO a) cum situs Colchidos describit, nihil de Colchorum istiusmodi origine meminit aliud, quam quod ii, qui cognatos Aegyptiorum esse credunt, id ex eo capite probent, quod more Aegyptiorum, linum tractent, canabimque: καὶ τινες βυλόμενοι συγγένειάν τινα τοῖς Κόλχοις πρὸς τῆς Αἰγυπτίας ἐμφανίζεν, ἀπὸ τέτων τις ἔνται. hoc est: qui Colchorum cum Aegyptiis cognationem demonstrare volunt, isto vtuntur argumento. Contra, a circumcissione virilium, argumenta petit, præter HERODOTVM, b) DIODORVS c) quoque SICVLVS: ὅτι τὸ γένος Κόλχων Αἰγυπτιακόν ἐστι, σημεῖον εἶναι τὸ περιτέμνεσθαι τῆς ἀνθρώπου παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπτον διαμένοντος τῶ νομίμῳ, ὡρὸ τοῖς ἀποίκους καθάπερ καὶ ὡρὸ τοῖς Ἰουδαίοις. Colchorum, inquit, nationem, ab Aegyptiis oriundam esse, hoc argumento docent, quod Aegyptiorum ritu circumciduntur. qui mos in colonia hac perinde, ut apud Iudæos, permanserit. Ab Aegyptiis ad Iudæos, tanquam eorum ἀποίκους, ritum circumcissionis manauisse, HERODOTVS quoque credit: μένοι πάντων ἀνθρώπων, Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες περιτέμνονται ἀπ' ἀρχῆς τὰ αἰδιόα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μαμαθηκένας. Soli, inquit, Colchi, et Aegyptii, et Aethiopes, ab initio statim pudenda circumcidunt: nam et Phœnices et Syrii, qui sunt in Palestina, didicisse ab Aegyptiis, ipsi fatentur. Adde, Troglodytas quoque, ab Aegyptiis et Aethiopibus discretos. De his SICVLVS: d) Αἰδιόα πάντες οἱ Τρωγλοδύται ὡρὸ ἀπλησίως τοῖς Αἰγυπτίοις περιτέμνονται. Hoc est: Genitalia, ritu Aegyptiorum vniuersi Troglodyta circumcidunt. At enimvero, debile id admodum, quin nullum, pro Colchorum cum Aegyptiis cognatione, ne dicam colonia, argumentum est; cum circumcissionis ritum, sicuti ad gentes ceteras, sic ad Colchos quoque, non ab Aegyptiis, sed Hebræis propagatum esse, certum sit, atque exploratum. Sane in Colchidem exules Israëlitas hunc adtulisse morem, quos in tractus boreales deduxerat Salamanassar, maxime vero consentaneum esse existimant eruditi. Sed satis esto de re, quæ forte nulla est. Saltem id nobis concedatur oportet: si Colchi sint Aegyptiorum coloniæ, non tam eos victoriæ Sesostris, quam Scythicæ in propulsando bello virtutis, monumentum esse; neque a victore, sed capto exercitū, conditas fuisse. \*)

Diodori  
suspecta  
fides.An ritus  
circum-  
cisionis,  
pro Col-  
chorum  
Aegy-  
ptiaca  
origine,  
faciat?

## §. VI.

Atque hæc, perdomitæ primū a Scythis Asiæ, occasio fuit. Enimvero, Scythæ, non contenti, sola aduentus sui fama, territum regem, in regnum se recepisse, captumque cum omni apparatu exercitum, in suam venisse potestatem; Asiam vniuersam peruadunt, atque tergo fugientis Sesostris imminentes, ad Aegyptum usque pertingunt, a paludibus impediti, quominus eam domare potuerint. Scythas, inquit IVSTINVS, ab Aegypto paludes prohibuerunt. Contra orator ille, apud CURTIUM, gloriatur: patuit nobis iter in Aegyptum. Sed gloriatio reuera fuit. Aegyptus namque, paludibus imperiis circumdata ea parte est, qua se infundere potuissent

Sesostris  
fugiens,  
occasio-  
nem scy-  
this præ-  
bet, Asia  
subiu-  
ganda.  
Eos ab  
Aegypto  
paludes  
prohi-  
bent.

C 2

2) Loco citato.

\*) Lib. I. p. 24. B.

a) Loco, quem nunc citauimus, p. 762.

b) Lib. II. c. 104. 105. p. 125.

c) Lib. I. p. 50. C.

d) Lib. III. p. 165. D.

\*) Chronicon Paschale, quindecim iuuenum bellatorum millia, in Persidem, ex Scythiæ regionibus, deduxisse adfirmat Sesostrim, id quod suo loco excutiemus sollicitus. Vid. edit. Parisiensem An. 1688. p. 47. A.

Quæ ex  
Diodoro  
descri-  
buntur.

Scythæ. Ita DIODORVS e) situs illos describit: *Quæ ad ortum vergunt, (qua accedere debuissent Scythæ,) partim amni (Nilo) obsirmantur, partim deserta sunt; et palustribus campis, barathra vocant, includuntur. In medio enim caua Syria et Aegypti lacus est, latitudine perquam angustus, sed profunditatis admiranda. Longitudo ad CC. stadia excurrit; nomen ei Serbonis. Si qui imperitia loci propius accedunt, periculis insperatis inuoluuntur. Strictus enim cum sit alueus, fasciæque similis, et vasta sabulosa littoris crepidine undique circumfusis, perpetuo Austri flatu, magna vis arenæ ingeritur, qua superficiem aqua obscurat, paludisque ad aspectum terræ ita similem facit, ut omnino discerni nequeat. Ideo multi, natura loci non præcognita, cum totis ibi exercitibus perire, cum a vero itinere aberrassent. Nam arena sensim calcata subter recedit, et velut ex industria quadam maligna, ingressos supplantat, donec quid euenturum sit, suspicati, mutuo se auxilio fulciant, fuga tamen et salute interclusa. Nam haustus a gurgite, neque enatare, cano motum corporis impediante, neque egredi valet, cum nihil sit, quo egressum sustentet. Cum enim arena cum humore permisceatur, et hac permixtione utriusque natura immutetur, fit, ut locus ille, neque vado, neque nauibus transiri queat. Huc ergo delati, quoniam nihil, quo se expediant, auxilio suppetit, subterlapsante cum ipsis a margine arena, ad ima pessum eunt. Hæc profecto fidem conciliant IVSTINO, paludibus ab Aegypto Scythas fuisse prohibitos, inprimis, quod itinerum ignari, ambages, quibus adibatur Aegyptus, neque poterant querere, nec volebant, in expeditione subitanea, et quam non tam consilio susceperant, quam belli propulsandi necessitate.*

## §. VII.

De Asia  
a Scythis  
primum  
subacta,  
Iustini  
locus.

Ceteroquin, de subiugata Asia, pergit IVSTINVS: *Inde reuersi, Asiam perdomitam, vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam victoria præmium, imposito. Quindecim annis pacanda Asia immorati, vxorum flagitatione reuocantur, per legatos denunciatis, ni redeant, sobolem se ex finitimis quasituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas interciderat. His igitur Asia, per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi Ninus rex Assyriorum finem imposuit. TANAI, Scytharum regis, hanc fuisse expeditionem, supra docuimus; ac proinde, ex more illorum temporum, non ad dominationem, atque tyrannidem, sed gentis gloriam, comparatam. Ita enim de Sesostri, non minus, quam TANAÏ, habet noster: longinqua, non finitima bella gerebant; contentique victoria, imperio abstinebant, nec imperium sibi, sed populis gloriam querebant. Excusatius forte, quam id moribus hodiernis fieri aduertat, quibus non satis est vicinos, eosque nihil tale vel meritos, vel opinantes, quoties lubido est, bello incessere, atque opprimere; nisi quidquid a belli calamitate residuum est, cum auri atque argenti, tum opum quarumque aliarum, id omne detractum sit miseris: tamen nec morem illum temere quis probauerit, cum bella non necessaria, folius cupiditate gloriæ, magna hominum opumque iactura, suscipiuntur, gerunturque: id enim reuera est, hamo piscari auro, et damnum, quod ita feceris, minuti pretio pisciculi sarcire. Sed Scytharum in imperandis tributis moderationem STRABO f) quoque laudat: Οἱ μὲν Νομάδες πολεμικοὶ μᾶλλον εἰσὶν, ἢ λιπεροὶ πολεμοῦσι δὲ ὑπὲρ τῶν φόρων. ἐπὶ τῶν ἐπιπέδων γὰρ ἔχον τὴν γῆν τοῖς ἐθέλωσι γεωργεῖν, ἀντὶ ταύτης ἀγαπῶσι φόρος λαμβάνοντες τὰς συντεταγμένους, μετρίως τινὰς ἐκ εἰς περιουσίαν, ἀλλ' εἰς τὰ ἐφήμερα, καὶ τὰ ἀναγκαῖα τῷ βίῳ· μὴ δίδοντων δὲ, αὐτοῖς πολεμῶσιν, ἔτι δὲ καὶ δικαίως ἀμα, καὶ ἀβίως ὁ ποιητὴς ἔρηκε τὰς αὐτὰς τέτας ἀδρακ. Hoc est: Nomades bello, quam atrocitatis magis sunt dediti; bella gerunt, propter tributa: agros enim suos, quibus lubet, colendos concedunt, contenti pro locatione certo stipendio, eoque non ad abundantiam, sed ad necessarios quotidiana vita usus, temperato: et non persoluentibus bellum inferunt. Ita simul et iustos, et minimo viuentes eos Poëta adpellauit. Quæ porro de Scythicarum mulierum legatione addit IVSTINVS, nescio,*

Scytharum  
in  
eare  
moderatio.

Strabonis  
verbis  
illustratur.

e) Lib. I. p. 18. C. Describit lacum *Sirbonis*, præter DIODORVM, HERODOTVS quoque Lib. II. c. 6. p. 90. Lib. III. c. 5. p. 161. STRABO Lib. XVI. p. 1107. Sed qui, momento CASABONO, *Sirbonim* paludem,

confundit cum *Asphaltite* lacu, a quo Iordanes ebibitur; denique PLINIVS Lib. V. c. 13. p. 276. nunc, inquit, est *palus modica*.

f) Lib. VII. p. 478. seq.

nescio, incontinentiane potius, an amoris, ac fidei coniugalis, sint documentum. Certe, maritorum genus, in posteros propagare velle, id vero laudis præclaram habet opinionem. Reliqua de longiore illa, et per mille quingentos annos continuata Scytharum in Asia dominatione, quod ultra veri fidem dicantur, supra confecimus. Neque enim, ante *Nini* imperium, tanto temporum lapsui locus esse potuit. Nempe, est iste scriptorum profanorum mos, ut de priscis hominibus, nihil, nisi quod grande sit atque inusitatum, memorent, quin fabulis contaminent omnia. Quomodo vero *Ninus* isto imperio depulerit Scythas, disputatu est difficile, in tanto auctorum, de re adeo memorabili, silentio.

## §. VIII.

Fuit hæc prima Scytharum in Asiam impressio, eo notabilior, quo diuturnior Altera eam dominatio consecuta est. *Alterius* non meminit *IUSTINVS*, quantumvis ter Scytharum in Asiam impressio est, ut grauiissimas sæpe res, quas credibile est, *TROGVM* fusius descripsisse, male truncatas adferat. Scythas nimirum, partim tenuis res, et necessitas, familiarumque multis modis diffusarum incrementa; partim insignis ille, et quiescendi nescius vigor, ac ostentandæ, apud exteros, virtutis cupido; partim dissensiones, uti fit, ciuiles, permouerunt, ut a suis denuo finibus digressi, alienos inuaderent. *Cimmerios* igitur primum, sua potius ignauia, et plebis facta a regibus secessione, quam Scythicis armis victos, regione pellunt, atque tergis fugientium insistentes, *Medos* adorti, sub iugum mittunt, Asiam ad Aegyptum vsque domant, rebusque adeo XXVIII. annis continenter potiuntur. Belli hanc occasionem prolixè *HERODOTVS* g) *Verbis* descripsit, cuius verba, nostra iam faciemus: *Fertur*, inquit, et alius sermo (de origine et incrementis Scytharum,) cui ipse præcipue adsentior: *Scythas Nomadas, qui Asiam describitur. incolunt, quum a Massagetis bello vexarentur, Araxe transmissio, in Cimmeriam transiisse. Nam regio, quam nunc Scythæ incolunt, ea fertur olim fuisse Cimmeriorum. Sed inuadentibus Scythis Cimmerios, quum deliberarent, tamquam magno irruente exercitu, in sententia diuersos fuisse, hinc reges, inde plebem: utraque quidem rigida, sed regum meliore; nam populus sentiebat bello abstinendum, nec oportere aduersus multos pugnando adire periculum; at reges, pro regione, cum inuasoribus pugnandum. Ita cum neutri alteri obtemperare vellent, et populus censeret sine pralio demigrandum, tradita inuasoribus regione: reges vero in sua potius patria occumbendum, nec vna cum plebe fugiendum censuisse; quot bona habuissent, et quot mala euidencia habituri essent patria profugi, reputantes. Hæc illos sentientes, in se decertasse, utrosque numero pares: et omnes, qui mutuis ictibus concidissent, fuisse a populo Cimmeriorum sepultos ad flumen Tyrem (et eorum adhuc sepulchrum exstat) sepultis illis populum e regione migrasse, quam desertam Scythæ superuenientes occupauerint. Exstantque adhuc in Scythia tum muri Cimmerii, tum portoria Cimmeria, tum regioni cuidam nomen Cimmeria est, et Bosphorus, qui Cimmerius adpellatur. Constat autem Cimmerios in Asiam venisse, cum fugerent Scythas, et Chersonesum condidisse, ubi nunc Synope, vrbs Græca, sita est. Apparet etiam Scythas in persequendis illis Mediam intrasse, via aberrantes. Nam Cimmerii quidem fugientes, iter semper secundum mare tenebant, Scythæ autem ad dextram Caucasum habentes, eos insequerantur, donec ingressi sunt Mediam, itinere in Mediterranea conuerso. Hæc ille. Neque est in dubium vocanda historici fides, cum et *STRABO* h) victos a Scythis Cimmerios tradat: *Ἐκέκτιντο δ' οἱ Κιμμέριοι μεγάλην ποτὲ ἐν τῷ Βοσπόρῳ δύναμιν. Δόπερ καὶ Κιμμεριὸς βόσπορος ἀνομασίῃ ἔτοι δ' εἰσὶν οἱ τῆς τὴν μεσόγαιαν οἰκόντας, ἐν τοῖς δεξιόις μέρεσι τῆς πόντου, μέχρι Ἰωνίας ἐπιδραμόντες. Τῆς μὲν ἔν ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων Σκύθαι τῆς δὲ Σκύθας Ἕλληνας, οἱ Πανηπῆλαιον, καὶ τὰς ἄλλας οἰκίσαντες πόλεις τὰς ἐν Βοσπόρῳ. Hoc est: Fuit quodam tempore magna Cimmeriorum in Bosphoro potentia, qui et Cimmerius ab iis dictus fuit. hi sunt, qui regiones continentis a dextra Ponti sitas, usque ad Ioniam, incursionibus vexarunt. Atque hos quidem Scythæ istis e locis expulerunt: Scythas Græci, qui Panticapeum, et alias in Bosphoro vrbes condiderunt. Reperias quoque, expeditionis huius mentionem, in *SCYMMI CHII* i) fragmentis:**

D

Koi

g) Lib. IV. c. 11. p. 226.

h) Libr. XI. p. 756. A.

i) Ex editione *THEODORIRYKII*, quam is, cum notis et castigationibus *LVCAE HOLSTENII* in*Stephanum Byzantinum* de urbibus, coniunxit. Lugduni Batavor. Anno 1692. p. 375.

Καὶ ταύτην τὴν πόλιν  
Μιλήσιοι κτίζουσιν, ἠνίκα Σκυθῶν  
εἰς Ἀσίαν στρατεύματα δέξθη βαρβαρον  
τὸ Κιμμερίως δῖον ἐκ τῆ Βοσπόρου.

Hoc est:

Et hanc Milesii  
Struxere tunc urbem, Scytharum barbarus  
Exercitus cum transiisset in Asiam,  
Sequens fugaces Cimmericos ex Bosporo.

Hæc igitur, si antiquis scriptoribus credimus, belli, cum aduersus Aegyptios, tum Medos, a Scythis suscepti, occasio fuit. At de ciuili inter Scythas Nomadas, atque Massagetas, bello, quo adacti sint Nomades, ut sedes nouas quærent, nihil alibi reperio. Neque tamen ideo fidem HERODOTO derogauerim: τοῖς τούτοις γὰρ, inquit STRABO, κ) καὶ ὁ τῶν ἄλλων νομάδων βίος αἰεὶ τοῖς πλησίον ἐπιτιθεμένων, τότε δ' αὖ διαλλαττομένων. Talis est enim Nomadum aliorum vita, subinde vicinos adorientium et pacem componentium. Poterant ergo Nomades primum laceffiuisse bello Massagetas, consobrinos suos, quibus propulsandis, cum ad vltimum non sufficerent, nouas ex nouo bello sedes, depulsis ita Cimmericis, quaesuerunt.

### §. IX.

Medos  
ea expe-  
ditione  
vincunt  
Scythæ.

Cum ita Cimmericos insequuntur Scythæ, in *Mediam* descendunt, neque dubitant, prælio cum gente potentissima decernere. CYAXARES tunc Medis præerat, patre Phraorte mortuo, finibus imperii dilatandis, vnice intentus: nouum enim adhuc Medorum erat imperium, a Deioce, auo Cyaxaris, in libertatem ab Assyriorum dominatu, vendicatum. Ita rem narrat HERODOTVS: 1) Cyaxares, tota supra Halin amnem Asia sibi conciliata, collectis suis omnibus, copias duxit aduersus Ninum, simul et patrem vlturus (in eadem enim expeditione, vna cum exercitu interierat) et ciuitatem ipse euersurus. Καὶ οἱ, ὡς συμβαλὼν ἐνίκησε τὰς Ἀσσυρίους, περικατημένῳ τὴν Νίον, ἐπὶ ἠλθε Σκυθῶν στρατὸς μέγας. ἦγε δὲ αὐτὸς βασιλεὺς ὁ Σκυθῶν Μαδύης, Πρωτοθύεω πατὴρ, οἱ ἐξέβαλον μὲν εἰς τὴν Ἀσίαν, Κιμμερίως ἐκβαλόντες ἐκ τῆς Ἑυρώπης, τῆτοισι δὲ ἐπισπόμενος Φεύγσι, ἔτω εἰς τὴν Μηδικὴν χώραν ἀπίκοντο. Hoc est: Ipsi porro, Assyriis prælio superatis, Ninum obsidenti, ingruit ingens Scytharum exercitus, duce Scytharum rege Madye, Protothya filio: qui Cimmericis ex Europa eiectis, in Asiam eruperunt: et dum illos fugientes persequuntur, ita in *Mediam* penetrarunt. Nescio, an vindictæ aliquid bellum istud traxerit. Enimvero, Cyaxares, Scythas quosdam, qui tumultu apud suos excitato, in *Mediam* se subduxerant, hospitio acceperat, atque benignius primum habitis, pueros suos, cum lingua Scythica, tum artificio potissimum arcu vtendi, imbuendos tradiderat. Hi venatione frequenti diu se regi probauerunt, ad vltimum verò, quod vacui subinde, vti fit, a venatu redirent, aspere nimium a rege tractabantur. qua illi rei indignitate permoti, inuito consilio, vnum e pueris, quos sibi traditos habebant, interficiunt, et Cyaxari epulanti, loco ferinæ, apponunt. ipsi perpetrato scelere, ad Lydos profugiunt. quæ res postea, quod Lydi Scythas dedere nollent, quinquennalis belli occasionem præbuit. Quidquid eius rei sit, Scythæ profecto iniuriarum impatientissimi semper sunt habiti, ut procliuè sit existimare, recruduisse ipsis offensarum memoriam, siue, quod Cyaxares profugos suos, hospitio acceperat, siue, quod semel acceptos, indignius habuerat quam pro gente Scythica. Verba porro HERODOTI, bellum illud persequentis, hæc sunt: οἱ μὲν Μηδοὶ συμβαλόντες τοῖσι Σκυθησι, καὶ ἐσσωθέντες τῇ μάχῃ, τῆς ἀρχῆς κατελύθησαν. οἱ δὲ Σκυθαὶ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν ἐπέεχον. Id est: Medi, cum Scythis congressi, prælioque victi, imperium Asia amisserunt. Scythæ autem vniuersa Asia potiuntur. Itaque, vixdum firmato penes Medos imperio, Asia denuo ad Scythas recidit, qui rerum potiti, annis XXVIII. li-

Iniu-  
riam  
suis a  
Cyaxare  
illatam,  
vltiscun-  
tur.

centio-

k) loco citato p. 779. B.

1) Lib. I. c. 103. p. 43.

centiosius imperitabant. Iterum m) HERODOTVS: ἐπὶ μὲν νῦν ὀκτὼ καὶ ἑκοσὶ ἔτεσιν ἤρχον τῆς Ἀσίας οἱ Σκύθαι καὶ τὰ πάντα σφί ὑπὸ τε ὕβριος καὶ ὀλιγωρίας ἀνάστατα ἦν· χωρὶς μὲν γὰρ φόρων, ἐπηρεσον παρ' ἐκάστων τὸ ἐκάστοισι ἐπέβαλλον. χωρὶς δὲ τῶν φόρων ἤρπασον περιελάυνοντες τῆτο ὅ, τι ἔχοιεν ἑκάστοι. Hoc est: Itaque octo et viginti annos Scythæ imperium Asiæ tenuerunt, quo tempore omnia iniuriose et superbe imperitando vastarunt. Siquidem præter tributa, tantum a singulis exigebant, quantum iis imposuissent: et tributis non contenti, singulorum etiam bona passim prædabantur. Hæc ille de libidine Scytharum.

## §. X.

Verum Scythæ, post victos Medos, Asiæque subactam, armis victoricibus, in Aegyptum, superiore expeditione frustra tentatam, contendunt. Ita HERODOTVS: Ἐνθίυτεν δὲ ἦσαν ἐπ' Αἰγυπτῶν καὶ ἐπ' αὐτῆς ἐγένοντο ἐν τῇ Παλαιστίνῃ Συρίῃ; Ψαμμίτιχος σφέας Αἰγυπτῶν βασιλεὺς ἀντιτάσας, δῶροισί τε καὶ λιτῆσι ἀποστρέπει πρὸς αὐτὸν μὴ πορεύεσθαι. Id est: Hinc in Aegyptum contendunt: iamque in Palestina erant, cum Psammitichus, cum muneribus et precibus occurrens, effecit, ne ulterius pergerent. Mirum! fortissimum Aegypti regem, et qui post Sesostrim solus, rebus apud externos gestis, emicuerit, nec tentato bello, precibus donisque, cum Scythis, egisse. Tanta iam tunc erat Scythicæ fortitudinis, an crudelitatis, apud remotissimas, iuxta et validissimas gentes, opinio. Et multum sane Psammitichi intererat, ut rerum per universam Asiæ dominos, Scythas, donis precibusque placaret potius, quam bello, cuius dubii sunt euentus, propulsaret. Neque minus Scythæ generosioris indolis, tametsi barbari fuerint, documentum exhibuerunt, cum quos armis in potestatem redigere poterant, supplices receperunt in clientelam. Illud porro circa Scytharum hanc, aduersus Aegyptum, expeditionem; sine obseruatione haud dimittendum est, quod substituisse aliquos Ascalone, vrbe Palæstinæ, memoret HERODOTVS, qui cum illic, sacrilego ausu, Veneris Vranicæ fanum temeravissent, morbo sint percussi femineo. Audiamus HERODOTVM: Scythæ vero regredientes, quum in urbem Palæstinæ Ascalonem peruenissent, plerisque, nullo illato damno, prætergressis, pauci aliquot relictæ, Veneris Vranicæ fanum spoliarunt, omnium, quantum quidem scio, huius Deæ templorum vetustissimum. At vero Dea ipsa, templi spoliatoribus, eorumque posteris semper immisit morbum femineum, quemadmodum et ipsi fatentur Scythæ, se videlicet illo morbo ob id laborare: et ab iis, qui in Scythiam veniunt, eo morbo adfectos conspici, quos Scythæ ipsi Enarcas, hoc est, execrationi obnoxios, appellant. Nihil adtinet, Poëtarum μύθεσ, de Venere cœlesti, huc aduocare; aliorum ista sunt adducta; nimirum, ut indicium hinc possit capi, celebri hac expeditione relictos passim Scytharum aliquos, qui siue soli, cælique natura, siue rebus illecti aliis, sedes, cum in Palæstina, tum et reliquis Asiæ regionibus, fixerunt. Id quod nunc monuisse sufficiat. Vrbs ipsa Ascalon, scripturis diuinius non minus, quam profanis auctoribus, nota, et partim superstitionis ethnicæ ritibus, quorum fuit tenacissima, partim ceparum ac cypri, vini que generosioris prouentu, celebris. Fuisse eam in regione Iuda, (licet primum inter vrbes tribus istius censa haud fuerit, sed capta demum progressu temporis) ex libro IOSVÆ, n) atque IVDICVM, o) liquido constat. De cepis, Ascalone primum satis, ita STEPHANVS, p) ἐν ἔθνηκοῖς Ἀσκαλων, πόλις Συρίας πρὸς τῇ Ἰουδαίᾳ. - - καὶ ἡ μὲν πόλις ἔστω πρώτων Φασί τὰ κρόμυα γενέσθαι. καὶ κατὰ τὴν Ἀλεξανδρείων συνήθειαν, Ἀσκαλωναῖα κρόμυα. Id est: Ascalon vrbs Syria iuxta Iudæam. - - hac vrbs est, ubi primum ortas cepas ferunt: et secundum morem Alexandrinorum, Ascalonia, significant, cepas. Et STRABO: q) Κρομμύων τ' ἀγαθὸς ἔστιν ἡ χώρα τῶν Ἀσκαλωνεστῶν, πόλις δὲ μικρὸν. Ascaloniensium regio ferax est ceparum, vrbs ipsa parua. Longus est in commendatione earundem PLINIVS, r) et alii multi, quos iam non

D 2

mora-

m) eodem loco, c. 106. p. 44.

n) Cap. XIII. 3.

o) Cap. I. 18.

p) p. 179. Edit. Abrah. Berkelii, fol. videlicet notam eius ad hunc locum, iuxta et LVCAE

HOLSTENII, edente Theodoro Rykio, p. 52.

q) Lib. XVI. p. 1101. A.

r) Lib. XIX. c. 6. p. 563. Vide omnino, quæ de Ascalone congestit diligentissimus HADRIANVS RELANDVS Palæstinæ suæ Lib. III. p. 586. seqq.

Auctoris  
ea de re  
senten-  
tia.

moramur. Vini Afcalonensis fit mentio ab ALEXANDRO TRALLIANO: \*) οἶνον δὲ προσφερέδωσαν τὸν Τύριον ἢ Ασκαλῶνα, καὶ μάλιστα τὸν παλαιὸν, καὶ γερωνίζοντα. Vinum, inquit, adsumant Tyrium, vel Afcaloniticum, in primis vetus, et senium referens. Eo hæc a me producuntur, vt quid de morbo femineo, quo Dea Afcalonitarum, Scythas, sui temeratores, adfixerit, sentiam, planius possim explicare. Ita vero existimo: latrocinantes Scythas, cum opimam prædam, ipsi etiam huic Veneri cælesti detractam, bacchabundi, vti adsolet, prodigerent, vino Afcalonitico meracius indulgentes, cepasque, familiare Scytharum condimentum, edentes intemperantius, morbum plerosque contraxisse, femineo non abfimilem, quem medicorum filii, Hemorrhoides vocant. Neque me fallit coniectura, quum inter morbi istius, (quin, si rite se habeant omnia, beneficium est naturæ) causas calidi potus, vini in primis generosioris, ceparum item atque allii intemperantio-rem vsu, equitationem porro, cum concussione abdominis vehementiori coniunctam, referri videam. quæ singula, quam bene in Scythas, quippe vinolentos, ac perpetuo equites, congruant, nemo non aduertit. Quam vero antiquis Scythis familiaris fuerit ceparum atque allii vsus, suo loco, ex HERODOTO commemorabimus. Sed ad bella Scytharum redeamus.

## §. XI.

Scytharum in Medos tyrannis, tristi euentu terminatur.

Herodoti in eam rem locus.

Tyrannis illa Scytharum, qua in Medos, quin Asiam fere vniuersam, octo et viginti annis, desæuiert, tristi euentu terminata est. Enimuero, cum licentiosos dominos ferre nequeunt Medi, facta coniuratione, quod armis non poterant, nouo hospitalitatis prætextu, perficiunt. Vsu didicerant Medi, vinosos fuisse Scythas, quod illi eorum vitium, in rem suam vertunt, ac liberalius inuitatos, vinoque sepultos, cum resistere non possent, plerosque interimunt, seque non tam virtute, quam inaudito hucusque maleficio, in libertatem vindicant. HERODOTVS:

S) Καὶ τῶτων μὲν πλεῖνας, Κυαξάρης τε καὶ Μῆδοι ξενίσαντες καὶ καταμεθύσαντες, κατεφύευσαν. καὶ ἔτω ἀνεσώσαντο τὴν ἀρχὴν Μῆδοι, καὶ ἐπεκράτειον τῶν πατρῶν καὶ πρότερον καὶ τὴν τε Νίνον ἔϊλον. Μετὰ δὲ ταῦτα Κυαξάρης μὲν, βασιλεύσας τεσσαράκοντα ἔτια, σὺν τοῖσι Σκύθαις ἤρξαν, τελευταῖα. Hoc est: Plerosque Cyaxares et Medi, hospitio acceptos, et inebriatos interemerunt. et hoc modo recepto imperio, iis, quæ prius obtinebant, sunt potiti, et Ninum ceperunt. Post hæc Cyaxares, vbi quadraginta annis, comprehenso Scytharum imperio, regnasset, vita functus est. cuius regnum suscepit Astyages filius. Indigna tam forti gente clades, vt, quæ non poterat ferro, vino vinceretur. Et erat hoc sane in Scytharum vitiis, vt vino citius, quam armis opprimerentur. cuius rei luculentum exemplum infra recurret. Interim fas est existimare, non vniuersum exercitum, ferali isto conuiuio, absumtum fuisse: plerosque scribit HERODOTVS, vt pronum sit suspicari, digniores tantum quosque, et qui regis ac primatum conuiuio poterant adhiberi, in hanc perniciem fuisse adductos; reliquos, sceleris nouitate territos, siue fuga salutem consuluisse, siue rebus desperatis, vltro imperio decessisse. Tam facile est, virtute partis, per impotentiam animi, non recte vti, et sobrietate moderationeque excussa, solui in intemperantiam. Ceterum quæ de capta euerfaque a Cyaxare Nino (sacræ litteræ Ninivem adpellant) post necatos ita Scythas, HERODOTVS tradidit, nescio, an tutam vndique fidem mereantur? cum et secutis temporibus, frequens eius mentio recurrat, et planum sit, non minus ex sacra, quam profana historia, vltra hæc tempora Assyriorum potentiam perdurauisse. Sane, ab Astyage, Cyaxaris filio, inito foedere cum Nabopolassar, Babylonici exercitus præfecto, iunctaque adfinitate, Ninivem Assyriorum metropolim, expugnatam fuisse, ex ALEXANDRI POLYHISTORIS fragmento, quod est apud GEORGIUM SYNCELLVM, satis constare potest. Nisi instauratam forte, post primam expugnationem, urbem opulentissimam, credas. quod et ipsum tamen difficile erit statuere, neque satis cum rationibus temporum concordabit. Nam, si credemus, Ninivem a Cyaxare fuisse captam, id vero tunc euenisse credamus, oportet, cum post excussum Scythicæ dominationis iugum erat potentissimus.

Postea

\*) Lib. VIII. c. 3.

s) Lib. I. c. 106. p. 44.

Postea filius Astyages, rerum potitus, vix poterat tam incuriosus paterni esse imperii, ut urbem, sibi inimicissimam, passus fuisset, e ruinis denuo instaurari. Saltem, dum id fieri posset, longioris interuallo temporis, opus erat, quam quod inter Cyaxaris mortem, et foedus Astyagis, initum cum Babylonis, intercessit. Difficile est enim, accisas semel vires, quin pessundatas penitus, ita per breue tempus resumere, ut possis victori denuo insultare. Proinde tentatam quidem a Cyaxare, et minutam quodammodo viribus, non vero deletam penitus Ninum, existimaue- rim. Id enim ab Astyage, sed Babyloniorum viribus adiuto, factum fuisse, iam notauimus, a quo illa casu non amplius resuscitata est. Ita STRABO: τ) ἡ μὲν ἐν Νίνος πόλις ἠφανίσθη. παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν. *Urbs ergo Ninus, post euersos Syros, extemplo deleta est.* Quod cum factum est, vix postea de urbis loco poterat constare. LVCIANVS, υ) quum Choron de urbe potentissima rogauisset, Mercurium hæc facit respondentem: ἡ Νίνος μὲν, ὃ πορθεῖν, ἀπώλωλεν ἦδη, καὶ εἶν ἔχνος ἔτι λοιπὸν αὐτῆς, εἰδ' ἂν εἴπωσι, ὅπερ πότι' ἦν. *Ninus quidem, Portitor! iam periit, neque aliquod eius vestigium superest, nec ubi sita fuerit, facile dixeris.* Et paulo post: Ἀποθνήσκουσι γὰρ αἱ πόλεις, ὡσπερ ἄνθρωποι: *Moriuntur enim etiam urbes, sicut homines.* Nos vero iam ad nostra redeamus.

## §. XII.

Duas Scytharum expeditiones, ad subiugandam Asiam susceptas, vidimus: nunc de tertia, (tot enim fuisse, sæpius ex IUSTINO audiuius) dicendum esset, nisi in re tam memorabili, auctorum nos testimonia deficerent. Solus de ea IUSTINVS: *Scythæ autem, tertia expeditione Asiana, cum annis octo, a coniugibus et liberis abfuisent, seruili bello domi excipiuntur.* Indignari subit animum, quod expeditionis solam mentionem, ex TROGO, Iustinus excipit, cuius, omni procul dubio, plenam ille exhibuerat historiam. Quis enim dubitet, toto octennio, quo durauit expeditio, nihil memorabile gessisse Scythas, præter seruile istud bellum, virtute sua oppido indignum. Reuera, cum IUSTINVS intempestiuo studio, laborem alienum in compendium mittere nitebatur, grauissimo auctore, iactura prorsus irreparabili, orbem fraudauit, ut operam eius, maleficium fas sit interpretari. Nisi me omnia fallunt, IDANTHYRSO, Scytharum regi, hæc adscribenda erit expeditio, cuius mentionem apud STRABONEM v) reperiō, ita scribentem: Ἰδάνθυρσον τὸν Σκύθην ἐπεδραμεῖν τῆς Ἀσίας μέχρι Αἰγύπτου. *Idanthyrsum Scytham, factis in Asiam excursionibus, adtigisse etiam Aegyptum.* Sed ne sic quidem de tempore expeditionis, aut quid ea, quoue successu, gestum sit, satis constat. Equidem, haud dubito, si non vniuersam Asiam, saltem partem eius nobiliorem, forte Mediam, nuper sua potius temulentia perditam, quam Cyaxaris recuperatam virtute, Scythas, ductu Idanthyrsi, occupauisse postliminio. Atque id, si coniecturas porro sequi velis, ea tempestate fieri oportuit, cum Astyages, Cyaxaris filius, atque idem Cyri auus, rerum potiretur, iamque Cyrus in eo esset, ut depulso auo, imperium penes Persas confirmaret. Neque iure quis auctorum ea de re silentium mihi obiecerit, cum palam sit, eos plerumque, summas tantum, atque insigniores, imperiorum conuersiones, quæ antiquis illis temporibus et ab hominum memoria retrusis, euenerunt, in litteras retulisse. Quicquid eius rei sit, certe, si octo annos Asiatica hæc abstulit expeditio, præclaras interea res a Scythis suscipi, geri, atque confici, oportuit.

Tertia Scytharum in Asiam expeditio De ea de sultorie Iustinus.

Ab Idanthyrso suscepam fuisse, ex Strabone colligitur.

E

t) Lib. XVI. initio, p. 1071. C.

υ) in Dialogo, cui χάρων vel Ἐπισκοπῶντες, hoc est, contemplantes, titulum præfixit, p. m. 359. 360. De Urbe Nino vide in sacris litteris, vatem Ionam; in historia extera, Diodorum Siculum Lib. II. p. 65. Strabonem Lib. XVI. initio; ex recentioribus S. C. Schurtzfleischium, peculiari dissertatione, de Nino urbe, quæ est disert. eius P. I. num. LII.

v) Lib. XV. p. 1007. C. IDANTHYRSVM vocat Herodotus quoque Lib. IV. ac filium dicit fuisse Saulii regis, qui Anacharsin interemit, ex quo loco, lucis nonnihil adfunditur, dubiæ alioquin ætati Idanthyrsi, et susceptæ per Asiam, in Aegyptum, expeditionis. Erat vero familiare, si non gentilitium, regibus Scytharum, Idanthyrse nomen.

tuit. Forte, quod apud CVRTIVM gloriatur orator ille, quodque de duabus prioribus expeditionibus, nequiuit adfirmari, *patuisse Scythis in Aegyptum iter*, Idanthyrfi temporibus melius conueniet, cum palam STRABO, factis per Asiam excursionibus, μέγχι Αἰγύπτου, ad Aegyptum usque, Scythas pertigisse, scribat.

### §. XIII.

*Inde reduces Scythas, bellum feruile excipit, vxorum causa gestum.*

*De earum indole quadam.*

*Claudiani de bello isto locus.*

Iam feruile bellum, quo sunt excepti, reduces ab Asiatica illa expeditione, Scythæ, ita porro IVSTINVS x) describit: *Coniuges, inquit, eorum, longa expectatione fessæ, nec iam teneri bello, sed deletos ratæ, seruis ad custodiam pecorum relictis, nubunt: qui reuersos cum victoria dominos, velut aduenas, armati finibus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythæ, mutare genus pugna, memores non cum hostibus, sed cum seruis praliandum; nec armorum, sed dominorum iure vincendos, verbera in aciem, non tela adferenda: omissoque ferro, virgas ac flagella ceteraque seruilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio, instructi, sicut præceptum erat, postquam ad hostes accessere, inopinantibus verbera intentant; adeoque illos perculerunt, ut quos ferro non poterant, metu verberum vincerent; fugamque, non ut hostes victi, sed ut fugitiui serui, capesserent. Quicumque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Hucusque IVSTINVS. Neque, in isto sexu, dignum admiratione est, tam diuturna maritorum absentia, lasciuiam fuisse prouocatam, cum non omnes sint Penelopæa castitate, quæ telam continenter texendo, et retexendo, pecorum expectationem, delusit, suæque pudicitia consuluit. Et erant sane mulieres Scytharum impatientiores moræ istiusmodi, quam pro soli, quod colebant, ratione: cum enim septentrionales, ob cæli atque aëris indolem frigidiorum, tardiores ad venerem esse consueuerunt; ipsæ, quod supra iam diximus, viris, pacandæ Asiæ intentis, per legatos interminari haud dubitarunt; ni redeant, sobolem se ex finitimis, (quod quidem gentium illarum moribus, honestius longe futurum erat, quam quod se mancipiis suis miscuerunt) *quisituras, nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus per feminas intercidat.* Scite CLAUDIANVS y) feruile istud bellum, in suam rem vertit:*

#### *Quid martia signa*

*Sollicitas? Non est iaculis hastisque petendus.  
Conscia succumbent, audito verberere terga.  
Ut Scythæ post multos rediens exercitus annos,  
Cum sibi seruilis, pro finibus obuia pubes  
Iret, et arceret dominos tellure reuersos,  
Armatam ostensis aciem fudere flagellis.  
Notus ab inceptis ignobile reppulit horror  
Vulgus, et addictus sub verberere torpuit ensis.*

### §. XIV.

*Bella, qua propulsarunt Scythæ.*

*Cyri in Scythas expeditionio.*

Fuerunt hactenus bella, quæ intulerunt Scythæ, nunc ea videamus, quæ sunt ab iis propulsata. Breuiter de iis IVSTINVS: z) *Darium Persarum regem, turpi a Scythia submouerunt fuga: Alexandri magni ducem Zopiriona, pari ratione cum copiis uniuersis, deleuerunt: Romanorum audiuerunt, non sensere arma.* Nos iam in recognoscendis bellis istis rationem temporum sequamur. Atque hic primo loco, CYRI illa expeditio in Scythas, nominanda est, de qua multa apud antiquos, Græcos imprimis, mentio. Nimirum, magnus Asiæ imperator CYRVS, qui felicitatis et potentia modum seruare non potuit, fretus magnitudine opum, et prospera superiorum temporum fortuna elatus, regni que amplius augendi cupidus, spreto meliore con-

x) Lib. II. c. 5.

y) Lib. I. in Eutropium, fine.

z) Lib. II. c. 3. initio.

consilio, duxit in Massagetas, et nouissimum, atque sibi exitiale bellum comparauit. Prolixe atque ingenue, causas belli non minus, quam euentum, descripsit HERODOTVS: \*) nam et speciem iuris, simulacrumque rei a vera causa distinctit, et consilii suscepti incitamentum ac modum ingeniumque Cyri auidum, et fiducia successuum sibi indulgens, gnauiter depinxit. Cyro, inquit, post hanc gentem ab eo subactam, incescit cupido Massagetarum in suam potestatem redigendi. et quibusdam interiectis: Massagetis Cyrus bellum inferre cupiebat, multis ac magnis sollicitatis incitatusque causis. Primum, natiuitate sua, quod videbatur maius quiddam homine esse: secundo loco, felicitate, qua fuerat usus, aduersus hostes. quamcumque enim gentem Cyrus inuaserat, ea gens nullo pacto poterat euadere. Et hæ sunt illæ ipsæ res incitantes atque instigantes, quibus, veluti stimulis agitati, cupidine, regnantium animi inardescunt. Postea simulatum petendi connubii negotium aperit, et quam vafre ea scena instructa sit, declarat: Erat autem Massagetarum regina, defuncto viro, Tomyris nomine. Hanc Cyrus per quosdam, quos miserat, simulatis verbis, ambiebat, uxorem sibi habere volens. At Tomyris, ubi non se, sed Massagetarum regnum ab illo ambiri animaduertit, accessum Cyro interdicit. Nempe dici hæc et credi volebat Cyrus, vt honesto matrimonii nomine, regnandi libidinem tegeter, reginamque hoc subtili commento, securam redderet, falleret incautam. Aperte vero satis ac tempestiue regina hanc fucatam et sibi regnoque perniciosam Cyri petitionem, ab interiori eius consilio propositoque discernit, et corruptelas muliebris delicatique moris procul habet, et sexu magis, quam animo, feminam præfert. Hinc ergo bellum conflatum est. Cyrus enim, pergit HERODOTVS, cum dolus non procederet, progressus vsque ad Araxem, palam, infesto cum exercitu, in Massagetas tendit, flumen pontibus iungit, quibus copias traiecit, factisque nauibus, turres desuper adificat. Hæ ergo belli causæ atque initia fuerunt. Nec segnior TOMYRIS. enimvero caduceatore misso, Cyrum ab aditu finium suorum grauius dehortatur. Ad quem, inquit HERODOTVS, Tomyris caduceatorem misit, qui diceret; rex Medorum, desine incumbere, in qua incumbis, nescius, an ista, qua constituisti, tibi conducibilia sint futura. omissa incepto, apud tuos ipsius regna, et nos sine finium, quorum sumus, principes esse. Quid? admonitionibus istis uti noles? et omnia quieti antepones? Atqui si tanto lacessendi Massagetarum desiderio teneris, agedum, omitte, quem fers, in consternendo pontibus fluuio, laborem, et nobis tridui itinere digressis, traiecito in nostram regionem, aut si mauis, nos excipere in vestram, tu hoc idem facito. Profecto supra feminæ indolem! Sed quum Cyrus, pacis cogitationibus abiectis, bellum comparare pergit: occurrunt ei Massagetæ. Cyrus, rem dolo adgressus, quod aperto Marte configere non auderet, instructis epulis, atque fuga simulata, Massagetas, in castra sua, paucis ad speciem resistentibus, pellicit, nec multo post, cum secure inibi agunt, et splendide epulantur, solutos negligentesque, quin immo vino sepultos, adoritur, plerosque cædit, plures, atque inter hos Spargapisen, reginæ filium, capit, custodiendumque curat. Tomyris, vt porro habet HERODOTVS, cognito exercitu, ac filii sui casu, misso ad Cyrum caduceatore, ita inquit: inexplibilis cruore, Cyre! ne spiritus tollas ex hoc, quod actum est. Si fructu vitino, quo ipsi distenti adeo desipitis, vt descendente in corpus vino, improba a vobis verba fundantur; si tali veneno filium meum vicisti, dolo, non praelio es superior. quare meum admitte consilium, bene tibi consulentis: abi, reddito mihi filio, ex hac regione, ferens impune, quod tertiam Massagetarum partem profligasti. Qua nisi feceris, per solem iuro, Massagetarum dominum, fore, vt ego te, etsi insatiabilem cruoris, tamen satiem. Cyrus Tomyridis hac interminatione, nihilo factus mitior, ceptis instare pergit. Interim Spargapises, ubi crapulam exhalauisset, breui indulgentia, vinculis solutus, simul ac manuum fit compos, indignæ captiuitatis radio seipsum interimmit. Quo audito, regina, dolore ac indignatione, arma ministrantibus, exercitum educit, cum hoste, tot populorum victore, nouo prorsus exemplo, congregitur, nec a pugna recedit prius, quam diu ac fortiter resistentem, vna cum exercitu suo, interimmit. Cyri cadauer, vt HERODOTVS memorat, inter casorum Persarum stragem ne pa-Tomyris, perquisitum, cum inuenisset, caput in virem demisit, quem humano cruore com-pleuerat: mortuoque insultans, inquit: Tu quidem mecum viuentis, et in pugna victricis filium,

Causse  
eius belli  
atque  
prætex-  
tus.

Cyrus  
Tomyri-  
dem pri-  
mo am-  
bit.

Mox dolo  
haud  
succe-  
dente,  
bello eam  
inuadit.  
Tomyri-  
dis in  
auerten-  
do bello  
solertia.

Tomyri-  
dis indi-  
gnatio.

Cyrus  
cum  
exercitu  
deletur,  
cui

Tomyris  
sanguin-

\*) Lib. I. c. 201. seqq. p. 81. seqq.

filium, perdidisti, dolo captum; at ego te, prout interminata sum, cruore saturabo. Ita Cyrus bellum, quod malis auctoramentis, ac peioribus longe consiliis susceperat, misera ac ingloria morte defunctus, magna Scythici nominis et potentiae accessione, terminavit.

## §. XV.

Diodorus eandem victoriam Amazonibus adscribit.

Herodoti fides potior.

De Cyri morte variantes auctorum sententiae. Xenophontis. Ciceronis.

Atque sic historiam belli memorabilis, HERODOTVS in litteras retulit, quem ideo sequuti sumus, quod meruit doctissimorum virorum consensionem. DIODORVS SICVLVS, a) grauissimus et ipse scriptor, hanc Cyri stragem, inter actus *Amazonum* refert, atque in eo discrepat, quod cruci suffixum a Scytharum regina, memorat: Κύρος μὲν γὰρ τῆ Περσῶν βασιλείῳσ πλείστον, ἰχίσαντος τῶν κατ' αὐτὸν καὶ στρατεύσαντος ἀξιολόγοις δυνάμεσιν εἰς τὴν Σκυθίαν, ἡ βασίλισσα τῶν Σκυθῶν τὸ, τε στρατόπεδον τῶν Περσῶν κατέκολε, καὶ τὸν Κύρον ἀιχμάλωτον γινόμενον ἀνεσάρωσε. Hoc est: Cum enim Cyrus Persarum rex, potentia omnes sua atate reges supergressus, validissimas in Scythiam copias expediuisset, regina Scytharum, exercitu Persarum profligato ac conciso, Cyrum in acie captum cruci adfixit. Sed HERODOTI b) vero videtur similior sententia, quam ille non temere amplexus est: τὰ μὲν δὴ κατὰ τὴν Κύρος τελευταίην τῆ βίης, πολλῶν λόγων λεγομένων, ὁ δὲ μοι ὁ πιθανώτατος εἴρηται. Cum, haec, inquit, de Cyri vita exitu: de quo cum multa referantur, is, qui mihi maxime vero similis videtur, a me commemoratus est. Et sane consentiunt cum HERODOTO, praeter IUSTINVM, cuius verba iam dedimus, VALERIVS MAXIMVS c) atque christianus ille Sallustius, SVLPICIVS nimirum SEVERVS. d) STRABO e) paucis rem complexus est: *Μασσαγέται δ' ἐδήλωσαν τὴν σφετέρην ἀρετὴν ἐν τῷ πρὸς Κύρον πολέμῳ πρὸς ὧν θρυλλῆσαι πολλοὶ, καὶ δεῖ πυνθάνεσθαι πρὸς ἐκείνων. Massageta suam fortitudinem demonstraerunt in bello, aduersus Cyrum: de quo multi narrationes inuulgauerunt, quos audire licet.* Interim, bellum fere idem, de quo HERODOTVM audiuimus, ad Sacas quoque transfert STRABO, quae et ipsa natio consobrina Scythis fuit; sed victoriam penes Cyrum stetit memorat, vsum stratagemate consimili, quale HERODOTVS prodidit. Et difficile sane est, si ab HERODOTI narratione discesseris, de belli huius περιπέσει pronuciare, ita auctorum discrepant sententiae. In primis variant scriptores, cum mortem Cyri referunt. XENOPHON f) certe, fato, ad miraculum vsque placido, tradidit defunctum, credo equidem, non tam vt historiam scriberet veram, quam vt ἐθανασίως consummatam quasi quandam imaginem, ex suo iudicio, fingeret. Enimuero diuinitus per quietem de morte admonitum scribit, ac longa mox oratione, qualis a moribundo vix queat expectari, ad filios et amicos habita, ταῦτ' inquit, εἰπὼν καὶ πάντα δεξιωσάμενος συνεκαλύψατο, καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν quae cum locutus esset, atque omnibus dextram porrexisset, obuelabat sese, ac vitam cum morte commutabat. XENOPHONTI adsentiri videtur CICERO, g) cum inter robustae senectutis exempla, Cyrum commemorat: *Cyrus, inquit, eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat se vnquam sensisse senectutem suam imbecillio-rem factam, quam adolescentia fuisset.* Sed Xenophonta, ipso Cicerone auctore, suam Κύρος παιδείαν, non ad historiae veritatem, sed ad imaginem iusti ac clementis imperii scripsisse; et cum doctrinam virtutum, cum rei militaris scientiam, persecutum esse, certum est. Non ergo tam ad historiam CICERO in hac Cyri mentione, quam ad virtutis argumenta, quae ex XENOPHONTE peti possunt, respexisse, existimandus est. Quorsum et disputatio de immortalitate animorum, quam ex eadem Cyri oratione decerpit, pertinet omnino. Ceterum LVCIANVS h) non a XENOPHONTE tantum, sed HERODOTO etiam, et qui hunc sequuntur, palam dissentit, cum scribit: *Κύρος, ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὁ παλαιός, - - ἑκατοντάτης γινόμενος, ἐζήτει μὲν ἓνα ἕκασον τῶν Φίλων. Μαθὼν δὲ τὰς πλείους διεφθαρμένους, ὑπὸ Καμβύσε, τῷ υἱέος, καὶ φάσκοντος Καμβύσε κατὰ πρόβσταγμα τὸ ἐκείνη ταῦτα πεποιηκέναι, τὸ μὲν τι πρὸς*

a) Lib. II. p. 128. C.  
b) Lib. I. c. 214. p. 86.  
c) Lib. IX. 10.  
d) Lib. II. 13.  
e) Lib. XI. p. 780. C.

f) Cyropædias Lib. VIII. p. m. 184. ad 188. edition. IOH. LEVINKLAVII, Basilæ 1579.  
g) in *Catone* maiore, siue *de Senectute*.  
h) in Macrobiis, Tom. II. p. 470.

πρὸς τὴν ἀμύτητα τῆ ἡ διαβληθεὶς, τὸ δὲ τι, ὡς παρανομῆντα αὐτὸν ἀντιασάμενος, ἀθυμῆσας, ἐτελεύτα τὸν βίον. *Cyrum maiorem, Persarum regem, centum annos natum, cum unumquemque amicum requisivisset, ac plerosque a Cambysē filio, qui ipsius iussu id se fecisse diceret, interfectos cognovisset: partim odio crudelitatis filii, partim suarum iniuriarum pertasum, pra animi aegritudine exspirasse.* At CTESIAs i) in bello, non cum Massagetis, sed Derbicibus gesto, ictum iaculo, triduo post decessisse scribit: *Cyrus, inquit, adversus Derbices expeditionem suscepit, quorum rex erat Amoreus: at Derbices ex insidiis producant elephantēs, ac Cyri equites fugant, ubi ipse Cyrus ex equo cecidit, et quidam Indus [nam Indi Derbicibus in bello opem ferebant, a quibus etiam acceptos elephantēs in bellum ducebant.] Hic igitur Indus, quum Cyrus iam cecidisset, eum iaculo vulneravit sub coxa in femore, ex quo vulnere postea mortuus est. Tum vero ipsum adhuc vivum, cum familiares sui erexissent, ad castra profecti sunt. Recedunt haec ab iis, quae ex auctoribus aliis adtulimus, ac mihi quidem multum habere dubietatis videntur. Quomocunque se res habeat, illud ex hac quoque narratione, palam fit, Cyrum violento mortis genere, quippe ex vulnere faucium occubuisse. Nimirum ludere saepe videas historicos, non minus, quam poetas, narrationum varietate, atque id in rebus etiam non parvis. Ceteroquin, si vnicum excipias XENOPHONTA, huc omnium auctorum sententia redit, fato, minus propitio, functum esse Cyrum, quam nostram sententiam PHILOSTRATVS k) quoque amplectitur. Neque iam moramur Cyri epitaphium, quod auctores quam plurimi Cyri epitaphium. exscripserunt; poterat enim tanti regis cadauer, victis permitti ad sepeliendum, aut eo etiam absente, tumulus excitari honorarius. nam id quoque in more positum erat l) antiquis, ut inania busta, et ubi nullae intus positae erant reliquiae, exstruerent. STRABO m) inscriptionem monumenti ex ARISTOBVLO hanc refert: ὦ ἄνθρωπε, ἐγὼ Κύρος εἰμι, ὁ τὴν ἀρχὴν τοῖς Πέρσαις κησάμενος, καὶ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς μὴ ἐν φθονήσῃς μοι τῆ μνήματος. Id est: *O homo! ego Cyrus sum, qui Persis imperium paravi, et rex Asia fui. Ne igitur mihi monumentum inuideas.* Et aliam ex ONESICRITO: ἐνθάδ' ἐγὼ κείμεν Κύρος βασιλεὺς βασιλέων. Hoc est: *Hic ego Cyrus situs sum, rex regum.* Ut iam illud apud PLVTARCHVM n) et ARIANVM, o) in eandem fere sententiam, taceamus.*

## §. XVI.

Opportune tandem, a Cyri isthoc bello, discederemus, nisi CTESIAs, cum *Aliud Cyri bellum, adversus Sacas infelicititer gestum, ex Ctesia.* mortem summi regis prosequimur, alius quoque belli, cum Sacis, gente Scythica, infelicititer gesti, nos commonefaceret. Ita vero ex eo PHOTIVS: *Tradit etiam bellum, adversus Sacas infelicititer gestum, ex Ctesia.* (Ctesias) *Cyrum cum \*) Sacis bellum gessisse, et Amorgen Sacarum regem, Sparethra maritimum, cepisse: eam autem capto marito, exercitum coegisse, bellumque Cyro intulisse, et virorum quidem trecenta millia, mulierum vero ducenta, in aciem eduxisse, et Cyrum superasse, vivumque eum cum aliis cepisse: itemque Parmisem, Amytis fratrem, et tres eius filios, propter quos postea Amorgen liberatum fuisse. Tradit, etiam Cyrum Amorgis ope adiutum, Craeso et Sardibus bellum intulisse.* Non ergo vllam vnquam Scytharum gentem, siue vicit penitus, siue sub iugum misit Cyrus; sed si CTESIAE credimus, Sacarum

i) in Persicis, apud PHOTIVM. Floruit vero CTESIAs temporibus Cyri, Dario et Paryfatide, geniti. eius Persica Lib. XXIII. continebantur: fere in omnibus repugnantia HERODOTO narrat. quin dissentit quoque in nonnullis ab historia XENOPHONTIS. vid. *Biblioth. Photii.* Ceterum Derbices, qui fuerint, docet STEPHANVS BYZANTINVS: Δερβίικαι, ἔθνος πλησίον τῶν Ἰρρακίων. *Derbicae, gens Hyrcanis vicina.* Plura, vide in notis *Holstenii ad Stephanum*, et apud *Salmasium in Solinum.*

k) in Heroicis. Sed IOHANNES ANTIQ-

CHENVVS, praelio navali occubuisse Cyrum, scribit, an consentientibus persicis, dubito.

l) SVETONIVS in Claudio. c. I. editionis *Pitisci.*

m) Lib. XV. p. 1062. A. B.

n) in Alexandro p. 703.

o) de expeditione Alexandri Lib. VI. Plura de Cyro, dabit pro more suo, hoc est, docte atque eleganter elaborata, C. S. SCHVRTZFLEISCHIVS disput. LIX. quem consule.

\*) Forte idem istud bellum est, quod STRABO Lib. XI. p. 780. describit, et cum Massagetico illo confundit.

carum armis, multum ad eam gloriam, quam sibi parauit, profecisse censendus est. Præterquam enim, quod Crœsum, Scythicis auxiliis fretus, vicit, certe in ultimo belli discrimine, quod cum Derbicibus inauspicato gessit, letali accepto vulnere, obritus, cum vniuerso exercitu, fuisset, nisi Sacarum idem rex Amorges, laborantem Cyri fortunam, sustentasset. Qua de re iterum CTESIAS apud PHOTIVM: *Amorges vero cum audiisset, quod Cyro contigerat, festinanter venit, Sacarum equitum viginti millia ducens. et cum Persæ ac Derbices inter se conflixissent, tam strenue Persæ ac Sacæ pugnarunt, ut penes eos victoria fuerit: interfecto Derbicum rege Amora, cum duobus eius filiis. Occubuerunt autem Derbicum triginta millia, Persarum nouem millia, et regio in ditionem Cyri cessit.* Certe, si CTESIAM audias, ab ultimo dedecore Cyri nomen vindicauit *Amorges Sacus.* quam ille operam faucius, ac morti proximus tanti fecit, ut eius amicitiam, filiis, inter quos regna fuerat partitus, cum imprecatione, si fecus fecissent, commendauerit. Iterum CTESIAS: *Quin etiam illos (filios suos) et mutuo, cum Amorge dextras in amicitia testimonium iungere voluit: et illis quidem, qui in mutua benevolentia permanerent, omnia fausta precabatur: at illos, qui priores iniuriam illaturi essent, deuouebat.* His dictis diem suum obiit, tertio, a vulnere accepto, die, quum annos triginta regnauisset. Vtriusuis ergo fidem sequare, HERODOTI vel CTESIAE, multum ad Scytharum laudem accedet: ille enim Cyrum, virtute Tomyridis victum; hic, ne bello Derbico, periret inglorius, seruatum ab Amorge, tradidit. Haftenus de Cyri bello: iam ad Darii expeditionem veniamus.

## §. XVII.

Darii in  
Scythas  
expeditio.

Eius  
causæ ex  
Iustino.

Belli  
eiusdem  
historia  
ex Ctesia.

Mitior fortuna DARIUS aduersus Scythas usus est. quantumuis enim octoginta millium exercitum amiserit, felix tamen censendus, quod suam ipsius vitam non prodegit. De ea expeditione ita IUSTINVS eo loco, vbi summam bella a Scythis propulsata, recenset: *Darium regem Persarum turpi a Scythia submouerunt fuga.* Et alibi fusius: p) *Post hæc, inquit, pax apud Scythas fuit, usque tempora Iancyræ regis. Huic Darius rex Persarum, sicut supra dictum est, cum filia eius nuptias non obtinisset, bellum intulit, et armatis septingentis millibus hominum, Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugna potestatem, metuens, ne, interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum, trepidus refugit: qua iactura, abundante multitudine, inter damna numerata non est.* Habes hic, cum expressam regis, cui illatum bellum est, mentionem, tum causas operosæ ancipitisque expeditionis. regem vocat IANCYRVM, an recte satis, ambigunt eruditi: hinc *Ianthyrum* repouunt aliqui, paruo discrimine. Sed VOSSIVS, et SALMASIVS, ac cum his, GRAEVIUS, *Idanthyrum*, vel *Indathyrum*, legunt. Equidem, *Idanthyrum* fuisse dixerim, sed alium forte, quam cuius supra ex STRABONE meminimus, et quem inter eos reges, quos bello persequebatur Darius, HERODOTVS primo loco nominat. SCYTHARCEM fuisse, CTESIAS scribit, penes quem, cæsis octoginta millibus, Dario fugiente, victoria quoque steterit. Sed non vnum gentis vniuersæ fuisse regem, infra ex HERODOTO docebimus. nunc locum CTESIAE, qui est in eclogis apud PHOTIVM, de isto Darii bello, residuus, adscribamus. *Darius, inquit, Ariaramnem, Cappadocia Satrapam, aduersus Scythas proficisci, et viros feminasque captiuos abducere iubet. Ille autem cum triginta nauibus, quinquaginta remorum, traiciens, id exequutus est. Comprehendit autem et fratrem regis Scytharum Marsagetem, quum eum a suo fratre, ob male administratum munus, in vincula coniectum, inuenisset. At Scytharces, Scytharum rex, iratus litteras Dario scripsit contumeliosas; et similiter ei responsum est. Darius tandem octingentorum millium exercitu coacto, et Bosphoro Istroque, ponte iunctis, aduersus Scythas profectus est: ac quindecim dierum itinere profectus, sibi mutuo sagittas miserunt. Sed cum Scythici validiores essent, Darius pontes transiit, atque festinanter dissoluit, antequam totus transiret exercitus: quare Scytharces, octingenta illa hominum millia in Europa relicta, interfecit.* Diuersa hæc est, ab illa IUSTINI, narratio. Præterquam enim, quod causas belli adeo sumtuosi tacet, de fortuna profecto Darii mitius, quam res erat, scripsisse mihi videtur. IUSTINVS nimirum,

ob

p) Lib. II. cap. 5.

ob negatas filiae nuptias, bellum concitauisse Darium scribit, quae et Cyro causa fuit, ut bellum aduersus Tomyridem, compararet. Et erant sane, non antiquis tantum temporibus, sed propioribus etiam ad aetatem nostram, familiares bellorum causa, quae a negatis nuptiis repetebantur. Superiori aeuo, aliquid huius simile, ELISABETHA Angliae regina praebuit, cum connubium ex ratione ciuili auersata est, quando se peti quidem a procis, sed regnum destinari, perspiciebat. q) Sed quia de belli hac causa, quae sit a nuptiis petita, silent auctores ceteri, qui rem eandem memoriae prodiderunt, in eam indagare, superuacaneum existimamus. In eo CTESIAE, cum IUSTINO conuenit, quod amissorum iacturam, eodem uterque numero definiat.

## §. XVIII.

Longe aliam bello causam praetexit HERODOTVS, qui et in describendo eodem prolixissimus est. Ac de causis quidem belli sic habet: *Post Babylonis expugnationem, Darius aduersus Scythas expeditionem facit. Nam cum floreret uiris Asia, et magno pecunia prouentu, cupido incessit et Scythas ulciscendi: quippe qui priores iniuriam causae intulissent, cum Mediam ingressi, eos, qui occurrerant, praelio uicissent.* Hoc uero Cyaxaris temporibus euenisse, supra iam notauimus. Sed obtentus reuera hic fuit, non causa belli; cum non obscure innuat HERODOTVS, dominandi potius, ac ostentandarum uirium cupidine, quam iustae ultionis gratia, Darium, ad hoc bellum animum adpulisse. Quorsum enim illa florentis Asiae uiris iuxta et pecuniae prouentu, commemoratio pertinet? Nimirum, solent reges, cum eos bellandi insana cupiditas urget, undiquaque argumenta conquirere, ut bello iustas causas praetexant: a quo quidem crimine haud abfuisse Darium, non est opus demonstrare. Postea apparatus belli describit HERODOTVS, in quo, praeter inconditam hominum multitudinem (erant enim in exercitu eius septingenta hominum millia, ex iis gentibus coacta, quibus ea tempestate Persae imperabant) iniecti Bosporo, atque Istro, pontes, inusitato hucusque opere, eminebant. Itum ergo est ad bellum, periculosa alea plenissimum. Thraces ac Getae, primum resistere ausi, nullo negotio obteruntur. Transmisso demum Istro, Scythis imminere occipit Darius, qui societate belli cum Gelonis, Budinis, ac Sauromatis, inita, quod ex re futurum erat, tempestiue consulunt, et qua profecturum credebant Darium, fontes obturant, atque gramina, pabulaturis futura idonea, corrumpunt: ipsi per earum gentium regiones, quae belli societatem respuerant (in his erant, Agathyrsi, Neuri, Androphagi, Tauri et Melanchlani) retrocedentes, Darium tergis insistentem, in intimam Scythiam, pertrahunt, ut peregrinationi expeditio illa similior fuerit, quam bello. Denique fatigato Dario, Scythis pugnae potestatem non facientibus, Darius ad Indathyrsum, Scytharum regem, misso equite, *Virorum, inquit, miserrime, cur assidue fugis, quum liceat tibi facere horum alterutrum? si tibi uideris idoneus ad resistendum negotiis meis, siste cursum, ac perstans mecum fac praelium: sin agnoscis te imparrem esse, sic quoque siste cursum, et hero tuo munera offerens, terram atque aquam, in colloquium ueni.* Respondit INDATHYRSVS quoque, sed pro gentis more, ut satis intelligere posset Darius, quam contemtim a Scythis, per vastas solitudines errare solitis, haberetur. *Sic res meae habent, inquit, o Persa! ut neque ullum mortaliu ego metuens, ante fugerim, neque nunc fugiam te, nec quidquam faciam diuersum nunc, utque in pace facere consueueram. Cur autem non protinus tecum ineam praelium, hoc quoque tibi declarabo: nobis neque oppida sunt, neque agri culti, quos inuadi aut vastari metuentes, properemus uobiscum conferre pugnam.* Adeo nimirum secura est paupertas, quum

*Eiusdem belli historia et causae ex Herodoto.*

*Scytharum consilium.*

*Darii ad Indathyrsum nuntius.*

*Indathyrsi responsum.*

q) Qua de re, videatur GVIL. CAMDENVS, et EVERARDVS REIDANVS, sciti prudentesque scriptores. Omnino frequens erat, ut ex negato connubio, bella orirentur. nota sunt ex sacris litteris, *Samsonis* aduersus *Philistaeos* irae, in caedes eorum desinentes, quod nupta sua, contra datam a

patre fidem, alteri fuit collocata, vid. Iud. XV. 2. 3. *Amasis* regis Aegypti filiam, *Cambyses*, Cyri filius, expe-tebat, pro qua, cum ei *Nitētis*, Aprii antecessoris nata, mittitur, *Cambyses* indignatus, in Aegyptum mouet, vid. HERODOTVS initio Lib. III. ut plura taceamus.

quum quod amittat, non habet, At ne timiditatem iure queat exprobrare Scythis Darius, pergit INDATHYRSVS: *Ad pugnam, si opus est, continuo deuenire, sunt paterna sepulchra, quæ vos cum nacti fueritis, agendum tentate labefactare, et tum intelligetis, pugnaturi sumus vobiscum pro sepulchris, nec ne: prius autem (nisi nos ratio traxerit) tecum non confligemus.* Sed vero paterna hæc sepulchra, in qua Scythiæ regione habuerint, non reperio. pronum autem est conuicere, eo fuisse loco, qui ab hostibus non facile potuit adiri temerarique. Post hæc INDATHYRSVS: *Hactenus, quod ad pacem pertinet, dictum sit. quod autem ad cetera, ego solos mihi heros arbitrator, Iouem progenitorem meum, et Vestam Scytharum reginam. Tibi autem pro terra et aqua, quæ dono poscis, mittam, quæ decet ad te venire dona. pro eo vero, quod herum te meum dixisti, iubeo te flere.* Nempe ad originem suam INDATHYRSVS respexit, qua gloriabantur Scythæ, tanquam quæ a Ioue sit profecta. Interim ea ille re, sicuti retudit ferociam Darii, prorsus insanam, ita quid Scythæ possint, si pergat instare, palam testatus est.

## §. XIX.

Scytharum  
moulimina  
aduersus  
Darium.

Quibus  
donis hono-  
rarint  
eundem.

Darius  
non ten-  
tata  
pugna  
fugam  
cepisset.

Porro, Scythæ, feruitus audito nomine, indignabundi omnes, ac furore perciti, viribus omnibus, in bellum propulsandum incumbunt; et illinc quidem Iones, qui erant ad pontis in Istro custodiam relictæ, ad rescindendum eundem, sollicitant, vt obiectu fluminis, fugiturum mox Darium facilius possent intercipere; hinc perpetuis incursionibus, Persarum fatigant exercitum, dum, eo ad omnium rerum necessariorum inopiam redacto, tumultuarii milites occiperent. Tunc promissa ab Indanthyrso munera, Scythæ, cum caduceatore ad Darium mittunt, *auem nimirum, murem, ranam, et quinque sagittas.* Varie a Persis accepta hæc dona fuere. Et Darius quidem in eam sententiam interpretabatur, dedere se cum omnibus, quæ habeant, Scythas, quin et arma, missis sagittis, tradere. Sed Gobrias Persa, sagaci coniectatione, Scytharum mentem adsequutus: *O Persæ, inquit, nisi euecti, vt aues, subuolaueritis in calum, aut effecti ut mures, subeat is terram, aut effecti ut rana, insiliatis in paludes, non remeabit is, unde venistis, his sagittis confecti.* Vices nempe litterarum his istiusmodi donis supplere volebant Scythæ, quemadmodum CLEMENS ALEXANDRINVS r) testis est: *Φασὶ Ἰδανθῆραν τῶν Σκυθῶν βασιλέα, ὡς ἰσορεῖ Φερικύδης ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάλλει τὸν Ἴστρον, πῶς ὄλεμον ἀπειλῶντα, πέμψαι σύμβολον ἀντὶ γραμμάτων, μὴν, βάτραχον, ὄρνιθα, οἰσὸν, ἀροστρον.* Id est: *Dicunt Idanthuram, Scytharum regem, vt refert Pherecydes Syrius, Dario, Istrum transeunti, ad bellum inferendum, misisse symbolum pro litteris: murem, ranam, auem, sagittam, aratrum.* Quæ inde CLEMENS idem, de istorum symbolorum interpretatione varia, subiungit, alibi s) dedimus. Postea Scythæ, exercitu coacto, atque instructa ad pugnandum acie, Darium trepide occurrentem, leporis interuentu, (quem proflientem, vt quisque vidit, sub lato clamore insequabatur,) ita perterrituerunt, vt consilio fuorum habito, de nocturna fuga statueret, relicta in castris, quæ moram qualemcunque Scythis iniiceret, infirmissima exercitus parte. Scythæ cum se ita elusos viderent, magnis itineribus ad Istrum contendunt, vt, ponte disiecto, hostilem exercitum, transiicere non valentem, delerent penitus. qua illi celeritate, anteuertent quidem Darius; verum a Ionibus, quos ad custodiam pontis relictos diximus, decepti; pontem enim soluturos se simulabant; cum imprudentes Dario obuiam proficiscuntur, conflicturi cum eo, si occursum sibi esset, ab eo itinere, qua fugam intenderat Darius, deuiant, adeoque hostibus ægre ad eum locum, vbi pontem habebant, eluctatis, transiicendi, sine noxa, potestatem relinquunt. Ita Darius, Scytharum sagittas, Ionum fide, an sua fortuna, euasit, daturus, procul dubio, pœnas temere illati belli, si, quo erant robore, et ad pugnandum alacritate Scythæ nostri, ea in operiendo hoste prudentia fuissent vsi.

## §. XX.

r) Stromatum, Lib. V.


s) in exercitatione nostra de vetere Lit-

teratura Hunno-Scythica. Sect. II.

§. 14.

## §. XX.

Iam ad bellum, cum ALEXANDRI M. duce ZOPYRIONE gestum, quod ad-  
tinet, ita de eo habet IVSTINVS: *Alexandri M. ducem Zopyriona, pari ratione, cum* Scytharum de Zopyrione, Alexandri M. duce, victoria.  
*copiis vniuersis, deleuerunt.* Grande virtutis Scytharum documentum, si vera sunt,  
quæ a IVSTINO traduntur. Sed apud reliquos scriptores, qui Alexandri res gestas  
celebrarunt, quantum equidem memini, nullam huius, seu victoriæ, seu cladis  
mentionem reperias. Sic alibi IVSTINVS: t) *Dum hæc aguntur, Zopyrion quoque præ-*  
*fectus Ponti, ab Alexandro M. relictus, otiosum se ratus, si nihil et ipse gessisset, adunato* dubie-  
*XXX millium exercitu, Scythis bellum intulit, casusque cum omnibus copiis, pænas teme-*  
*re illati belli, genti innoxia, luit.* At enimvero dubia hæc de Zopyrione victoria fo-  
ret, si constarent sibi, quæ de victis ab Alexandro Scythis, CVRTIVS u) memo-  
rat: Hæc, inquit, *expeditio (in Scythas suscepta) deficientem magna ex parte Asiam,* tates, qua eam premunt.  
*fama tam opportuna victoria domuit. Inuictos Scythas esse crediderant, quibus fractis,*  
*nullam gentem Macedonum armis parem fore confitebantur.* Quid? quod ipse ALEXAN-  
DER Scythas, hostes paullo ante, nunc milites suos saluter. v) *quin et Scythæ ac*  
*Dahæ primi omnium iussu Alexandri Indos dicuntur inuasisse.* x) Adde, si lubet,  
gloriationem Alexandri in LVCIANI Dialogis: *καὶ Σκύθας δὲ ἐν ἑκαταφρονήτους ἀ-*  
*δρας ὑπερβάς τὸν Τάναϊν ἐνίκατα μεγάλη ἰππομαχίᾳ.* Hoc est: *Scythas vero, viros qui-*  
*dem haud contemnendos, traiecit Tanai, magno pralio equestri deuici.* Mihi quidem, si Auctoris sententia.  
fatendum, quod res est, non parum suspecta videtur Alexandri de Scythis victoria,  
credoque idem Scythis, quod multis aliis gentibus, obtigisse, qui sæpius inaccessi,  
plerumque inuicti, materiam tamen triumphi, gloriosis imperatoribus Romanis y)  
præbere cogebantur. Quod vero in exercitu Alexandri militasse leguntur Scythæ,  
non illud a victis, sed sociis factum existimo. Certe CVRTIVS, ut Alexandrum  
vndiquaque magnum faciat, plus sæpe flosculis orationis, quam historiæ, cuius  
tamen maxima laus, veritas est, indulget. Verius IVSTINVS z) a Mithridate, suæ  
ditioni adiectos Scythas, scripsit: *Ad regni, inquit, administrationem cum accessisset,*  
*statim non de regendo, sed de augendo regno cogitauit.* Itaque Scythas inuictos antea, qui  
Zopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleuerant; qui Cyrum,  
Persarum regem, cum ducentis millibus trucidauerant; qui Philippum Macedonum regem fu-  
gauerant, ingenti felicitate perdomuit. De Romanorum vero armis IVSTINVS: *Ro-*  
*manorum \*) audiuerunt, non sensere arma. Gens et laboribus et bellis aspera, vires corpo-*  
*porum immensa. Nihil parare, \*\*) quod amittere timeant: nihil victores, præter glo-*  
*riam concupiscunt.* Ista, speciminis loco de bellis Scytharum sufficiant,  
plura, in ipso, quod molimur, opere,  
exhibebimus.



G

CAPVT

t) Lib. XII. c. II. 16.

u) Lib. VII. c. IX. 17.

v) Lib. IX. c. II. 33.

x) Lib. VIII. c. XIV. 5.

y) Conf. SAGITTARIUM ad hunc locum IVSTINI.

z) Lib. XXXVII. c. III. 1. 2.

\*) Quin de consularibus, non vero imperatoris temporibus, verba IVSTINI sint accipienda, nullus dubito. Nam Traianus, de Dacis, Scythisque triumphasse legitur apud IORNANDEM, de regnorum et temporum successione: nisi credere velis, vel

actus Traiani in maius auctos, vel Dacis conterminos Scythas, non intimiores illos, intelligi debere.

\*\*) Prorsus quali ex præscripto sanioris philosophiæ. Ita CVRTIVS Lib. IV. c. XI. 9. *Facilius est, quædam vincere, quam tueri: quam hercule expeditius manus nostræ rapiunt, quam continent.* Adde CLAVDIANI illud Paneg. II. in Stiliconem:*Plus est seruasse repertum, quam quæsisse nouum.*

## CAPVT VIII.

De

## Gynæcocratia Scytharum.

feu, de

## AMAZONIBVS.

*Synopsis.*

**A**N exstiterint vnquam AMAZONES, disputatur, allatis auctorum, in partem vtramque, sententiis. AMAZONVM nomen vnde? et an sit originis Græcæ, quemadmodum vetus Scholiastes in AESCHYLVM; vel Hungaricæ, sicuti vult CL. OTROKOCSEVS. Duplices Amazones, *Africane* et *Asiaticæ*, quarum posteriores e Scythis ortæ. Originis earum ratio, mores, bella, res gestæ reliquæ, potentia item ac interitus, expenduntur, notatis, quæ sunt fabulis, quam historiæ similia.



LIBRI PRIMI  
SECTIO SECVNDA.  
GEOGRAPHICA.

## CAPVT I.

De

Scythia vtraque, Asiatica, et Europæa.

*Synopsis.*

**A**Ntiquis vniuersus Septentrio, SCYTHIÆ nomine veniebat. Est ea duplex: ASIATICA et EUROPAEA. Illa, apud harum rerum auctores, triplici vocabulo, pro situs diuersitate, insignitur, estque *Scythia* iuxta Pontum Euxinum, quæ et *Sarmatia Asiatica*; *Scythia intra Imaum* montem, et *extra*; quarum montes, fluuios, populos, et si quæ sunt, vrbes, sollicite percensemus, et suis locis, cum cura, adscribimus. Succedit *Scythia Europæa*, quam et *Sarmatiam* vocant *Europæam*. Atque hic Scythiam cumprimis, quæ ad Pontum est, expendimus, quam quidem HERODOTVS *veterem*; STRABO *paruam* appellauit. Reliquos Sarmatiæ tractus, PTOLEMAEO præeunte, per populos metimur, et cum hodiernis gentibus, ex recentiorum sententia, contendimus.

## CAPVT II.

De

Miraculis Scythiæ.

*Synopsis.*

**L**Ocorum remotissima, fabulis maxime sunt opportuna. Factum inde est, vt inaccessas vtriusque Scythiæ regiones, *μύθοις* plusquam anilibus, contaminarent scriptores antiqui, etiam non mali. Haud ergo hæc quoque negligi visum. Agimus vero, de *Anthropophagis*, *Arimaspiis*, *Hyperboreis*, *Abarimonis*, *Panotiis*, *Lycanthropis*, et id genus portentis aliis. Percensemus terrarum miracula, veterum in eam rem monumentis vsi. Addimus passim *ἐπιμειρίαις* nostras, ne fabulis videamur patrocinari.



# HUNGARIÆ ANTIQVÆ LIBER SECVNDVS.

## HVNNIACVS.

### SECTIO PRIMA, HISTORICA.

#### CAPVT I.

### CONATVS SPECIMEN.

De

Hunno-Scythis, et horum origine, atque moribus.

#### Synopsis.

*Nexus dicendorum: HVNNI, gens Scythica: Hieronymi in eam rem locus: Scriptorum rerum Hungaricarum, in origine gentis indaganda, aberratio: auctoris institutum. §. I.*

*Prima nominis HVNNORVM mentio, an apud Plinium quarendam? an Chvni apud Ptolemaevum, iidem sint, qui HVNNI? adfirmat auctor. §. II.*

*Berosi de Hunnorum origine error: Aventini cum Beroso consensus: Thvrczii haud melior sententia. §. III.*

*Hunniaci nominis indagatio difficilis: quando id frequentari ceptum. §. IV.*

*Iornandis, de Hunnorum origine putidum mendacium: Crantzii sententia equior: Callimachus, Iornandis fabulam de Diis interpretatur: Zosimi de Hunnorum origine locus. §. V.*

*Hunnorum gentes variae, ex Agathia recensentur: an Bvrvvndi fuerint Hunni? disputatur: auctoris ea de re opinio. §. VI.*

*Hunni Evthalitae, ex Procopio describuntur: Saberi: Ifadeni: Hunnorum apud Iornandem, divisio: Persis Turcæ quoque dicti. §. VII.*

*Hunni duplices, Asiatici et Europæi: illorum mores ex Marcellino describuntur: infantum recens natorum genas ferro secant: qua immanitate barbaras gentes superant. §. VIII.*

*Cur porro imberbes sint Hunni? locus Agathiae: Turcorum eadem, qua Hunnorum, consuetudo: liberorum in parentes feritas. §. IX.*

*Corporis Hunnorum habitus: an recte eos bestias bipedes vocet Marcellinus: Iornandis cum Ammiano, consensus: Crantzii locus: Ottonis Frisingensis in Hungaros conuitium. §. X.*

*Hunnorum victus: Hunni refugiunt adificia: atque id Scytharum more: quomodo et Alani viuunt, ac gentes pleraque ad Pontum. §. XI.*

*Amictus Hunnorum pelliceus: quales ea pelles? lintea Hunnorum vestes atra: Scythissimi victu et amictu Hunnis suppare: Hunniaci vestitus reliquia quadam apud armentarios Hungaros. §. XII.*

*Capita galeris operiebant Hunni. §. XIII.*

*Hunnorum calcei informes, gressus eorum impediunt: hinc perpetuo equites pugnant: equitandi ritus. §. XIV.*

*Quo habitu ac more Hunni de republica consultarint? §. XV.*

*Quomodo bella gesserint Hunni, et quibus ducibus? §. XVI.*

*Ratio pugnandi. §. XVII.*

*Hunnorum virtus bellica, cumprimis pernicitas: eorundem stratagemata. §. XVIII.*

*Virium in pugna robur: arte sagittandi excelebant Hunni equites. §. XIX.*

*Cominus quomodo conflixerint Hunni? §. XX.*

*Quales domi fuerint Hunni? §. XXI.*

*An aliqua Hunnis fuerit religio? Gladium Martis, pro Deo colebant. §. XXII.*

*Lingua Hunnorum qualis? §. XXIII.*

*Lingua Hunniaca reliquia quadam. §. XXIV.*

## §. I.



Iximus de Scythis, quæ speciminis ratio poscebat: de Hunnis a) iam *Nexus dicen-*  
 dispiciamus; siquidem et ad ætatem nostram accedunt propius, *dorum.*  
 et Hungariæ; veteris illius, primi conditores exstiterunt. Scy- *Hunni*  
 thicam fuisse gentem, in confesso est apud omnes. HIERONY- *gens Scy-*  
 MO adeo illud certum, vt nihil addubitet, celebrem illam expedi- *thica.*  
 tionem Scytharum, de qua supra HERODOTVM audiuius, in *Hiero-*  
 Asiam intimiorem susceptam, ad Hunnos, illorum posteros, re- *nyymi*  
 ferre; cum enim dixisset: *ab vltima Meotide Hunnorum exami-*  
*na erupisse, et illud addit: Hanc gentem Herodotus refert, sub Dario Medorum vigin-*  
*ti (octo) annis orientem tenuisse captiuum, et ab Aegyptiis atque Aethiopibus, annum*  
*exegisse vectigal.* Hoc vt nemo temere inficiatus fuerit, gentem esse Scythicam *in eam*  
 Hunnos, sunt tamen de eorum origine quædam sententiarum in auctoribus diuor- *rem*  
 tia. Nihil vero rerum Hungaricarum scriptores morabimur, qui siue, quod sine *locus.*  
 ratione, antiquitatis gloriam adfectabant, siue, quod incautius recentiores seque- *Scripto-*  
 rantur, originem gentis passim supra veri fidem sustulerunt. Recte DIONYSIVS *rum re-*  
 HALICARNASSENSIS: b) *Ουχ ηγούμαι ἀποχρῆν τοῖς ἀναγράφοις τὰς ἀρχαίας καὶ*  
*τοπικὰς ἱστορίας, ὡς παρὰ τῶν ἐπιχωρίων αὐτὰς παρέλαβον, ἀξιοπίστως διελθῆναι, ἀλλὰ*  
*καὶ μαρτυριῶν οἰοῦμαι αὐταῖς δεῖν πολλῶν καὶ δυσαντιλεπτῶν, εἰ μέλλοσι πιστὰ φανῆσθαι.*  
 Hoc est: *Antiquitates alicuius regionis scribentibus, non satis esse existimo, si in eis*  
*perconsendis sequuntur fidem indigenarum, sed opus etiam esse puto, multis et irrefragabi-*  
*libus testimoniis, si fidem mereri velint.* Veterum ergo legemus vestigia, vt et fides *aberra-*  
 sit tutior, et luculentior commentatio nostra. quæ quidem in re ita versabimur, *tiō.*  
 ne lectori temere obstrepere, sed neque nostram ipsorum causam deserere, videamur. *Auctoris*  
*institu-*  
*tum.*

## §. II.

Primam Hunniaci nominis mentionem, apud PLINIVM seniore[m] exstare, Cl. *Primæ*  
 OTROKOTSIO, suum, quo utebatur, exemplar c) persuasit. Locus ita habet: *nominis*  
 d) *Ab Attacoribus, gentes Hunni et Tochari: etiam Indorum Casperi, introrsus ad Scythas*  
*uersi, humanis carnibus vescuntur.* Non essemus difficiles in lectione agnoscenda, *Hunno-*  
 si codicum, tam manu exaratorum, quam expressorum typis, maior esset conspira- *rum*  
 tio: sed editiones aliæ, sicuti DALECAMPPI, legunt *Thyri*, corrupte, vti vide- *mentio,*  
 tur; reliquæ *Thyni*, seu *Thuni*. Varie autem vocabulum Hunnorum efferri, etiam *an apud*  
 EVSTATHIVS \*) notat: *Οὐνοὶ ἢ Θύνοὶ μετὰ τῆ θ σιαιεῖον, Κάσπιον ἔθνος ἐστὶ Σκυθικόν.*  
*Hunni, siue Thunni, cum elemento Th, Caspia gens Scythæ.* Et esto, Hunnos esse le- *Plinium*  
 gendos, certe ii non ad paludem Meotidem, quod scriptores faciunt, sed in Se- *quarem-*  
 rum finibus, ipsiusque adeo Indiæ confinio, collocandi erunt: illos enim tractus *da?*  
 populosque PLINIVS eo loco describit. Quicquid de lectione illa PLINII sentias, *da?*  
 illud certum est, *Attacoribus* seu *Tocharibus*, quos cum *Thyni* coniungit idem, Hun- *niacam*  
 niacam fuisse gentem. PRISCVS e) *Hunnos Acathiros, seu Acatziros, vocat.* quo- *rum*  
 rum et apud SVIDAM f) exstat mentio: *Hunni*, inquit, *Acathiri*; vbi tamen græcè *legitur*  
*ἀκτιροί.* Alioquin PLINIVS ipse, inter Scythicas gentes *Thynos* recensuit. g) *Alibi*

- a) Vocis HVNNVS, siue CHVNNVS, origi-  
 nem, vide infra not. i.  
 b) Antiquit. Rom. Lib. VII. p. 474. 18. edit.  
 Lipliens. 1691.  
 c) edit. Basiliens. Anni 1525. vid. orig. eitis  
 Hung. P. I. c. III. §. 3. p. 75.  
 d) Hist. Nat. Lib. VI. c. XVII. p. m. 240.  
 Facile omnino, si græcè scribas, ex vocè  
 Οὐνοί, scribarum incuria, fit Θύνοί;  
 vnica nimirum lineola, transuersim lita-  
 teræ initiali O. impacta: quæ aberratio  
 in scriptura latina non æque mani-  
 festa est. Certe HERMOLAVS BAR-

BARVS Castig. in Plin. h. l. habet  
*Thynni*, quos Vadianus, epit. de Trib.  
 terræ partibus, *Vynos*, Οὐνοί ἢ Θύνοί,  
 hoc est, *Hunni* aut *Tynni*, vocat.

\*) in Dionys. Adde PRISCIANI illud:  
*Hinc Tynus (Hunus) sequitur, post for-*  
*tis Caspia proles.*

e) Excerpt. p. 70. 73. & 98.

f) in voce *Abares*.

g) Lib. IV. c. XI. collato Lib. V. c. XXII.  
 Videtis *Ortelium* in *Theſ. Geogr.* in  
 voce *Hunni*.

An Chuni apud Ptolemaeum iidem sint cum Hunnis.

Alibi PTOLEMAEVS Chunos habitasse tradit: Μεταξὺ δὲ Βασέρων καὶ Ροξολάνων Χοῦνοι. Inter Basternas et Roxolanos sunt CHVNI; qui quidem situs in Scythia Europaea, quam veterem HERODOTVS, paruam STRABO, adpellat, quaerendi sunt, idque vltra Gerri et Hypacaris fontes, in ea regione, quae ad septentrionem, per vastas solitudines, adsurgit: vel, quod CELLARIO placet, ad sinistram Borysthenis ripam, in Austrum deducti. At vero concedamus, vagas gentes, ac nullis adstrictas laribus, illo temporum intervallo, quod inter vtrumque scriptorem, PLINIVM puta, et PTOLEMAEVM h) intercedit, huc commigrare, saltem colonias, pro illorum habitu temporum, mittere potuisse: nondum tamen confectum erit, an Chuni PTOLEMAEI iidem cum HVNNIS sint habendi. Celebr. CHRIST. CELLARIVS: i) An adfirmat auctor. Hunni, posteriori historia notiores, a Chunis Ptolemai sint, non habeo, quod pro certo adseuerem. Equidem, nemini facile controuersiam mouerim, non tamen reperio, cur non Chunos PTOLEMAEI, Hunnorum propaginem esse credam: in primis, si sola res debeat lectione diiudicari. Sane, elementum asperum X, facile potuit, quin debuit etiam, apud Latinos, in spiritum lenem H, transmutari, vt sint, Chuni, Huni: nam vtroque modo, Hunos et Hunnos, legi apud auctores, docti sciunt. Chunos et alii auctores vocarunt. AMMIANVS MARCELLINVS, \*\*) Gothi, inquit, adacti necessitate postrema, Chunorum, et Alanorum aliquos, ad societatem, spe praedarum ingentium, adsciuerunt. Neque de fide illius lectionis quidquam ambigunt docti. SIDONIVS APOLLINARIS: k)

Curfu Herulus, CHVNVS iaculis - -

Et alibi: l) CHVNVS, bello natus - - -

vt iam breuitatis causa taceamus alios. m)

### §. III.

Berosi de Hunnorum origine error.

Si verum est, ab HVNO, seu HVNNO, Tuisconis filio in Germania, Hunnos propagatos esse, antiquissimum in orbe Hunnorum nomen, merito crederetur. Nimirum BEROSVS, n) et cum hoc, FRANCISCVS IRENICVS, o) atque ALBERTVS CRANTZIUS, p) vndecim Tuisconis, Germanorum et Sarmatarum, a Tanai vsque ad Rhenum, parentis, filios connumerat, quorum nomina: Mannus, Ingauon, Istauon, Herminon, Marsus, Gambriuius, Sueuus, Vandalus, Hunnus, Hercules, Teutanes. qui demum suis quisque gentibus, sermonis commercio haud discretis, sua dederint nomina. Ita haec illi audaciter adferunt. Sed multa fabulae huic contraeunt. praeterquam enim quod praeter Berosum, auctorem suspectae fidei, nulla tantae rei apud veteres mentio est; Hungaris certe, idioma toto caelo a Germanico diuersum. Neque sciunt, quid dicant, qui aliud nobis oggerunt; quantumuis enim concedamus, discretionem linguae non illico genus mutari, cum procliuie sit, vt ea sensim in nouam speciem degeneret: nullum tamen et hac ratione, pro Germanica Hunnorum origine, praesidium supererit: quippe cum sermo Hungaricus, non modo nullam cum Germanico idiomate adfinitatem adgnoscat; sed ei plane aduer-

h) Floruit PLINIVS A. C. 78. PTOLEMAEVS 140. erit ergo 80. circiter annorum inter vtrumque discrimen; quo tale quid ex facili euenire potuit.

i) Geograph. Antiq. Lib. II. c. 17. p. 507. Vocis HVNNVS, siue CHVNVS etymon PHILIP. MELANCHTON ab Hebr. rad. חנן Chana, quod est, castra ponere, deriuat. Lib. III. Chron. Carion. Somus, inquit, vocabuli, certe congruit cum verbo Chana, quod est, castra posuit. Inde potest esse Hunni, quasi castra ponentes. Conf. Cl. ΟΤΡΟΚΟΤΣΙ Orig. Hung. P. I. c. 8. p. 327. seq. conf.

et MARTIN. SCHÖDELIVM in disquisit. Hist. Polit. de Reg. Hung. §. 88. vbi et de vocis scripturae disquirat. §. 86.

\*\*) Lib. XXXI. c. VIII.

k) Carm. VII. v. 241.

l) versu 324.

m) THEOPHYLACT. SIMOCAT. Lib. VII. Hist. NICEPH. CALLISTVS Lib. XVII. c. 30.

n) Lib. II. originum.

o) in sua de Germaniae exegesi Lib. I. c. XXXIV. et XXXV.

p) Daniae Lib. II. c. XXI. p. m. 72. et Sueciae Lib. II. c. XV. p. m. 437. adde eiusdem Vandaliam in praef. et Lib. II. c. XVIII.

aduersam sectetur indolem : quod suo loco et tempore docebimus. Operosus in eadem hac sententia adstruenda est AVENTINVS q) quoque, celebris annalium Boiorum conditor, *Hunnus*, inquit, *Sarmatiam*, *Orientelemque Germaniam tenuit*, *Hunnos procreauit*. At enim vero, vbi rei huius apud antiquos scriptores, vel vola, vel vestigium? Postea situs, quos infederunt Hunni, describit: *Quorum sedes prima fuit, quemadmodum Ptolemaus describit, intra montes Amadocum, et Alanum, amnem Borysthenem, Maotin paludem, interque Basternas atque Roxolanos. Ibi Tartaria nunc confinium caputque*. Recte hæc dicuntur: supra enim, cum de Chunis Ptolemæi disquireremus, ipsi in eandem iuimus sententiam: sed Hunnorum hæc pars admodum fuit, copiosissimæ gentes Hunniacæ, vti mox docebimus, Persiæ fines, quin Indos etiam accolebant, vt credam hinc illos in paruam Scythiam delatos, tantum per vniuersam Europam malorum dedisse. Eodem loco et THYROTZII habenda sententia est, r) Hunnorum originem, ad *Hunor* et *MAGOR*, Nemrothi primogenitos, male referentis. Ineptiunt profecto annales Hungarici, dum sine vlllo antiquitatis suffragio, ita scribunt: *Paludes ergo Maotidas, Hunor et Magor aduentes, quinque annis ibidem immobiliter permanserunt. Anno vero sexto exeuntes, dum per desertum vagarentur, sonitum symphoniæ audiuerunt: et scrutini gratia ulterius procedentes, uxores ac filias Bereka, sine maribus in tabernaculis manentes, ac festum tubæ colentes, et choreas ducentes, casu reppererunt: quas celeri rapina comprehensas, simul cum earum rebus in paludes Maotidas deduxerunt. Contigit autem eosdem in hac rapina inter ceteras Dule, principis Alanorum filias, virgines, forma præclaras, comprehendere, quarum vnâ Hunor, alteram Magor in uxores duxerunt: ex quibus mulieribus tandem omnes Hunni, siue Hungari, originem sumxisse perhibentur*. Pudet me nugarum! Namque recentius Hunnorum nomen est, quam vt in canam illam antiquitatem possit reiici. Accedit, non NEMROTHO, sed MAGOGO, fatos esse Scythas, ac horum posteros *Hunnos*. id quod notandum erat, ne scriptores Hungaricos incautius secuti, errorum patrocinemur.

Auentini  
cum  
Beroso  
consensu.

Thyrotzii  
haud  
melior  
sententia.

## §. IV.

Nihil ergo, de Hunnorum proximiorum denominatione, pro certo definiri potest, præterquam, quod gentem fuisse Scythicam, ab omnibus, qui de iis aliquid memoriæ prodiderunt, commemoretur. PHILOSTORGIVS s) Hunnos, eosdem esse putat, qui antiquis *Neuri* audiebant. *ἔι ἐν δ' ἀν ἔγνοι, ἄς οἱ παλαιοὶ νεβρὸς ἐπωνόμαζον*: Hunni, seu Vnni, iidem videntur esse, quos antiqui *Neuros* nominabant; hos ille ad Ripæos montes collocat. Id si extra dubietatem positum esset, haberemus Hunnorum exstantia apud antiquos vestigia. Meminit *Neurorum* HERODOTVS: *Supra hos (Halizones) inquit, incolunt Neuri, quorum tractus, qui ad Aquilonem vergit, quantum nos scimus, desertus est*. PLINIUS t) ad Borysthenem eos ponit; sed nec situs idem est, quem PHILOSTORGIVS notavit; nec quando, quibusue de causis *Neurorum* vocabulum, cum *Hunnorum* permutatum sit nomine, vel diuinando quidem adsequare. PROCOPIVS u) Hunnos *Vturguros*, olim *Cimmerios* fuisse adpellatos scribit: *Supra Sagidas Hunnica variæ nationes sitæ sunt. Dehinc autem Eulysia regio adpellatur. Barbari autem eius incole, et mediterraneis locis, et ad maris littora habitabant, ad Maotin vsque paludem, et Tanaim fluuium, qui in eam paludem influit. Eius autem regionis accole, olim quidem Cimmerii nominabantur, nunc autem Vruguri*. Adhuc tamen premit nos difficultas eadem, quam modo indicauimus. Igitur, ex recentiori æuo, nomen Hunnorum, repetendum est. Fre-

Hunniaci  
nominis  
indagatio  
difficilis.

Quando  
id fre-  
quentari  
captum.

H 2

q) Lib. I. p. m. 45. Conf. et RANZANIVM, indice III. p. m. 215. omnium vero absurdissime SCALICHIVS, in genealogia antiquissima, de *Scalichiorum* origine. *Est porro, inquit, HVN, fluuius satis amplus (in Croatia) vnde et Hunni, quod penes Hun, fluuium primo consedissent, nuncupati sunt.*

Atqui iam tum in intimiore Scythia Hunni dicti sunt. Igitur, non gentem a fluuio, sed a gente fluuium, denomines, oportet.

r) Chron. Hung. P. I. c. II. p. m. 4.

s) Hist. Eccles. Lib. IX. §. 17.

t) Lib. IV. c. XII. p. m. 62.

u) in fragment. Lib. IV.

Gothis et Romanis, in occidente, magna viriūm contentione, bella gererent. Scrip-  
tores certe earum rerum: *gentem nouam, nescio quibus sedibus inaccessiblei delitescentem  
incognitam prius: plane inauditam; repentina rabie percitam, erupisse, exarsisse* adfir-  
mant. Crederes, aut caelo delapsam, aut vnus imbris noctisque tepore, fungorum  
instar, ex humo prognatam esse.

## §. V.

Iornandis  
de Hun-  
norum  
origine  
putidum  
menda-  
cium.

Operose mentitur IORNANDES, v) cum originem Hunnorum, ad malos spi-  
ritus referre, nihil dubitat. dabimus integrum locum, vt putidum istud, atque  
viro gravi indignum mendacium, suo se prodat indicio: FILIMER, inquit, rex  
Gothorum, et Gandarici magni filius, qui post egressum Scanziae insula, iam quinto loco  
tenens principatum Getarum, qui et terras Scythicas cum sua gente introisset, sicut a  
nobis dictum est, reperit in populo suo, quasdam magas mulieres, quas patrio sermone x)  
Aliorumnas, is ipse cognominauit, easque habens suspectas, de medio sui proturbanit, lon-  
geque ab exercitu suo fugatas, in solitudinem coegit terra. quas spiritus immundi per ere-  
num vagantes, dum vidissent, et earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc  
ferocissimum (Hunnos) edidere, quod fuit primum inter paludes minutum, tetrum, at-  
que exile quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quae humani sermonis imagi-  
nem adsignabat. Hucusque IORNANDES. Quid vnquam putido isthoc mendacio  
excogitari potuit, vel tetrius, vel a recta ratione alienius? Neque illud ferre potuit

Crantzii  
senten-  
tia aequi-  
or.

ALBERTVS CRANTZIVS: y) Iornandes, inquit, incubis spiritibus progenitos primos  
arbitratur: alii Faunis agrestibus. quos aiunt sylvas incolere, nihil humanum, praeter so-  
lam speciem praetendentibus, ortos prodidere. Mihi probabilior narratio visa est, quam  
posui, Scytharum ortos genere. Narratio eius ita se habet: Tempore vetustissimo, cum  
primum Gothi egressi Suecia, ad consinia Maotidis paludis sub Erico rege peruenissent: fu-  
isse in eorum numero magas mulieres, quae tonitrua, fulgura, tempestates aëris pro arbi-  
trio concirent, quod genus frequens erat in Suecia Noruegiaque. Cum inibi ignotus ad-  
huc maneret verus Deus. Sed tum Ericum regem, odio maleficorum, ab exercitu suo  
profligasse maleficas, et in vltiorem ripam paludum transposuisse, ne vlllo earum commer-  
cio gens sua contaminaretur. Illa aliquandiu errabunda, vagum hominum genus, Scythi-  
ca nationis reperientes, sociarunt cum illis connubia. Et quanquam vetularum atas male-  
ficis plurimum vtatur: erant tamen in eis atate integra, quae prolificarent. Coaluit hoc  
semine breui magna seges hominum. quod in regionibus frigidis rarior est aëris contagio,  
quae solet mortales consumere. Et permansit hoc genus hominum per multa secula, nostris  
hominibus incognitum, quod in alteram paludum ripam, nulla erant commercia cum ci-  
terioribus. Ita CRANTZIVS, quae eius narratio, vtut non careat dubietate, æqui-  
or tamen est, quam illa IORNANDIS, atque hoc habet peculiare, quod consobri-  
nos Suedis, Hunnos faciat: matribus namque Gotho-Suedicis, at patribus Scythi-

Callima-  
chus Ior-  
nandis  
fabulam

cis, natos esse dicit. Ipse viderit! Sed PHILIPPVS CALLIMACHVS, z) ita hanc  
IORNANDIS fabulam accipit, vt de Diis interpretari nihil addubitet: Si qua, in-  
quit,

v) Lib. I. de rebus Geticis. p. m. 610. ex re-  
censione IOH. LEVNCLAVII, Basileæ  
fol. Claruit IORNANDES, ex Mona-  
cho, Gothorum Episcopus, sub  
Justiniano Imperatore, anno Dom.  
DXXX. sane res Gothorum multis fa-  
bulis contaminauit, et cum Geticis  
male miscuit, in Hunnos extra modum  
iniquus.

x) Quaedam exemplaria legunt, *Aliorumnas*,  
pro qua voce, tamquam corrupta,  
*Altrunas* substituunt alii, quasi dicas:  
*vetulas sagas*, ex *alt*, vetus, et *rune*,  
saga. certe hodiernum Germani *Alru-  
nas*, sagas adpellant. Conf. PHILIP.  
CLVVERVM in Germ. Antiq. Lib. I.  
c. XXIV. p. 202. IUST. LIPSIVM notis  
ad Tacitum p. m. 548. denique *Spaten*

in Lexico Germ. ad hanc vocem p. 1536.  
Ceterum fabulam de Hunnorum ortu a  
Iornande proculsam, suam postea fece-  
runt, scriptores pene innumeri, ac in  
his PAVLVS DIAGONVS, Hist. Mi-  
scellæ Lib. XII. c. 13. SIGEBERTVS  
GEMBLACENSIS in Chronogr. de  
regno Hunnorum; CONRADVS a  
LICHTENAW, Abbas Vrsperg. Chron.  
de orig. Hunn. OTTO FRISINGEN-  
SIS Lib. IV. c. 16. alii. Sed nos iam,  
in retundenda hac fabula, non elabo-  
rabimus: originem vero Scytharum,  
a quibus sunt Hunni, suo loco plenius  
descripsimus, quorsum lectores dimit-  
timus.

y) Sueciæ Lib. II. c. XV. p. 436.

z) in Histor. Attilæ.

quit, humana virtutis modum in eo viro (ATTILA) supergressa videbuntur, relato ad deos originis argumento, fidem accipiant. Scribunt plerique, Filimerum Gothorum regem, &c. quam tamen adulationem MARVLLI CALABRI poëta, non tulit Attila, NICOLAO OLAHO teste: \*) MARVLLI CALABRI poëta carmen, de laudibus suis conscriptum, in ignem coniici iussit, quia licentia poëtica, originem Attilæ, ad deos retulerat: arbitratus, impudentem esse impudentiam, dum mortales homines se a diis immortalibus traxisse originem confingerent. qua ille quidem in parte, Alexandro Magno maior existit. ZOSIMVS, a) scriptor paganus: *Φῦλόν τι βαρβαρὸν τοῖς ὑπὲρ τὸν Ἴστρον Σκυθικοῖς ἔθνεσιν ἐπανάειν, πρότερον μὲν ἐκ ἐγνωσμένον, τότε δὲ ἐξαίφνης ἀναφανέν* *ὄυννας δὲ τὰς ἐκάλεν ἢ βασιλεῖς αὐτοῦς ὀνομάζειν προσήκει Σκύθας, ἢ ἑς Ἡρόδοτος φησὶ παροικεῖν τὸν Ἴστρον, τιμὰς ἀδενέας ἀνθρώπων ἢ ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὴν Ἑυρώπην δέβησαν* Natio quadam barbara transsylvianas gentes \*\*) Scythicas est adorta; prius illa quidem incognita; sed qua subito tum temporis emerfit. Eos adpellabant Hunnos, siue adeo regii Scythæ nunciandi sunt, siue, quos ait Herodotus, Istri accolæ esse, homines simos atque imbelles; siue denique in Europam ex Asia transuere. Placet, historici ingenium, quod fateri malit, non sibi de eorum constare origine, quam mendacis lectorem circumuenire. An vero coniectatio illa satis sit idonea, vel regio Scythas, vel Istricos esse Hunnos, merito ambigo. Namque, Scythis regiis, alios, eosque cultiores fuisse mores, quam de Hunnis proditum est memoriæ, HERODOTVS auctor est. Neque, quod de Istri accolis imbellibus dicitur, idem in Hunnos quadrare, res eorum gestæ, docent. Interim, regio procliuius est dicere, quod facile est, a bonis ad prauos mores declinare.

de diis interpretatur.

Zosimi de Hunnorum origine locus.

## §. VI.

Ceterum non vna gentis Hunnorum natio fuit. AGATHIAS b) complures Hunnorum enumerat: *οἱ Ὀυνοὶ τὸ γένος τὸ μὲν παλαιὸν κατόικεν τῆς Μαιωτίδος λίμνης, τὰ πρὸς ἀσσηλιωτὴν ἀνεμον, καὶ ἦσαν τῷ ταναΐδος ποταμῷ ἀρκτικώτεροι, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα βάρβαρα ἔθνη, ὅποσα ἐντὸς ἱμαίῶν ὄρεσ ἀπὸ τὴν Ἀσίαν ἐπέσχανον ἰδρυμένα. ἔποιο δὲ ἄπαντες, κοινῇ μὲν Σκύθαι καὶ οὐνοὶ ἐπωνομάζοντο. ἰδίᾳ δὲ κατὰ γένη τὸ μὲν τι αὐτῶν κοτρίγοροι, τὸ δὲ ὑτίγοροι, ἄλλοι δὲ ἐλτίζεροι, βυρμηγῆνδοι, καὶ ἄλλοι ὡς ἂν αὐτοῖς πατριὸν τε ἦν καὶ ἰδισμένον* Hunni, inquit, quondam circa lacum Meotidem loca incoluere, in arctum potius versi, ut barbarorum cetera nationes, qua quot intra Imaum montem, Asiam insident, hi omnes et Scythæ et Hunni vocitabantur. seorsum tamen et per generationes, nam partim c) Cotrigori adpellantur, partim Vtigori, partim Vltizuri, partim

gentes varia ex Agathia recensentur.

I

\*) in Attila. c. XV.

a) Lib. IV. p. m. 747. ex edit. FRIDERICI SYLBVRGBII Francofurti A. 1590. atque editionis Oxoniensis A. 1679. 4to p. 224.

\*\*) Ita scriptores huius ætatis, Gothorum gentem adpellant, quod Scythiam incoluit Europæam, ideo tamen cum Scythis veris haud confundenam, quod fecit Iornandes, Scytharum actus, male ad Gothos suos, transferebat.

b) Lib. V. p. 154. edit. Parisiensis A. 1660. AGATHIAS Scholasticus Smyrnæus fuit, qui scripsit historiam illam, post PROCOPIVM Cæsariensem, ea videlicet, quæ sub Belisario acciderunt, et in Italia atque Libya gesta sunt, hoc est, quæ sub Narsete, in Italia ac Lazorum regione, contigere. Floruit autem cum PAVLLO Silentario, atque Macedonio, consule Tribuniano, IUSTINI temporibus. Hæc de AGATHIAE ætate SVIDAS.

c) Cotriguri, Vtigori, Vltizuri, Hungarica sunt nomina. Videlicet in more positum erat Hunnis, quem etiamnum hodie passim obserues, ut qui ex heri cuiusdam familia, aut ducis bellici agmine essent, ii possessio dominorum suorum nomine, adpellarentur: dicimus enim: Iános Uré, György Uré, Illyés Uré: Id est: Domini Iohannis, Georgii, Elie. Atque eandem istorum quoque nominum originem fuisse censeo, ut ex propriis forte nominibus, Kotrig, Vtig, Vltiz, qui vel familiarum capita, vel exercitus, aut demigrationis cuiusdam duces esse poterant, facta sint gentium ista nomina: Kotrig Uré, Vtig Uré, Vltzig Uré, et deprauata a græcis pronuntiatione: Kotrigori, Vtigori, Vltzigori, quasi dicas ad familiam vel exercitum Kotrig, Vtig, vel Vltzig, pertinens. Atque istud quoque argumento nobis est, eandem Hunnis, quæ hodie Hungaris est, rudiorum licet, linguam fuisse. Ista conie-

An Burugundi fuerint Hunni, disputatur.

partim Burugundi, partim alias, utcunque patrium illis est gentibus et consuetum denominari. Latissime ergo per Asiam habitabant Hunni, ut fere credam, Hunnorum nomen, quaquauerfum in Scythas antiquos tranſiſſe. Certe de magna illa Scythiæ parte, quæ erat intra Imaum montem, AGATHIAS id prorsus adfirmat. Sed Vltizuros, Burugundosque, sua iam ætate nuppiam exſtitiſſe prodit: Vltizuri Burugundique, ad Leonis vsque tempora, Romanorum Imperatoris, celebres exſtitere, et robore præſtare ſunt viſi; nos vero huius ætatis homines, nullam iſtorum habemus cognitionem, nec habituri impoſterum ſumus, ſiue, quia prorsus obſoleuere, et nuppiam ſunt, ſiue, quia ſuis exciti ſedibus, alio ſunt et quam procul abducti. Mirum! Burgundos, ſiue Burugundos, nam variant ſcriptores, in Hunnis cenſeri; cum eos PLINIUS d) inter quinque nobiliora Germanorum genera, poſuerit: Germanorum genera quinque: Vindili, quorum pars Burgundiones; Varrinni, Carini, Guttones. Et operoſus profecto eſt, pro more ſuo, doctiſſimus CLVERVS, e) ut hanc gentem, Germaniæ ſuæ antiquæ vindicet. Nihil reluctamur, ſi id nobis largiatur, fieri ex facili potuiſſe, ut pro illorum temporum more, cum paſſim demigrarent gentes, pars quadam Burgundiorum, ob vicinitatem Hunnis miſta, in eorum gentem tranſierit. Hoc, ut ſuſpicer, PTOLEMAEI verbis adducor: ἐλάττονα δὲ ἔθνη νέμεται τὴν Σαρματίαν\* πωρὰ μὲν τὸν Οὐϊςούλαν ποταμὸν ὑπὸ τὰς Ουενέδας, Γύθωνες\* εἶτα Φίννοι\* εἶτα Βύλανες\* ὑπὸ δὲ Φρυγενδίωνες\* εἶτα Αὐαρηνοὶ, πωρὰ τὴν κεφαλὴν τοῦ Οὐϊςάλα ποταμοῦ. Hoc eſt: minores autem nationes Sarmatiam incolunt, apud Viſtulam flumen ſub Venedis, Gythones; dein Finni; dein Bulanes; ſub quibus Frugundiones: tum Auarini, apud fontem Viſtula. Eoſdem hic Frugundiones intelligi debere, qui ſunt AGATHIÆ Burugundi; MARCELLINO, Burgundi; ZOSIMO, Vrugundi; IORNANDI, et DIACONO, Burgundiones, quia ipſe fateetur CLVERVS, non eſt, ut ea de re multum laborem. Iſtud mihi potiſſimum curæ eſt, videri omnino, Frugundiones, ſiue Burgundiones, quia ultra Finnos, et fontem Viſtulæ, a PTOLEMAEO collocantur, Hunnis vicinam, aut ſi Agathiæ credimus, conſobrinarum fuiſſe gentem: quod vicini Hunnis fuerint Burgundi, inde colligo, quia Finnos ipſe CLVERVS f) Hunnorum conterminos dicit. Finni vero, confines Burgundiis erant: quid ergo obſtat, quominus Hunnis potuerint miſceri, et mutua conſociatione, in vnum quaſi populum coire. \*) Atque id quidem de Hunnis Europæis accipi velim. At vero, quod AGATHIAS nullam ſua ætate Burgundiorum, iis locis, quæ incoluit, memoriam exſtare ſcribit, ipſe coniectando cauſam prodit: quia ſuis exciti ſedibus, alio demigraverunt, nimirum, in Europam interiorem. Hoc eſt, quod ZOSIMVS g) prodidit: Βορανοὶ δὲ καὶ Γότθοι καὶ Καρποὶ, καὶ Ουραγῆνδοι (γέννη δὲ τὰυτα πωρὶ τὸν Ἴſτρον οὐκῆντα) μέρος εἶδεν τῆς Ἰταλίας, ἢ τῆς Ἰλλυρίδος καταλιπόντες ἀδῆωτον διετέλεον, εἰδένος ἀνδιſαμῆνε, πάντα ἐπινεμόμενοι. Borani vero et Gothi, et Carpi, et Vrugundi (nationum hæc nomina, propter Iſtrum ſedes habentium) nullam nec Italia, nec Illyrici partem, a continuis vaſtationibus immunem relinquebant, omnia, nemine reſiſtente, diripientes. Hac vero occaſione, quam facile fuerit, peregrinis eos ſedibus conſidere, et autum genus, lapſu temporum, permutare, proclive eſt ad coniectandum. Quid quid huius rei ſit, gentem aliquam fuiſſe oportet, huius nominis, Hunniacam, ſiue ea diſcreta ſit a Burgundis, Germaniæ populis, ſiue eiſdem vtraque originis terrarum interuallis diuiſa ſit. Satis de his, ad Hunnos redeamus.

Auctoris ea de re opinio.

## §. VII.

Etando iam inueneram, cum idem apud PROCOPIVM de bello Gothico Lib. IV. cap. 5. initio, in eandem plane ſententiam lego. Edit. Pariſienſis 1672.

P. 574.

d) Lib. IV. c. XIV.

e) Germaniæ Antiquæ Lib. III. c. XXXVI. Et IACOBUS CAROLVS SPENER, Germ. Antiquæ Lib. I. c. IV. §. III. p. 36.

f) Lib. III. c. XLV.

\*) Conf. ſi lubet, Cl. OTROKOTSI Orig. Hung. P. I. c. V. §. XII. vbi Burugundos, reliquosque populos, quos AGATHIAS in Hunnis recensuit, nomine tantum, non gente, Hunnos exiſtimat fuiſſe.

g) Lib. I. p. 646. ac edit. Oxon. p. 28. item p. 24.

## §. VII.

PROCOPIVS, h) *Euthalitas*, i) seu *Leucalitas* quoque Hunnos, id est, albos, dari prodidit: *Sunt*, inquit, *Euthalita*, *Hunnicum* genus, reliquis Hunnis nequaquam vicini, neque ad eos pertinentes, sed Persis propinqui, Boream versus, quorum ciuitas Gorga nomine, in Persidis confinibus, saepe cum colonis de ipsis finibus pugnant. Neque, ut reliqui Hunni, Nomades sunt, vitam agentes pastorem; sed optimam iam pridem incolunt regionem. Hi nunquam in Romæorum terram, nisi cum Persarum exercitu, sunt ingressi, solique Hunnorum albi sunt, neque item sædi aspectu, neque ferarum modo, ut illi, victitantes, sed sub uno degentes principe, politicam agunt vitam inter se, et cum vicinis ius fasque colunt, æque ac Romani, et alii omnes. Fortunatiores inter eos, usque viginti amicos habent, seu plus, si contingat, qui conuiuia continuo sunt, quibusque communis pecunia simul et potestas est. At, ubi fato concessit, qui illos sibi sodales adsciuerat, obtinuit consuetudo, ut ipsi adhuc vita pleni, in tumultum, cum mortuo, inferantur. Quid quæso de gente barbara dici potest humanius? si ritum sepulturæ excipias: indicio hæc sunt, non tam naturam reliquorum etiam Hunnorum, ab humanitatis cultu fuisse alienam, quam quod ad agreste quoddam vitæ genus, locorum et vicinorum indole sic ferente, damnati, cogentur labi in deterius. Idem PROCOPIVS k) Hunnorum meminit, quos *Saberos* vocat: Hunni, inquit, qui et *Saberi* nominantur. Hos cum *Alanis*, *Abasgis*, atque *Zechis*, inter Caucasum et Phasin amnem, collocat, qui an iidem sint, quorum AGATHIAS frequentem iniicit mentionem, l) suo loco definiam; siquidem Hunnorum nomen, a *Sabyris* distinguit: pars Hunnorum milites erant mercede conducti, pars *Sabyri*, ad hominum milia duo, quos *Bamalch*, *Cupilesque*, et *Lages* ducebant, viri sane apud eos celeberrimi. Locorum certe tractus haud discrepare videntur. Addo Hunnos *Isadenos*, quorum iterum PROCOPIVS m) meminit: *Cabades*, inquit, alium exercitum in Armeniam Romæis subditam, ex *Persanneniis*, et *Sunitis*, qui erant *Alanis* vicini, misit: cum quibus, et Hunnorum, qui *Isadeni* vocantur, tria millia fuere, indomitum sane genus. Sed IORNANDES n) in duos populos Hunniacam gentem diuidit: Hinc iam *Hunni*, quasi fortissimarum gentium sæcundissimus caspes, in bisariam populorum rabiem pullularunt. Nam alii *Aulziagri*, alii *Auiri* (Græci *Auares* vocant) nuncupantur, qui tamen sedes habent diuersas. Iuxta *Chersonesum* *Aulziagri*, quo *Asix* bona audus mercator importat, qui æstate campos peruagantur, effusos, sedes habentes, prout armentorum inuitauerint pabula, hyeme supra mare ponticum se referentes. Addit his et *HUNGAROS*: *Hungari* autem hinc sunt noti, quia ab ipsis *murinarum* pellium venit commercium: quos tantorum virorum formidauit audacia: quorum mansionem primam esse in *Scythia* solo, iuxta paludem *Maotidem*, secundo in *Mæsia*, *Thraciæque*, et *Dacia*, tertio supra mare ponticum in *Scythia*, legimus habitasse. Hæc ille. Credo, quos AGATHIAS, *Vltizuros* vocauit, eosdem hic a IORNANDE *Aulziagros* dici. Longum foret percensere nomina reliqua, quibus Hunnos subinde insigniunt scriptores, Græci in primis.

I 2

TVRCAS

h) Lib. I. de bello Persico. cap. III. p. 9. edit. Parisiensis 1662.

i) Cl. OTROKOTZI, quod hæc Hunnorum pars, AGATHIAE, et SIMOCATTO Lib. VII. c. VII. *Nephtalita* dicuntur, conicit, partem forte aliquam *Nephtalitarum*, vnius e X. tribubus Israel, a Salmanassare annis circiter 738. ante natum Christum, in Assyriam, et ei subiectas tunc regiones (Mediam, Scythia conterminam, aliasque, 2. Reg. XVIII. 11.) abduçarum esse, quæ demum successu temporis, cum Scythiæ quibusdam populis misceri poterit. v. Orig. Hung. Part. I. c. V. p. 162. et VILHELM. SCHIKARD. Com. in *Tarich*, seu seriem regum Persiæ

p. 131. Plura in hanc rem dabit Ioh. FERD. BEHAMB in Notitia Hung. ad §. 95. p. 64.

k) Lib. II. de Bello Pers. c. XXIX. p. 164. B. Vide supra coniectationem nostram notula c) de *Kotrigoris*, *Vtigris* et *Vltizuris*; ad eundem enim modum *Saberorum* nomen potuit subnasci. Nimirum pone proprium viri nomen *Sab*, et fac inde possessiuum *Sab Uré*, et habebis, leui declinatione, *Sabyri*. Idem de reliquis Hunnorum generibus, quorum nomina similiter exeunt, esto iudicium.

l) Lib. III. p. 94. Lib. IV. p. 122.

m) Lib. I. de bello Pers.

n) in *Geticis*, p. m. 597.

Persis  
Turca  
quoque  
dicti.

TURCAS fuisse adpellatos, ideo forte silendum non est, quia opprobrii quidpiam nomen illud, apud rerum imperitos, videtur habere, quod Hunni, et horum posterius, gentes sunt cum Turcis hodiernis consobrinae. Et THEOPHYLACTVS quidem SIMOCATTVS o) testatur, Hunnos, a Persis, TURCAS adpellatos: atque CEDRENVS: Τέρπων ἔθνος γένος κεν ἐστὶν Οὐνικόν. *Turcarum nationem, gentem esse Hunniacam.* Sed nihil habet opprobrii ista quoque adpellatio, quia ex Perfarum lubricitate Hunnis hæsit. Recte NICEPHORVS p) de Scythis: *propriam, inquit, adpellationem, ipsi sua lingua norunt, qui vero Græcis nominibus eos adpellant, alias aliter, suo quisque arbitrato, illos vocant.* Idem de Hunnis dictum esto. *Nam id fere populis omnibus accidit, ut aliter a peregrinis, quam a suis nominarentur. Itali a Græcis, Hesperii; Hellenes a Latinis, Græci; Libyes, a Græcis, Afri: cum tamen neque Itali, Hesperiorum, neque Hellenes, Græcorum, nec Libyes, Afrorum nomen usurparent. Consimiliter Scoti, Anglos adpellant Saxonas: ita quoque hi, quos Turcos adpellamus, ab hac adpellatione vehementer abhorrent, et Saraceni vox in Asia et Africa inaudita est.* Ista BODINVS. q) Quid igitur mirere, si Hunnis iisdem, varia nomina a vicinis fuerint indita.

### §. VIII.

Hunni  
duplices,  
Asiatici,  
et Euro-  
pei.

Ista, quæ adtulimus, de varietate Hunnorum testantur: quin tractus locorum etiam indicant, quos illi, tamquam indigenæ, incoluerunt. Nimirum erant HUNNI, quemadmodum et Scythæ veteres, Asiatici alii, alii Europæi, vti morum similitudine, sic et sanguinis cognatione, haud quidem ab inuicem dissidentes, nisi quod Euthaliæ, de quibus PROCOPIVM audiuius, multum a feritate illa, et grassandi libidine, quæ reliquos reddidit infames, vicinorum exemplis adducti, remisissè perhibeantur. tenebant enim regionem, Persidi contiguam, qua ad Boream vergit, et ipsi nihilominus bellicosi, Persisque funesti exstitere. Reliqui feri erant et indomiti, Asiatici potissimum, qui intra Imaum montem, Mæotidem paludem, et oceanum glaciale accolebant. AMMIANVS MARCELLINVS, r) quem hic sequi statuimus, ita mores istorum describit: *Hunnorum gens, monumentis veteribus leuiter nota, ultra paludes Mæoticas, glaciale oceanum accolens, omnem modum feritatis excedit.* Et de situ quidem non minus, quam de feritate gentis, consentiunt omnino scriptores, qui res Hunniacas attigerunt. HIERONYMVVS sæpe de nationis barbara crudelitate, querulantem audias. Sed MARCELLINVS, ex quo ea feritas Hunnorum elucescat, describere pergit: *Vbi, inquit, quoniam ab ipsis nascendi primitiis infantum ferro sulcantur altius genæ, ut pilorum vigor tempestiuus emergens, corrugatis cicatricibus hebetetur, senescunt imberbes, absque vlla venustate, spadonibus similes.* Sua hæc MARCELLINI verba IORNANDES fecit, sic enim de Hunnis ait: *in pignora sua, primo die nata, desciunt. Nam maribus primo die genas secant, ut, antequam lactis nutrimenta percipiunt, vulneris cogant subire tolerantiam. Hinc imberbes senescunt, et sine venustate ephebescunt; quia facies ferro sulcata, tempestiuam pilorum gratiam, per cicatrices absument.* Grande profecto immanitatis documentum, quod an de gentibus aliis obseruarint rerum scriptores, equidem nescio. Gelonis, antiquæ Sarmatarum genti, morem eundem tribuit CLAVDIANVS; s) sed de adultis, non infantibus, intelligendus:

Illorum  
mores ex  
Marcel-  
lino  
descri-  
buntur.

Infan-  
tum re-  
cens na-  
torum  
genas  
ferro se-  
cant.

Qua im-  
manita-  
te bar-  
baras  
gentes  
superant.

*Membraque, qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.*

Et VIRGILIUS: c)

*Eoasque domos Arabum, pictosque Gelonos.*

Quod

o) apud EVSTHATIUM in περιηγήτω.

p) Lib. II. c. VII.

q) Method. Histor. c. IX.

r) Lib. XXXI. c. II. conf. de Hunnis eorumque sedibus ac moribus ZOSIMVS Lib. IV. SOZOMENVS Lib. VI. cap. XXXVII. AGATHIAS Lib. V. IORNANDES de rebus Geticis. Hist. Mi-

scell. Lib. XII. REGIN. Prumiens. Lib. II. p. 44. b. indice. LINDEBROG. in eundem hunc locum MARCELLINI p. m. 473. edit. IAC. GRONOVII Lugd. Batav. 1693. fol.

s) Lib. I. in Rufin. v. 315.

c) II. Georgicæ.

Quod SERVIVS, stigmata habentes interpretatur. Sed ne id quidem temere credunt eruditi. SALMASIVS u) certe, et hunc secutus CELLARIUS, v) colore Gelonos, faciem, vel corpus vniuersum, pinxisse censet, quod et aliis barbarorum sub illo caelo solemne fuit. De Scritifinnis hæc habet PROCOPIVS: x) εἰ μὴν εἰδὲ τὰ βρέφη αὐτοῖς κατὰ ταυτὰ τιθηνῆνται τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις· εἰ γὰρ σιτίζονται Σκριθίωνων παῖδια γυναικῶν γάλακτι, εἰδὲ μητέρων ἀποτονται τιθῆ· ἀλλὰ ζῶντων τῶν ἀλισκομένων τοῖς μυελοῖς ἐκτρέφονται μόνοις· ἐπειδὴν ἔν γυνὴ τάχιστα τέκοι δέρματι τὸ βρέφος ἐμβαλλομένη, κρεμᾶ μὲν εὐθὺς ἐπὶ δένδρον τινός· μυελὸν δὲ ἐπὶ τῆ σῶματος ἐνθεμένη, εὐθὺς στέλλεται ἐπὶ θῆραν· ἐπὶ κοινῆ γὰρ τοῖς ἀνδράσι τὸ ἐπιτήδευμα μετῴσι τῆτο. Id est: *Quin et infantes apud eos, ut apud ceteros mortales, non enutriuntur. non enim Scritifinnorum liberi lacte cibantur; nec maternas mammæ attingunt; sed ferarum solum medullis educantur. quippe ubi primum peperit mulier, infantem statim pelle inuolutum ab arbore aliqua suspendit, medullaque in os ingesta, protinus ad venationem proficiscitur: maritos enim ad hoc studium exeuntes, comitantur.* Multum sane duritiei, sed quæ Hunniacam illam nondum æquat. Hodie matres Hungaræ, de vulgo illæ, alio profus more ducuntur. videas namque, non iam infantes bimulos trimulosue, sed pueros etiam quinque, immo sex annos subinde natos, matrum vbera auidissime exinanire: ad quod eas officium præstandum, si fletus haud sufficiat, conuitiis subinde inuitant: qua de re suo loco ac tempore pluribus.

## §. IX.

Porro, quod ea ratione imberbes fiant Hunni, lubenter, et AMMIANO, et IORNANDI, concesserim. Sed tamen alia quoque eius rei causâ, quemadmodum recte obseruauit VALESIVS, y) adferri omnino potest: sic enim de Cutriguris, quæ Hunnorum gens est, narrat AGATHIAS: z) οἰμωγὴ τε ἠκέετο μακρὰ βαρβαρική. τοῖς γὰρ ξιφιδίοις τὰς παρειὰς καταξάιοντες ὠλοφύροντο κατὰ τὸν πατριὸν νόμον. Et gemitus barbarorum ingens audiebatur; genas enim pugionibus concidentibus, more patrio, lugebant. qua quidem re fieri oportebat, ut tot vulneribus concisa, et corrugata cicatricibus facies, illepidum quid, ac vetularum vultibus simile præferret. Neque hæc luctus ratio Hunnis tantum solemnis fuit. Certe de Turxatho, Dilzibuli, vel Dizabuli filio, Turcorum principe, idem ex MENANDRO PROTECTORE a) adnotauit VALESIVS. Is enim cum patri nuper mortuo, celebraret exequias, Romanorum legatos, qui aderant, vna cum reliquis Turcorum, genas sibi laniare iubebat: Δέον ὑμᾶς, ὦ Ῥωμαῖοι, καταχαράττειν τὰ πρόσωπα ταῖς μαχαίραις. Id est: *decet vos, o Romani! concidere faciem pugionibus.* Ex quo more intelligendi sunt SIDONII versus in Panegyrico ad Auitum:

*Vulnere vel si quis plangit, cui flesse, ferisse est,  
Ac ferro perarasse genas, vultuque minaci  
Rubra cicatricum vestigia defodisse.*

Ceteroquin parentum hæc in liberos sæuitia fuit, an beneficium? quippe quod eo pertinebat, teste IORNANDE, ut ante tolerandis vulneribus adsuescerent, quam lætis perciperent nutrimentum. Sed nec liberi in parentes atque fratres, mitiores erant, si CLAUDIANO b) credimus:

*- - - - - Fratresque secare  
Ludus, et occisos, pulchrum iurare parentes.*

## K

## §. X.

u) in Solinum c. XV. p. 133.  
v) Geogr. antiq. Lib. II. c. VI.  
x) rerum Gothic. Lib. II. cap. XV. p. 424.  
y) ad h. l.

z) Lib. V.  
a) Hist. Lib. VIII.  
b) Lib. I. in Rufin. v. 329.

*Libero-  
rum in  
parentes  
feritas.*

## §. X.

Corporis  
Hunno-  
rum ha-  
bitus.

Inde habitum corporis perbelle depingit AMMIANVS MARCELLINVS : *Compactis omnes, firmisque membris, et opimis ceruicibus. prodigiōse forma et pandi, ut bipedes existimes bestias, vel quales in commarginandis pontibus effigiati stipites dolantur incompte.* Ad compacta membra quod adinet, pronum erat, durari ea, perpetuis, seu bellorum, seu venationis laboribus, quibus ab ineunte ætate exercebantur Hunni: id quod meliori iure ad laudem, quam vituperium gentis transtuleris. Scilicet,

*Non vanos horret strepitus : illi ardua ceruix,  
Argutumque caput, breuis aluus, obesaque terga :  
Luxuriatque toris animosum pectus.*

Quomodo VIRGILII versibus, virum fortem descripsit SENECA. c) Adde SIDONII illud de Hunnis: \*)

*- - - - Viris stant pectora vasta,  
Insignes humeri, succincta sub ilibus aluus.*

Iornandis  
cum Am-  
miano  
consensio.

Illud vix caret conuicio, quando Hunnos, *bipedes* vocat *bestias*, *stipitesque incompte dolatos*. quinimo sibi ipsi contraire videtur AMMIANVS. Nam infra, d) vbi Alanos cum Hunnis comparauisset: *Proceri, inquit, Alani pene sunt omnes et pulchri, crinibus mediocriter flauis, oculorum temperata toruitate terribiles, et armorum leuitate veloces, Hunnisque per omnia suppare, verum victu mitiores et cultu.* Quidquid eius rei sit, consentiunt auctores, habitum gentis describentes. IORNANDES: quos, inquit, *bello minime superabant, vultus sui terrore, nimirum pauorem ingerentes, terribilitate fugabant, eo quod erat eis species pauenda nigredine, sed velut quadam (si dici fas est) deformis offa, non facies, habensque magis puncta, quam lumina. quorum animi fiduciam toruus prodit adspectus.* Et post pauca: *exigui quidem forma, sed arguti, motibus expediti, et ad equitandum promptissimi: scapulis latis, et ad arcus sagittasque parati: firmis ceruicibus, et in superbia semper erecti: Hi vero sub hominum figura, viuunt belluina sanctia.* Atque hæc ille a MARCELLINO mutuatus est, adfectui suo, quo in Hunnos ferebatur, perquam accommoda. CLAUDIANVS e) ita de Hunnis canit:

*Est genus extremos Scythia vergentis in ortus,  
Trans gelidum Tanaim: quo non famosius vllum  
Arctos alit: tristes habitus, obscenaque visu  
Corpora: mens duro numquam cessura labori.*

Crantzii  
locus.

Ex recentioribus, IORNANDEM, in describendis Hunnis, ALBERTVS CRANTZIVS f) expressit: *noua inquit, hominum facies, terrorem ingerebat cernentibus. Nam breuis eorum statura: toruus adspectus. luminum puncta potius, quam oculi: color teter, insuetis tartaream faciem præferbat.* Male id sua ætate, ad Hungaros transtulit, OTTO FRISINGENSIS: g) *Sant, inquit, Hungari facie tetri, profundis oculis, statura humiles, moribus et lingua barbari, ut iure fortuna culpanda, vel potius diuina patientia sit admiranda, quæ ne dicam hominibus, sed talibus hominum monstris, tam delectabilem exposuit terram.* Diceres, dedita opera conuiciari historicum, oppido bonum, nisi illis temporibus, hoc, quidquid est, prauis adfectus, adscribendum esset.

Ottonis  
Frisingen-  
sis in

c) Epist. XCV. p. m. 358.

\*) Carm. II.

d) eodem hoc capite.

e) loco, quem supra indicauius.

f) Sueciæ Lib. II. c. XV. p. m. 437.

g) de rebus gestis Friderici I. Lib. I. c. XXXI. p. m. 212.

esset. Certe illa aetate, qua floruit FRISINGENSIS, si vel maxime foedum illum corporis habitum, a maioribus suis traxissent Hungari, emollici tamen erant, et in aliam quasi gentem transformati, cultu humanitatis vix vlli cedentem. quod vero opima regione, quam hucusque tenent Hungari, indignos censuit, turpis inuidiae praebuit documentum. Nos ad MARCELLINVM reuertamur.

Hungaros conuiuium.

## §. XI.

Victus ille rationem ita describit: *In hominum autem figura, licet insuauis, ita Hunnobi h) sunt asperi, ut neque igni, neque saporatis indigeant cibis; sed radicibus herbarum agrestium, et semicruda cuiusuis pecoris carne vescantur, quam inter femora sua, et equorum terga subsertam, fotu calefaciunt breui. De Scritofinnis, similia fere habet PAVLLVS DIACONVS: i) Nec aliis, utpote feris ipsis ratione non dispares, quam crudis agrestium animantium carnibus vescuntur. Non discordat hodie Tartarorum consuetudo, quos ipse ego vix dum calefactas ad ignem carnes, tam cupide vorasse vidi, ut sanguinem fere crudum, ore spumarent. Neque defunt, in nostris Hungaris, qui lautitiis huiusmodi adhuc delectentur: lardum certe, non igne, non fumo tostum, sed conditum sale, in deliciis subinde, non ab agrestibus tantum, sed nobilioribus etiam haberi aduertat: quod illi cepis aut allio, condimenti loco adhibitis, et auide comedunt et concoquunt bene. Ceterum castrensi more Hunnos id factitasse crediderim, ut carnibus, turpi adeo fotu calefactis, vescerentur: nam vbi id tempus et locus permittebant, coctas assasue apponebant. quemadmodum eius rei ATTILAE conuiuium, infra memorandum, exemplum praebet: nisi malit quis statuere, morem illum ab iis gentibus accepisse Hunnos, quas partim vicerant, partim in belli pertraxerant societatem. Pergit MARCELLINVS: Aedificiis nullis vnquam tectis; sed haec, velut ab usu communi discreta sepulchra, declinant. Nec enim apud eos vel arundine fastigiatum reperiri tugurium potest; sed vagi, montes peragrantes et sylvas, pruinas, famem, sitimque perferre ab incunabulis adsuescunt. Peragre tecta, nisi adigente maxima necessitate, non subeunt: nec enim apud eos securos existimant esse sub tectis. Omnia ex Scytharum more, quibus non domus, non oppida erant; sed per incultas solitudines errare soliti, vxores liberosque secum in plaustris vehebant, quibus, coriis imbrium hyemisque causa tectis, pro domibus utebantur. Dicerem, proxime haec ad priscam hominum indolem accedere, si responderent cetera. Grauius SENECA: k) Mibi crede, felix illud seculum ante architectonas fuit. Ista nota sunt, iam nascente luxuria: in quadratum tigna decidere, et ferra, per designata corrente, certa manu trabem scindere.*

Hunni refugiunt adificia.

Atque id Scytharum more.

### *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum.*

Non enim tecta conationi, epulum receptura, parabantur: nec in hunc usum, pinus aut abies deferebantur, longo vehiculi ordine, vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro graui penderent. Et: sub marmore atque auro, seruitus habitat. Concordant Alanorum, Hunnis per omnia similia, mores, quos eodem isto loco, AMMIANVS ita pingit: *Nec enim vlla sunt illisce tuguria, aut versandi vomeris cura, sed carne et copia victitant lactis, plaustris supersidentes, qua operimentis curuatis corticum, per solitudines conferunt, sine fine distantes. Cumque ad gramina venerint, in orbiculatam figuram sarracis, ferino ritu vescuntur: absumentisque pabulis, velut carpentis ciuitates impositas vehunt, maresque supra cum feminis coeunt, et nascuntur in his, et educantur infantes, et habitacula sunt haec illis perpetua; et quocumque irent, illic genuinum existimant larem. Et erat sane mos hic, populis Scythiam incolentibus communis. Hinc TERTULLIANVS l) aduersus Marcionem: Gentes, inquit, ferocissima inhabitant, (Pontum) si tamen habitatur in plastro. Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua, que ad et plurimum nuda, etiam quum abscondunt, suspensis de iugo pharetris, ne temere quis intercedat.*

Quomodo et Alani viuunt.

Ac gentes plera Pontum.

h) sequimur emendationem GRONOVII, cum vulgo legant: *ita visi sunt asperi.*  
i) rerum Longobard. Lib. I. c. V.

k) Epist. XC.  
l) Lib. I. cap. I. indicium faciente LINDEBROGIO.

## §. XII.

*Amictus Hunnorum pelliceus.*

Hæc de victu Hunnorum, amictus iam sequitur: *Indumentis*, inquit AMMIANVS, *operiuntur linteis, vel ex pellibus siluestrium murium consarcinatis: nec alia illis domestica vestis est, alia forensis; sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta, non ante deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluerit, defrustrata.* Fere quemadmodum supra de Scythis ex IVSTINO diximus: atque id, si SENECAM m) audias, non sine sapientiæ laude: *Illi, inquit, sapientes fuerunt, aut certe sapientibus similes, quibus expedita erat tutela corporis. Simplici cura constant necessaria: in delicias laboratur: non desiderabis artifices, si sequere naturam. illa noluit esse districtos; ad quecunque nos cogebat, instruxit. Frigus intolerabile est corpori nudo. quid ergo? num quid non pelles ferarum, et aliorum animalium, a frigore satis abunde defendere queunt? non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murium? que tactu mollia et impenetrabilia ventis sunt.* Sed quinam isti mures silvestres? Supra in

*Quales ea pelles.*

Scytharum moribus diximus nonnihil; hoc loco addimus, quæ IORNANDES prodidit: *Hunugari*, gens Hunniaca, a quibus Hungarorum nomen manavit, hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum venit commercium. Discas hinc, abundasse pellibus huiuscemodi Hunnos, ut inportare etiam potuerint in orbem Romanum, suis iam commerciis adsuæfactum. Odoratas eas fuisse, plurium auctorum testimonio constat. Certe D. HIERONYMVS n) inter eas res, murium istorum pelles, recenset, quæ sunt odoris suavissimi: *Odoris, inquit, et suffitus et diuersa thymiamata, amomum, cyphi, ananthe, muscus et peregrini muris pellicula.* Quo factum esse credo, ut ætate posteriori, ad luxum, pellium harum vsus, transfiret, de quo legere est apud HELMOLDVM: o) *Pellibus abundant peregrinis, quarum odor letiferum nostro orbi superbia venenum propinauit. Et illi quidem, ut stercora hæc habent, ad nostram quasi damnationem, qui ad marturinam vestem anhelamus, quasi ad summam beatitudinem.* Itaque pro laneis indumentis, quos nos adpellamus faldones, illi offerunt tam pretiosos martures. Nimirum quas IORNANDES murinas, eas HELMOLDVS marturinas pelles dixit, quomodo hodie quoque vocari audias. At non solis amiciebantur pellibus. erat Hunnis vestis quoque lintea, sed aut non omnibus, aut dignioribus tantum, atque hæc atrii coloris. Ita enim MARCELLINVS: *in carpentis coniuges, tetra illis vestimenta contexunt.* quæ ideo, *obsoleti coloris*, vocat noster. Alioquin Scythici moris fuit, p) ut feminae in currubus desidentes, opera muliebria factitarent. Neque vero Hunnorum tantum hæc amiciebatur ratio fuit, de Scri-

*Lintea Hunnorum vestes atra.*

*Scrifin ni, victu et amictu Hunnis superiores.*

tofinnis PROCOPIVS: q) *κρέασι μὲν θηρίων ἀεὶ τῶν ἀλισκομένων σιτίζονταί· τὰ δέρματα δὲ ἀμφιέννυνται, ἐπεὶ τε αὐτοῖς ἔτε λιγόν, ἔτε ὅτω ράπτουεν ἐνεῖν· οἱ δὲ τῶν θηρίων τοῖς νέυροις τὰ δέρματα ἐς ἀλλήλα τὰυτα συνδέοντες, ἔτω δὴ ἐς σῶμα ὅλον ἀμπίχονται.* Id est: *Et ferarum captarum carnibus, (crudis puta, ut supra ex PAVLLO DIACONO audiuius) semper vescuntur, pellibusque earum vestiuntur; siquidem neque limum, neque quo consuunt, quidquam habent. quidam vero ferarum nervis tergora colligantes, totum integunt corpus.* Superest vestimenti huius pellicei genus quoddam, apud armentarios nostros, quod illi more suo: *Hāti bôr*, quasi dicas: *pellem tergi*, adpellant. Scilicet, tergora, ouina cum primis, diuite lana atque proluxa, luxuriantia, eaque emacerata nondum, quomodocunque consuunt, et tergo ita iniiciunt, ut si opus sit, toti corpori queant circumdare. Tempestates certe omnes, quas cum armentis, perpetuo in solitudinibus vagantes, subire coguntur, chlenæ huius beneficio, depellunt. Si enim pluat, villosam extus, glabram intus habent superficiem; quod etiam, cum æstus est nimius, faciunt: sin contra frigeat, villis corpus fouent, eadem illa veste, interdiu ac noctu, contenti.

*Hunniaci vestitus reliquie quedam apud armentarios Hungaros.*

## §. XIII.

m) Epist. XC.

n) Lib. II. contra Iouianum.

o) Chron. Slau. Lib. I. cap. I.

p) Herodotus Lib. IV.

q) rerum Gothic. Lib. II. p. 423.

## §. XIII.

Postea, capitis operimentum describit AMMIANVS : *Galeris incuruis capita te-* Capita  
galeris  
operie-  
bant  
Hunni.  
*gunt.* HIERONYMVS, r) adnotante VALESIO, tiaras vocat. postquam enim Romanos ab Hunnis vinci memoravit, subiicit : *Nec amputamus causas morbi, ut mor-*  
*bus pariter auferatur : statimque cernamus, sagittas, pilis ; tiaras, galeis ; caballos,*  
*equis, cedere.* Nempe, sicuti miles Romanus, *galea* integebat caput, ut esset ab hostili ictu tutum ; ita *tiara*, seu *galero*, Hunnus, diuersissimo longe munimento. Enimuero, *galea* ferreum capitis tegumentum erat, pelliceum contra *galerus* ; eo tantum *galea* respondens, quod ad eius modum rotundus fuit. Sed ISIODORVS s) *galeam* a *castide*, non a *galero*, distinguit : *Cassis de lamina est, inquit, galea de corio ; nam galerus corium dicitur.* Verum non est illud perpetuum apud auctores. Ceteroquin vulgare pilei genus, *galerum* fuisse, ex VIRGILIO t) patet, qui eo rusticos fuisse vsos, scribit :

- - - - *Fulvosque lupi de pelle galeros*  
*Tegmen habent capiti.*

Vnde simul discas, quibus e pellibus, *galeri* vulgo fiebant. De Roxolanis STRABO : u) *χρῶνται δὲ ὠμοβλίνοις κράνεσι, καὶ θώραξι.* Id est : *utuntur galeis ac thoracibus, de crudis bouum coriis.* Et alibi v) de Albanis et Iberis, inter Ponticum Caspiumque maria, colentibus : *περίκρανα δὲ θήρεα ἔχουσι, παραπλησίως τοῖς Ἰβηρσι ;* hoc est : *galeas ferinas habent, quemadmodum Iberi.* Ac de Amazonibus : x) *δορὰς θηρίων ποιοῦσι περίκρανα.* *Ex ferarum pellibus galeas conficiunt.* Patrio ergo more *galeris* istiusmodi Hunni utebantur, qui sane, quo erant e crudis ferarum coriis facti negligentius, eo magis formidabilem reddebant truculenti vultus adspectum. *Incuruos galeros* dicit AMMIANVS, ut colligas, laxiores fuisse, altioresque, quam pro more. Et habent sane hucusque Hungari pilei quoddam genus, quod Hunnorum huic *galero*, respondeat. Pelles nimirum ouillas, nigræ cum primis lanæ, ita confiunt, ut et caput laxè integatur, et apex hirsuti huius pilei, in curuum desinat, ac pene humeros verberet : qui si nullo sit panno inuestitus, populari vocabulo *Kutma*, seu pannus adfit, *Kolpag*, nuncupatur.

## §. XIV.

De pedum munimentis, ita loquitur MARCELLINVS : *Hirsuta crura coriis mu-* Hunno-  
rum cal-  
cei in-  
formes,  
gressus  
eorum  
impedi-  
unt.  
*nientes hadinis : eorumque calcei formulis nullis aptati, vetant incedere gressibus liberis,*  
*qua causa ad pedestres parum accommodati sunt pugnas.* Commune gentium illarum cal-  
ceamentum ; de Gothis SIDONIVS : y)

- - - - *ac poplite nudo*  
*Peronem pauper nodus suspendit equinum.*

Sed Hunnorum eo incommodius, quod sine formula factum. Namque calceus nulli adaptatus formæ, sicut pedi non respondet, ita vestigia fallit. Hinc ἀποδες καὶ ἀπροσφαλεῖς, *sine pedibus, et ad lapsum proclives*, Hunni dicuntur ab antiquo scriptore apud SVIDAM. Ο δὲ ἐκίλευσι χωρεῖν ἐπὶ τὰς ἀποδας καὶ ἀπροσφαλεῖς Ουνηες. ἀνευ γὰρ

r) in Epitaphio Nepotiani. Cur *galerum* adpeller *tiaram* Hieronymus, ex alio eius loco discas : Epist. CXXVIII. ad Fabiolam, de vestitu Sacerdotum : *Quartum, inquit, genus vestimenti est rotundum pileolum, qualem picturam in Plysse conspicimus, quasi sphaera media sit diuisa, et pars una ponatur in ca-*

*pite. hoc Graeci, et nostri τιάραν, nonnulli galerum vocant.*

s) Lib. XVIII. c. XIV.

t) Aeneid. Lib. VII. v. 688.

u) Lib. VII.

v) Lib. XI.

x) ibidem.

y) Carm. VII.

γὰρ ἰσῶων ἢ ῥαδῶς ἀν ὄννοσ τὴν γῆν κατήσειν. Id est: Ille vero iussit, ut contra truncos, et in incessu titubantes Hunnos procederent: neque enim Hunnos sine equo facile ambulauerit. Non ergo iniuria, sicut obseruat diligentissimus VALESIVS, indignatur D. HIERONYMVS: z) Proh pudor! fugit Romanus exercitus, victor orbis et dominus. ab his vincitur, hos pauet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent, qui si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Concordat ZOSIMVS: a) μάχην μὲν ῥαδίαν ἕτε δυνάμειοι τοπαράπαν, ἕτε εἰδότες ἐπαγαγεῖν. πῶς γὰρ; οἱ μὴτε εἰς γῆν πῆξαι τὰς πόδας οἶοιτε ὄντες ἐδραίως, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἵππων, καὶ διατάμειοι καὶ καθεύοντες. Id est: Ac stataria quidem pugna prorsus neque poterant, neque norant hostem adgredi: id enim quo pacto? qui ne quidem in terram firmiter pedes defigere poterant; sed in equis et haerebant interdū et somnum capiebant. Illud vero ipsum est, quod et

Hinc perpetuo equites pugnant.

MARCELLINVS tradit: equis prope adfixi, duris quidem, sed deformibus, et muliebriter nonnunquam insidentes, funguntur muneribus consuetis. et ex ipsis quiuis in hac ratione pernox et perdius emit et vendit, cibumque sumit, et potum, et inclinatus cervici angustae iumentis, in altum soporem, ad usque varietatem effunditur somniorum. Profecto ergo, sine conuicio esse non potest, illud AMMIANI nostri, quod iam supra notauimus, Hunnos, bipedes bestias, vocantis. Si enim ἀποδες καὶ ἀροσφαλεῖς, hoc est, sine pedibus, sine vestigio certo, si pernoctes atque per dii in equis sunt, si actus omnes, quos homines edunt, equites peragunt, Centauros rectius dixisset, qui sunt b)

- - duplici natura et corpore bino  
Ex alienigenis membris compacta potestas.

Quomodo fere de Hunnis CLAUDIANVS: c)

Nec plus nubigenas duplex natura bifformes  
Cognatis aptauit equis. - - - -

Equitandi ritus.

Quid vero illud, quod muliebriter nonnunquam equis insidere scribit AMMIANVS? Nempe, non vti iam confueuimus, diuaticatis pedibus, ad vtrumque iumentis latus, sed collectis in vnum, quomodo hodiernum feminas equitare videas. Atque eo modo, Gubazen, Lazorum regem equo insedisse, cum a Iohanne Byzantino pugione vulneratus ad terram prosterneretur, monet ad hunc locum LINDEBROGIVS ex Agathia: Ἐρύχωνε γὰρ ἐγαλλὰρδον ἔχων τῶ πρόδι ὑπὲρ τὸν ἀυχίνα τῆ ἰσῶω. Id est: Adposito forte pede, equi cervicibus insidebat. Tartaris, hanc equitandi rationem, hucdum familiarem esse, norunt, qui viderunt: neque id tamen, nisi extra praelium, et vbi nihil est periculi metuendum: credo, vt nates perpetua equorum fellas infessione, hoc qualicumque remedio, infani reficerent. Atque hoc ipsum fuit, cuius causa Hunni muliebriter equitasse dicerentur.

## §. XV.

Quo habitu ac more Hunni de re publica consultarint.

Priuatam hucusque vitam Hunnorum, ex AMMIANO descripsimus: nunc, quales in publico fuerint, subiungamus. *Deliberatione*, inquit, *super rebus proposita seriis*, hoc habitu omnes in commune consultant. Equites ergo, atque armati, more gentium bellicosissimarum, publica inter se negotia, agitabant: quomodo hucusque Sarmaticae gentes consueuerunt, ac nostri olim Hungari, in campis Rákos, Pestensium oppido proximis. forte, ne quid temere consulerent, aut, rationibus, non satis pensitatis, statuerent quidpiam, cuius mox postea poeniteret. Profecto enim, habet, nescio, quid momenti, ratio ista, ad consulendum circumspicte, si quidem inter homines liberos, atque eos armatos, nec temere quidquam suadere, nec quod suafum recte est, impune reiicere liceat. Hoc in confesso est, rectius ita Hunnos

z) in epitaphio Nepotiani.

a) Lib. IV. in actibus Valentis, et Gratiani  
p. m. 747. 17.

b) Lucretius v. 877.

c) Lib. I. in Rufinum.

Hunnos consultasse, quam olim Persas, vino madentes. De his STRABO: d) Ἐν ὄνῳ τὰ μέγιστα βελύσσονται καὶ βεβαυότερα τῶν ἐν νήσει τίθενται. Id est: de rebus maximis, ad vinum consultant: eaque decreta ipsi firmiora censent, quam quæ sobrii statuunt. Crederem, quia in vino veritas, sicuti inquit e) PLINIVS: nisi MAXIMVS TYRIVS f) rationem adferret, æquiorē: Ἀνεκείντο, τοῖς Πέρσαις αἱ βυλαὶ εἰς τὰς ἐνωχίας, ὡσπερ τοῖς Ἀθηναίοις εἰς τὰς ἐκκλησίας Ἀττικῆς. ἐκεῖ μὲν γὰρ νόμος κολάζων τὴν μέθην ἐπήγειρεν αὐτῶν τὰς ἀρετὰς τῇ ἐνωχίᾳ, καθάπερ ἔλαιον, πῦρ ἐπιχέων τῇ ψυχῇ συμμέτρως μὴ τελείως σβεννὺς αὐτῆς τὸ φιλότιμον, μήτε ἐξάπλων τῆς χρείας περαιτέρω. Hoc est: Deliberare in conuiuiis Persæ, sicut in concionibus Athenienses, solebant. quum enim per legem inebriari nefas esset, modicus vini vsus, non aliter, quam oleum igni infusum, animos eorum excitabat; vt nec ardorem eorum penitus restingueret, nec ultra tamen, quam necesse esset, accenderet. Idem, de Germanis quoque, apud TACITVM g) lego: De pace, inquit, ac bello plerumque in conuiuiis consultant: tamquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec calida aperit adhuc secreta pectoris, licentia loci. Ergo detecta, et nuda omnium mens, postera die retractatur. et sua utriusque temporis ratio est. deliberant, dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare non possunt. Persas non miror, quippe gentem, inter Asiaticas in primis mollem, et effeminatam. De Germanis, vix credibile videretur, nisi id, grauissimus auctor adfirmasset, quod gentibus semper sunt accensi, sicuti manu fortibus, ita grauibus consilio. Sed erant tamen Germani perpotandi libidine, iam priscis illis temporibus, celebres, an infames. Conuictibus, inquit iterum TACITVS, et hospitibus, nulla gens effusius indulget. et mox: diem noctemque continuare potando, nulli probrum: ac paullo post: cibi simplices: agrestia poma, recens fera, aut lac concretum; sine apparatu, sine blandimentis, expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia, si indulseris ebrietati, suggerendo, quantum concupiscunt; haud minus facile vitiis, quam armis vincentur. Nempe, bellicosarum gentium, domesticum quasi quoddam malum fuit ebrietas. Certe, τὴν μέθην τοῖς πολεμικοῖς ἔθνεσιν, ebrietatem bellicosarum gentibus, adscribit PLATO. h) Illud tamen pessimum erat, quod potandi hanc licentiam, ad publica concilia translulerunt, quasi prudentibus esse non liceret, nisi per ebrietatem. Profecto Hunnorum iste mos, in equis, de re publica consultantium, eo se commendat magis, quo est sobrietas, ebrietate potior.

## §. XVI.

De expeditionibus Hunnorum, ita porro habet AMMIANVS noster MARCEL-  
LINVS: Aguntur autem nulla seueritate regali, sed tumultuario optimatum ductu contenti, *Quomodo bella perrumpunt, quidquid inciderit.* Scilicet vita Hunnorum omnis, militia fuit. Hanc *gesserint Hunni.* illi non nutu principis vnus, sed ductu optimatum suscipiebant, gerebantque, forte, quod ad libertatem hoc pertinere existimabant. Mixta ergo tunc *Et quibus ducibus.* fuit Hunnorum respublica, ex aristocratia, et democratia, quemadmodum plerarumque gentium barbararum; si respublica tamen dicenda est, vbi sine lare, sine lege, sine ritu stabili viuunt. Quamobrem AMMIANVS quoque tumultuaria hæc optimatum imperia vocat. nimirum prout, siue spectata inter suos virtus, siue fors quædam alia ducem inconditæ multitudini, præficiēbat. Exstat, ducis istiusmodi nomen, apud SIDONIVM: i)

*Sed Scythicæ, vaga turba, plage,  
- - - cuius dux Hormidac atque  
Ciuis erat.*

SCHÖDELIVS, k) vltima verba: *ciuis erat*, sic explicat, vt ipsi sint: *natus Hunnus*; sed vereor, vt satis recte. tamen enim non reluctet, ducem *Hormidac*, natio-

d) Lib. XV. conf. HERODOT. Lib. I.

e) Lib. XXII. c. XIV.

f) Dissertat. XII. adde, eundem gentis morem explicantem ATHENÆVM Lib. IV.

g) de moribus German.

h) Lib. I. de Legib.

i) Carm. II. vers. 241.

k) in Dissert. p. 18.

ne fuisse Hunnum ; verosimile quippe haud est , gentem feram , neque adfuetam adhuc peregrinorum commercio , alienigenæ imperio se fuisse permissuram : aliud tamen poetam innuere velle existimo , istud scilicet : *HORMIDACVM* ducem quidem Hunnorum , ceteroquin ciuem e vulgo fuisse , ad hanc dignitatem , forte ob virtutem bellicam , lectum . Neque longa opus est disputatione , qua duces istiusmodi potestate l) inter Hunnos fuerint : *tumultuariam* enim fuisse *AMMIANVS* nos docuit , hoc est , eo comparatam , vti expeditiones , quas suscipiebant , ex animi sententia gererentur ; quomodo iterum *MARCELLINVS* , *perrumpunt , quidquid inciderit* . Ceterum *tumultuariam* hanc ducitandi exercitus rationem , tum apud Hunnos obtinuisse credo , cum erant imbecilliores : postea enim crescente eorum potentia , tribus singulis principes singulos praefuisse , ex *PRISCO RHETORE* constat : ita enim ille de *Acatziris* : *Ea gens , inquit , est Scythica , qua in potestatem Attila hac de caussa venit . In eam gentem plures , per tribus et generationes , imperium exercebant . Inde reges , summam rerum administrabant , de quibus suo loco ex instituto* .

## §. XVII.

Ratio  
pugnandi.

Ratio bellandi sequitur : *pugnant nonnunquam laceffiti , sed ineuntes praelia , cuneatim , variis vocibus , sonantibus toruum* . *Laceffitos* ergo nonnunquam pugnare Hunnos , ait noster . Recte , si id fecissent iniuriarum propulsandarum causa . Sed erant omnino Hunni , vti postea audiemus , *adeo permutabiles et irasci faciles , ut eodem aliquoties die a sociis , nullo irritante , saepe desciscerent , itidemque propitiarentur , nemine leniente* . Vnde colligas , temere eos plerumque bella intulisse , sociis quoque , nihil tale meritis . et qui fieri poterat aliter , a gente , praedandi auiditate flagrante . Addit noster : *pugnant nonnunquam laceffiti , sed et ineuntes praelia cuneatim , variis vocibus , sonantibus toruum* . Erat hic praeliandi ritus , gentium fere omnium , vt pugnantium feruorem , clamore accenderent . De Romanis *LIVIVS* : m) *Clamor indicium primum fuit , quo res inclinatura est : excitatior crebriorque ab hoste ; ab Romanis dissonus , impar , segnis , saepe iteratus , incerto clamore prodidit pauorem animorum* . Hinc et clamore istiusmodi , animos militum fuisse exploratos , idem *LIVIVS* n) testatur : *Consul , concione aduocata , si iam satis animi est , inquit , decernique placet , agite dum , clamorem , qualem in acie sublaturi estis , tollite hic , indicem voluntatis virtutisque vestrae* . Sed nec Græcos , ab isto more abhorruisse , ex *STATIO* o) discas :

*Herculeum Paena canunt , vastataque monstros  
Omnia frondosa longum Deus audit ab Oeta* .

De Gallis *LIVIVS* : p) *Nata in vanos tumultus gens , truci cantu , clamoribusque variis , horrendo cuncta compleuerant sono* . Ac de Hispanis *SILIVS* : q)

- - - *Misit dives Gallacia pubem ,  
Barbara nunc patriis ululantem carmina linguis ,  
Nunc pedis alterno percussa verbere terra ,  
Ad numerum resonans gaudentem plaudere cetras* .

Idem de Parthis quoque , Hunnorum consobrinis , apud *APPIANVM* \*) lego : *ὡς δὲ ἑγγυς ἐγένοντο , καὶ σπυεῖον ἤθη παρὰ τῆ στρατηγῆς , πρῶτον μὲν ἐνεπίπλωλατο Φθογγῆς βαρείας καὶ βρόμου Φοικώδης τὸ πειδίον . Πάρθοι γὰρ ἢ κέρατιν , ἢ δὲ σάλπιγγιν ἐποτρύνουσιν εἰς μάχην , ἀλλὰ ῥόπτρα βυρσοπαγῆ καὶ κοῖλα περιτείνοντες ἤλοις χαλκοῖς , ἅμα πολλαχόθεν ἐπίδρασσι . ( τὰ δὲ φθέγγεται βύθιον τε καὶ δεινόν , ἀρυγῆ θηριώδει καὶ τραχύ-*

l) confer , quæ de potestate ducum Hunnorum habet I. F. BÖHAMB , in Notit. Hung. antiq. modernæ p. 44.

m) Lib. IV.

n) Lib. III.

o) Thebaid. Lib. IV.

p) Lib. V.

q) Lib. III.

\*) in Parthicus , p. m. 237. 238.

τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον) ἐν πῶς συνωρακότες ὅτι τῶν ἀδιτηρίων ἢ ἀκοῇ παρακτι-  
 κωτάτων ἐστὶ τῆς ψυχῆς, καὶ τὰ περὶ ταύτην πᾶσιν τάχιστα κινεῖ, καὶ μάστιγα πάντων  
 ἐξίσχισι τὴν διάνοιαν. Hoc est: *Ut vero iam propiores signum pugnae acceperunt, primum*  
*strepitus grauis, cum horrendo fremitu totis campis insonuit: nam Parthi non cornicibus,*  
*nec tubicinibus pugnam cient, sed pelles cauo abeno inductas malleis undiquaque simul pul-*  
*sant, mugitum quendam belluinum e concavo, similem tonitru reddentia; gnari auditum*  
*ex omnibus sensibus unum maxime turbare animam, ac affectus in ea mouere, ac men-*  
*tem excutere.* An vero Hunni posteri, vocibus toruum sonantibus, tubas iunxe-  
 rint, vel buccinas, aut tympana, non habeo dicere; tamen id quoque solemne  
 postea Hungaris fuerit, praelium inituris. Hodie si confligendum cum hoste sit,  
 sacro sanctum Seruatoris nomen IESVS, ter repetitis vocibus, inclamant nostri,  
 quod sicuti ad ingenerandam mentibus religionem, spemque victoriæ, multum  
 momenti habet, ita Turcis, suum occinentibus HALLA, terrori subinde existit,  
 animosque fregit. Sed Cuneus, quis fuerit, docet nos VEGETIVS: r) *Cuneus di-*  
*citur multitudo peditum, qua iuncta acie, primo angustior, deinde latior procedit, et*  
*aduersariorum ordines rumpit, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur, quam rem*  
*militēs nominant caput porcinum.* Peditum ergo, istam, ordinandam aciei, rationem,  
 Hunni equites, imitabantur, ut et impetus facerent eo vehementiores, et dispersi,  
 ex more, in cuneum, opportune iterum possent redire: tamen plerumque vagis  
 incurfibus, et disiectas per cateruas, praeliantur; postea longa aduersus fortissi-  
 mas gentes, Gothos non minus, quam Romanos, militia, insueuerunt sequi  
 signa, et dicta imperatorum accipere, quemadmodum de Germanis TACITVS  
 loquitur.

## §. XVIII.

Iam in ipso praelio, qua sint vsi seu virtute, seu celeritate, Hunni, sic descri-  
 bit MARCELLINVS: *Vsque ad pernicitatem sunt leues et repentini, ita subito de in-*  
*dustria dispersi vigescunt, et incompōsita acie, cum cade vasta discurrunt, nec castra ini-*  
*mica pilantes, pra nimia celeritate, cernuntur.* Scilicet hic praeliandi mos Hunnorum  
 fuit, ut nunc fugitiuis similes, hostes prolicerent, nunc cursu, nec opinantibus iisdem,  
 flexo, in aduersos ruerent. De quo praeliandi ritu CLAUDIANVS: s)

Hunnorum vir-  
 tus belli-  
 ca: cum  
 primis  
 pernici-  
 tas.

- - - - -  
*Acerrima nullo  
 Ordine mobilitas, insperatique recursus.*

Pugnabant ergo Hunni, Parthorum more, fugientes: de Parthis ita scribit APPIA-  
 NVS: \*) *Υπέφυγον γὰρ ἅμα βάλλοντες οἱ Πάρθοι καὶ τὸ το κράτισα ποῖσσι μετὰ*  
*Συθάσ καὶ σοφώτατον ἐστὶν, ἀμυνομένως ἐπι σώζεσθαι, καὶ τῆς Φυγῆς ἀσφαρῆν τὸ ἀιχρόν.*  
 Id est: *Parthi enim inter refugiendum sagittas emittebant: id quod post Scythas optime*  
*morunt facere, egregio commento, salutem simul protegente, et tollente a fuga turpitudi-*  
*nem.* Idem de Hunnis ex AGATHIA t) notasse iuuat: *Defecerat, inquit, barbaros,*  
*pra timore ars illa, quam exsequi pro sua consuetudine, quam maxime solent, ut fugi-*  
*endo acrius longe se insectantes oppugnent, dum ex equis in hostem mox versi, sagittas im-*  
*mittunt, quas utique tunc violentius, in quem destinauerint, insigunt, quod sane eo fa-*  
*cilius fit, quo illi in persequentes, recta et ex aduerso maximo impetu deferuntur, et*  
*insectatores ipsi, effuso cursu, in arcus prouendo, sagittis se induunt, et vulnera acri-*  
*ora excipiunt, dum his obuiam eunt.* Quod sane pugnandi genus, ne Romanos qui-  
 dem imitari puduit. Sic iterum AGATHIAS u) de Narsete: *βαρβαρικὴν τινα στρα-*  
*τηγίαν καὶ μάλλον τοῖς Οὐννοῖς μεμελετημένην ἐπιχρησάτο: ἐκίλυσε γὰρ τῆς ἀμφ' αὐτὸν*  
*ἐπέλαυντας τὰ νῦτα εἰς τὰ ὀπίσω ἀναχωρεῖν.* Id est: *Narses, qui a Francorum copiis*  
*premebatur, barbarum quoddam et Hunnis magis vsitatum stratagemata excogitauit, suos*  
*enim terga vertere iussit.* Scilicet, cedere loco, atque instare rursus, consilii, non

M

formi-

r) Lib. III. c. 19.

s) Lib. II. in Rufin.

\*) in Parthiis p. m. 239.

t) Lib. V.

u) Lib. I. sub finem. Suppar huic stratage-  
 ma legis de Hunnis Euthalithis apud  
 PROCOPIVM Lib. I. de bello Persico.

formidinis, apud Hunnos erat. Alium præterea morem pugnandi Hunnis visitum fuisse, apud PROCOPIUM v) lego: erat, inquit, inter Massagetæ, (ita Hunnos, qui in auxiliis Belisarii erant, vocat) vir et fortitudine, et corporis robore præcellens, qui paucos ductabat. Is ex maioribus usque suis, honoris præmia est adsecutus in cunctis Hunniacis expeditionibus, quod primus semper in hostes sit solitus incurrere. Non enim Massageta homini fas est, aliquem in acie hostium capere, nisi prius ex eadem gente aliquis in hostes, manibus abstinendo, incurrat. Hic itaque haud longe ab hostibus existens, currens equo incitato solus in eos, proximè constitit. Vandili vero, vel quod animi magnitudinem in viro expauescerent, vel quod aliquid insidiarum parari sibi suspicarentur, neque se mouere, neque eum aliquo telo sunt impetere ausi. existimo enim, quod nondum pugnandi illorum consuetudinem viderint, tantumque audierint, inexpugnabile genus esse, ac propterea periculum extimuisse. At ille in suos conuersus ait: quam paratam nobis escam misit hodie Deus! incurrentes igitur in Vandilos, non sustinentes ordinem soluerunt, ac robore minime respondentes, omnes turpiter perierunt. Atque his artibus Hunnos, Gothis euasisse superiores, infra explicabimus. Huc pertinet ZOSIMI x) locus: περιλάλει, inquit, καὶ ἐν ῥωμαῖς ἐνκαίροις ἀναχωρήσων, ἐκ τῶν ἵππων καταπορεύοντες, ἀπειρον τῶν Σκυθῶν ἐργάσοντο φόνον. Hoc est, partim circumequitando, partim excurrendo, et oportune recedendo, iaculantes ex equis immensam Gothorum cadem edebant. Non ergo habet admirationem, quod in tanta præliandi pernicitate, neque vallum inuaserint Hunni, neque castra pilarent inimica: siquidem acie sic fusa, uti iam ex ZOSIMO audiuius, pronum omnino fuit, sine insultu, vallo castrisque potiri: quid quod vallum inuadere, et castrorum tentare fossas, peditum fuerit, non equitum labor.

## §. XIX.

Virium  
impugna  
robur.

At enimvero, non sola pernicitas fuit, qua pollebant Hunni, robore non minus, quam pugnandi ardore, valebant. Ita MARCELLINVS: Eoque omnium acerrimos facile dixeris bellatores, quod procul missilibus telis, acutis ossibus pro spiculorum acumine, arte mira coagmentatis, sed distinctis: cominus ferro, sine sui respectu, confligunt, hostesque, dum mucronum noxias obseruant, contortis laciniis, illigant. Plura ad hunc locum recognoscenda erunt. Et pugnandi quidem rationem illam, sagittis

Arte sa-  
gittandi  
excellen-  
bant  
Hunni.

eminus, cominus gladiis, a Scythis, maioribus suis, traxisse Hunnos, certum est. Inimicos, inquiunt illi, egregia aptud Alexandrum oratione, y) sagitta eminus; hasta cominus petimus. Erant sane acerrimi sagittarii Hunni, non minus, quam Scythæ, Parthi, Armenii, et Cydonii, olim hac arte nobiles, de quibus CLAUDIANVS: z)

Scis, quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas  
Armenius, refugo quæ sit fiducia Partho.

SIDONIUS certe a) iaculis excellere Hunnos ait:

Cursu Herulus, Chonus iaculis, Francusque natatu.

Atque id  
equite.

Quæ Hunnorum ars sagittandi, eo erat memorabilior, quod equites, etiam auersi, expeditissime iacularentur. PROCOPIUS b) certe Hunnos ἵππιτοξότας ἀρίστους, hoc est, optimos in equo sagittarios vocat, quia inter equitandum peritissime iacularentur: quæ ars Gothos, eorum hostes, deficiebat, quippe quorum equites hasta duntaxat et gladio utebantur, sagittarum vsu peditibus solis relicto: c) quæ quidem re factum est, ut ab Hunnis longe superarentur. Ceterum, quod tela missilia, ossibus præmuniebant acutis, inopia ferri, an artificum, factum esse crediderim. namque ferro sagittas armare, fabrilis opus est; sed ossibus, militis forte cuiuscunque. Sic de

v) Lib. I. de bello Vandalico.

x) Lib. IV. in actibus Valentis et Gratiani,  
p. m. 747. 21.

y) CVRTIUS Lib. VII. c. VIII. 18.

z) IV. Consul. Honorii v. 529.

a) Carm. VII.

b) Lib. II. Gothic. princip.

c) vid. PROCOPIUM Gothic. Lib. I.

de Fennis, Germanorum maxime orientalibus, TACITVS: d) *Fennis mira feritas, fæda paupertas; non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus, sola in sagittis spes; quas inopia ferri, ossibus adspersant.* Arcus non meminit AMMIANVS, vt fas sit coniecere, Scythicos fuisse, quos alibi descripsit: e) *Cum arcus omnium gentium flexis curuetur hastilibus, Scythici soli, vel Parthici; circumductis utrinque introrsus pandis et patulis cornibus, effigiem luna decrescentis ostendunt, medietatem recta et rotunda regula diuidente.* TERENCEIANVS f) hanc Scythici arcus formam ita descripsit:

*Nervis mollibus inuicem  
Iunctis in teretem struem,  
Ceu Parthes solet aut Scythes,  
Arcus cornibus extimis,  
Leuemnectere lineam.*

Vnde colligas, Scythicum arcum, probe tensum, figuram habuisse *αυφινωρον*, hoc est, *utrimque gibbosam*: qua re fiebat, vt tela eo fortius elideret, cornibus arcus, e circulo illo, in rectam lineam cum impetu resiliens. Atque istiusmodi fuisse Hunnorum quoque arcus; fas est; vt existimemus, eo quod sagittandi arte Scythi atque Parthi fuerunt suppare. Quid vero illa auctoris verba, tela Hunnorum missilia describentis: *procul*; inquit, *telis, acutis ossibus, pro spiculorum acumine arte mira coagmentatis, sed distinctis confligunt.* si res lectionis integra esset; crederem bifidas Hunnorum sagittas fuisse, vt vulnerarent efficacius; cur enim acuta illa ossa, quibus pro spiculorum acumine vtuntur, distincta dixisset auctor?

## §. XX.

Hactenus præliandi ritus, eminus fuit; de eo, qui cominus fiebat, dixerat MARCELLINVS: *cominus ferro, sine sui respectu, confligunt, hostesque, dum mucronum noxias obseruant, contortis laciniis illigant; vt laqueatis resistentium membris, equitandi vel gradiendi adimant facultatem.* Gladios intelligit AMMIANVS; quibus conferta iam acie, dimicabant, eo maiori virium contentione, quò minus ictus hostium expauescebant: *confligebant enim sine respectu sui; hoc est, non vulnera, non cædem declinantes; quippe sine galea, sine lorica, sine scuto.* Huc illud SILII ITALICI de Gallis canentis, accomodes:

*Cominus,  
quomodo  
conflixe-  
runt  
Hunni?*

*Mærebant cæde sine vlla  
(Insolitum sibi) bella geri, siccasque cruore  
Inter tela siti Mauortis hebescere dextras.*

Nonne verò hastas quoque in bello gerebant nostri? nequeo pro certo adfirmare. Siquidem ex veterum Scytharum more capiendum sit argumentum, hastatos esse oportuit, quod illi sagitta eminus, hasta cominus, pugnabant; sin vero ex præliandi ea pernecitate, qua pollebant Hunni; vix equidem crediderim, seu hastis, seu verutis se onerauisse; saltem id eos fecisse, cum primum Europæ cœperunt innotescere, nusquam lego. Postea enim, sicuti artem ordinandæ aciei, sic et varia armorum genera, ab iis populis, cum quibus perpetua bellâ gessere, mutuati sunt. Nunc, pro hastis laqueos secum trahebant, quibus hostes, dum *mucronum noxias obseruabant*, hoc est, gladiatorum deuicabant ictus, perniciose illigabant: nam et ille mos ab antiquis Scythi profectus est. de Iaxamathis MELA \*) *ostio fluminis (Tais) proximi Iaxamathæ. apud eos easdem artes femina; quas viri exercent, adeo, vt ne*

M 2

militia

d) de moribus Germanorum.  
e) Lib XXII. c. VIII. p. 244.

f) in Lib. de metris.  
\*) Lib. I. extremo.

*militia quidem vacent. Nec ferro dimicant, sed quos laqueis interceptere, trahendo conficiunt.* Ac de Auchatis VALLERIVS FLACCVS: g)

*Doctus et Auchates patulo vaga vincula gyro  
Spargere, et extremas laqueis adducere turmas.*

HERODOTVS de Nomadibus Sagartiis: *armaturam neque aheneam, neque ferream adsueta ferre, praeter pugiones, utentes reste, e viminibus conferta, qua freti, in praelium eunt.* Lacinias contortas dixerat noster, quas HERODOTVS restes e viminibus confertas adpellat. Inde praeliandi ritum describit: *Est autem praelium eorum virorum huiusmodi: cum hoste congregientes, iniiciunt eas restes, in summo habentes laqueos, qui quum aut equum, aut hominem adepti sunt, eum ad se trahunt: ita illi laqueati conficiuntur.* Operosum profecto pugnae genus, quod non minus celeritatem in milite, quam lacertorum robur inusitatum, requirat. Enimuero, laqueis irretitos hostes, atque hos reluctantes adhuc, quin ipsa quoque iumenta, secum raptare, nae is mihi labor sit Herculeus. quippe qui

*- - - fesus latis humeris, et mole iuuenta,  
Agmina vastabat clava, nihil indigus ensis.*

Quemadmodum egregie de eo canit SILIVS ITALICVS. h) Idem de Alanis EGESIPPVS i) tradit: *Laqueos, inquit, iacere, atque hostem innectere, ars Alanis, bellandique mos est.* Dignum memoratu est, quod apud SOZOMENVM k) legitur: *Hunnus quidam, cum Theotimum, Tomorum, in Scythia, Episcopum, opulentum ratus, illaqueare secumque rapere vellet, manum, qua laqueum iniecerat, arescere sensit.* Atque haec de Hunnorum praeliandi ritu sufficiant.

## §. XXI.

*Quales  
domi fu-  
erint  
Hunni?*

Postea reliquum vitae genus, egregie describit AMMIANVS MARCELLINVS: *Nemo apud eos arat, nec stiuam aliquando contingit. Omnes enim sine sedibus fixis, absque lare, vel lege, aut ritu stabili, dispalantur, semper fugientium similes, cum carpentis, in quibus habitant; ubi coniuges tetra illis vestimenta contextunt, et coeunt cum maritis, et pariunt, et ad usque pubertatem nutriunt pueros. Nullusque apud eos interrogatus, respondere, unde oritur, potest, alibi conceptus, natusque procul, et longius educatus.* Plane ex Nomadum more, quem et in Alanis, Hunnis per omnia superparibus, ex eodem nostro MARCELLINO, supra notauimus. Sed ista, utut barbariem praese ferant, plus tamen laudis habent, quam vituperii. Illud, quod sequitur, maxime in vicio positum est. *Per inducias infidi, inconstantes, ad omnem auram incidentis spei nouae, perquam mobiles, totum furori incitatissimo tribuentes. Inconsultorum animalium ritu, quid honestum, quid inhonestum sit, penitus ignorantes: flexiloqui et obscuri, nullius religionis, vel superstitionis reuerentia aliquando districti: auri cupidine immensa flagrantes: adeo permutabiles, et irasci faciles, ut eodem aliquoties die, a sociis, nullo irritante, saepe desciscant, itidemque propitientur, nemine leniente.* En foedissimam viciorum sentinam! Desciuerunt nimirum Hunni, a prisca illa integritate Scytharum, quam supra laudauimus. Sed non omnium ita erant deprauati mores. Supra l) ex PROCOPIO, Euthalitarum victus morumque rationem, ad aequi iustique leges factam, commemorauimus. Quin et ipsi isti Hunni, de quibus hoc loco MARCELLINVS, multum posthac, cum arma bellaque, in regiones cultiores, transtulerunt, a barbara feritate ista, remisisse leguntur. Haberemus eius rei monumenta, nisi PRISCI RHETORIS, qui rebus ATTILAE, legati functus dignitate, interfuit, historiam, fata nobis inuidissent.

## §. XXII.

g) Lib. VI. Argon.

h) Lib. II. in Terone Herculis.

i) Lib. V. c. 50.

k) Lib. VII. c. 25. Plura de ritu laqueis pugnandi, qui volet, adeat IOSEPHVM,

Belli Judaic. Lib. VII. SVIDAM in voce *σέρπαις*. PAVSANIAM in Atticis. atque LIPSIVM notat, in Analect. ad milit. p. 284.

l) hoc ipso capite: §. VII.

## §. XXII.

Illud credibile haud est, quod dicit MARCELLINVS: nullius religionis, vel super-  
 stitionis reuerentia aliquando districtos fuisse Hunnos. Itane ergo profus nullam  
 habuere religionem Hunni? Non credo! PRISCVS profecto, quem nunc laudauimus,  
 ensē Martis, bouis detectum indicio, non a regibus tantum Scytharum,  
 diuino cultum honore, tradit, sed memorat etiam magnam ex eo potentiae Attilae  
 factam fuisse accessionem. Verba auctoris haec sunt: m) Ἐσεῖσθαι δὲ οὐκ εἰς μικρὰν  
 τῆς παύσης αὐτῶ δυνάμεως αὐξήσιν συμβαίνειν καὶ τῆτο τὸν θεὸν τὸ τῆ Ἄρεος ἀναθήναν-  
 τος ξίφος, ὅπερ ὄν ἱερὸν καὶ παρὰ τῶν Σκυθικῶν βασιλέων τιμώμενον, δια δὴ τῶ ἐφόρῳ  
 τῶν πολέμων ἀνακείμενον ἐν τοῖς πάλαι ἀφανισθῆναι χρόνοις, ἕτα διὰ βοὸς εὐρεθῆναι.  
 Hoc est: Neque parua illi, (Attilae) potentiae accessio contigit ex eo, quod Martis ensis  
 erat detectus. Hic tanquam sacer, et Deo, bellorum praesidi dedicatus, a Scytharum regi-  
 bus olim colebatur, et multis antea seculis non visus, bouis ministerio fuerat tunc tem-  
 poris erutus. Ad quam PRISCI fidem, IORNANDES quoque prouocat: Addebat  
 ei (Attilae) confidentiam, gladius Martis inuentus, sacer apud Scytharum reges semper  
 habitus: quem Priscus historicus, tali refert occasione detectum. Cum pastor quidam  
 gregis, vnam buculam conspiceret claudicantem, nec caussam tanti vulneris inueniret,  
 sollicitus vestigia cruoris insequitur, tandemque venit ad gladium, quem depascens herbas  
 bucula incaute calcauerat, effossamque protinus, ad Attilam defert. quo ille munere  
 gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur se totius mundi principem constitutum, et  
 per Martis gladium potestatem sibi concessam bellorum. Non profecto tanta, ex detecto  
 ense, siue religio, siue spes, incessisset animum Attilae, nisi patrio ritu, Deum  
 Martem fuisset veneratus. Erat enim hoc, antiquissimis temporibus, in vniuersum  
 Scythis vsu receptum, enses loco numinis venerari. Sic POMPONIVS MELA: n)  
 Mars omnium Deus, ei pro simulacris enses, et tentoria dedicant, hominesque victimas  
 ferunt. Concordat HERODOTVS, cuius locum alibi o) dabimus. Neque est,  
 cur ambigamus, transiisse ad Hunnos, hanc Scytharum religionem. Quinimo,  
 erat hoc in more positum priscis populis, ut difficulter, et nonnisi, vbi ritus victo-  
 rum cogebantur recipere, ab auita colendorum deorum ratione, recederent. Disce  
 id ex DIONYSIO HALICARNASSENSI: p) τὰυτα γὰρ (θεῶν καὶ δαιμόνων πατρὶς  
 σεβασμὸς) ἐπὶ μήκιστον χρόνον διὰ Φυλακῆς ἔχει Ἑλλάς τε καὶ βάρβαρος χώρα· καὶ εἶθι  
 ἀξιοὶ καινοτομεῖν εἰς αὐτὰ, ὑπὸ δείματος κρατεμένη μνημάτων δαιμονίων. μάλιστα δὲ  
 τῆτο πεπρόθησιν οἱ βάρβαροι διὰ πολλὰς αἰτίας, ἃς ἔ καιρὸς ἐν τῶ παρόντι λέγειν.  
 καὶ χρόνος εἰδὲς μέχρι τῶ παρόντος ἀπομαθεῖν, ἢ παρανομήσαι τι περὶ τῆς ὀργισμένης  
 τῶν θεῶν ἐπισειν, ἕτε Αἰγυπτίως, ἕτε Λίβυας, ἕτε Κελτοὺς, ἕτε Σκύθας, ἕτε Ἰνδοὺς, ἕτε  
 ἄλλο βάρβαρον ἔθνος, εἶθι ἀπλῶς εἰ μὴ τινες ὑφ' ἑτέρων ἔξουσία ποτὲ γενόμενοι, τὰ τῶν  
 κρατησάντων ἠναγκάσθησαν ἐπιτηδεύματα μεταλαβεῖν. Hoc est: Has enim (colendorum  
 deorum, et geniorum cerimonias) iam diutissime seruant, cum graeca, tum barbara na-  
 tiones: nec quidquam in eis censent immutandum, ira divina metu. potissimum vero  
 hoc barbari persuasum habent, multas quidem ob caussas, quas enumerare nunc tempus  
 non sinit: nec longa temporum serie adduci potuerunt haecenus, ut cultum Deorum, quo-  
 rum sacra patrio more celebrant, dediscere, aut aliqua ex parte immutare voluerint, vel  
 Aegyptii, vel Afri, vel Celtae, vel Scythae, vel Indi, aliaque vlla gens barbara, nisi quae  
 forte in alienam potestatem redacta, ritus victoris recipere coacta fuerint. Tenaces igitur,  
 Hunnos quoque, auitae religionis existisse, non est, \*) cur ambigamus. Ac-  
 cedit, Alanorum illam religionem, quam describit AMMIANVS, sicuti cum Scythica  
 superstitione concordare, ita Hunnis quoque familiarem censerit oportere. Si enim fune

N

Alani

m) In eclogis legation.

n) Lib. II. cap. I.

o) Libro Scythico, eo capite, quod ager  
 de Religione veterum Scytharum.p) Antiquit. Rom. Lib. VII. p. 474. 25. edit.  
 Lipsienf. 1691.\*) Adde Prisci locum: Ἐπὶ τῆτοις ἱσπέν-  
 δ' ὄντο Ρωμαῖοί τε καὶ Οὐνοί· καὶ πᾶν

τρὸν ὄρον ὁμόσαντες, ἐς τὰ ἀμώτερα  
 ἐπαθήσαν. His conditionibus pacem  
 Romani et Hunni pepigerunt, qua  
 iureiurando, patrio ritu, vtrin-  
 que firmata, vtrique ad sua re-  
 dierunt. Vides, patrio ritu, hoc est,  
 religione, iurasse Hunnos.

Alani Hunnis per omnia suppare, victu autem solo mitiores, et cultu; necesse est, ad hanc utrorumque similitudinem, religionem quoque referamus. Ita vero AMMIANVS de Alanis: *nec templum apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum, cerni usquam potest; sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque ut Martem, regionum, quas circumcircant, praesulem verecundius colunt.* Habes hic descriptum penitus, Scytharum, colendi Martis, ritum; cur ergo non Hunnorum etiam? Equidem, ita sentio, non tam cerimoniais, quam sensu religionis, caruisse Hunnos. quod ipse innuere videtur AMMIANVS, cum Hunnos, nullius religionis aut superstitionis reuerentia aliquando districtos fuisse, scribit. qua de re, cum tempus locusque postulabit, pluribus.

### §. XXIII.

Lingua  
Hunnorum  
qualis?

Solet, inter auctores, et de Hunnorum lingua, disputari. Qui Hunnos, HVNNO, germanicae nationis homine, fatos perhibent, eandem Hunnis, ac Germanis, linguam antiquis temporibus, fuisse, sola dialecti ratione quodammodo discretam, contendunt. Sed quia HVNNS ille ex solius cerebro BEROSI prognatus est, facile potest intelligi, nubem prensare eos, qui Hunnis tribuunt linguam germanicam. IRENICVS id plane adfirmat: q) HVNNI, germanica lingua utebantur, ut qui vitam Attilae scripserunt, satis demonstrauerunt. Sed de Hungaris addit: Hungari vero semper alienissimam ab idiomate germanico sortiti sunt, unde et ego adductus sum, nec Hungaris facile originem germanicam concesserim. Et alibi: Hunnos rigor sermonis Germanos esse prodidit, Hungaros autem alienos. Rem eandem miris modis TRÖSTERVS r) exaggerat, et quasi omnem confecisset, ita triumphat. Germani sunt ipsi Hunni; Germanicum eorum idioma; Germanicum Attilae nomen. Non est iam animus, disputationem eius, qua aduersus SCHÖDELIVM vitur, operosius excutere. Habet enim aliquid SCHÖDELIVS s) in sua illa defensione linguae Hunno-Scythicae, quod minus probatur rerum pericis. Ceterum non potuit non hanc respuere sententiam, suo iam tempore, THYROTZIVS: t) Voluere nonnulli, maxime frater Martinus, qui Romanae historiae compendium generauit, quod haec tres nationes, puta, Hunni, Gothi et Vandali, una eadem esset generatio, et eiusdem fuisset labii siue linguae, tantummodo nominibus differrent. Nulla ratio admittit, nec illi, quibus haec placuere, euidenti suam intentionem documento probant. Nam Hunni Gothos propriis sedibus expulissent minime, si Hunni et Gothi eadem generatio fuissent. Praeterea Gothi priores Hunnis, dum nec Hunnorum audiebatur strepitus, Romano imperio infesti fuere, Vandali autem longe post Hunnorum egressum Scythicis de partibus erumpentes. Recte adfert rationem deposcit, ipse tamen non satis idoneam adfert, cum inde diuersos populos, Gothos, et Hunnos fuisse, colligit, quod hi, illos, sedibus eiecerint: Enimuero obuia apud historicos sunt exempla, gentem saepe eandem, mutuis se armis confecisse. Non est opus, e longinquo ea repetere, ipsi Hunni nostri dabunt. Sane VITHIMIRIS, rex Gothorum, teste MARCELLINO, Hunniacis fretus auxiliis, aduersus Hunnos, cum primum in Europam irruerunt, bellum aliquantis per traxit: quin Sandilchus, Hunnorum Cotriguorum dux, suos ipse ciues, quod sibi mercedem a Iustiniano debitam praeripuerunt, ad internecionem deleuit. u) Ergo alia via iste auctorum error conuellendus est. Nimirum ipse Gothicarum rerum scriptor IORNANDES, v) Hunnorum linguam, Gothicam fuisse negat: quasi hominum genus, nec alia voce notum, nisi quae humani sermonis imaginem assignabat. Talem sane linguam Hunniacam, non omnino dixisset, si aliqua ei, cum Gothico idiomate exstitisset similitudo. Hinc PRISCVS, x) linguam Hunniacam, atque Gothicam, plane ab inuicem distinguit. ita vero ille: *nescio quis, quem barbarum, et unum aliquem ex Scythico exercitu esse rebar. Graeca voce me salutauit: Xāiqa. Mirari ego, qui fieret, ut graece loqueretur vir Scythia: etenim intra*

q) c. XXXV.

r) Daciae Nouo-Antiq. Lib. III. c. V. seq.

s) Dissert. §. 175. seqq.

t) Chron. P. I. c. VIII.

u) AGATHIAS Lib. V. extr.

v) loco saepius citato.

x) l. c. p. 59.

sua conclusit barbaricam linguam colunt et adfectant, neque tam Hunnorum aut etiam Aufoniorum, hi scilicet, quibus cum Romanis frequentius est commercium: hoc est: in sua ciuitate, Hunniaca eos lingua vti, sin vero cum exteris, Gothis puta, aut Romanis, quaedam eis esset consociatio, Gothica, et Aufonia. Proinde, cum Gothici, tum Latini etiam sermonis, peritos fuisse, Hunnos cultiores, oportet: Aufonium enim idioma latinum interpretor; a quo tamen vtroque, domesticum, seu Hunniacum, toto caelo differebat. Hinc et Zerchon ille Marusius, risum, in conuiuio Attilæ, omnibus elicuit, quod Hunniacam linguam cum Gothica et Aufonia facete miscuerit: *Arrepta*, inquit PRISCVS y) *festiuitatis occasione*, (Zerchon) *et forma, et habitu, et pronuntiatione, et verbis confuse ab eo prolatis, modo Aufoniorum, modo Hunnorum, modo Gothorum linguam intermiscens, omnes letitia et hilaritate diffudit, et effecit, vt in risum, qui sedari et extinguere non poterat, prorumperent, excepto Attila. Attilas enim, vultu, omnis mutationis, expers et immotus, permansit, neque quidquam facere, quod iocum pra se ferret, conspectus est. Vides! discretam hic linguam Hunniacam, a Gothica, historicum dicere. Sed quid iuuat in re manifesta laborare?*

## §. XXIV.

Reliquias Hunno-Scythicae huius linguae, et eius, cum Hungarica hodierna, similitudinem, in voce *Hunni vár*, quae apud Iornandem legitur, SCHÖDELIVS, z) et OTROKOTSIVS, a) haud immerito quaerunt: Verba IORNANDIS ita habent: b) *contigit, vt Attila filii contra Gothos, quasi desertores dominationis suae, velut fugacia mancipia requirentes, venirent, ignarisque aliis fratribus super Walemir solum irruerent, quos tamen ille, quamuis cum paucis, excepit, diuque fatigatos ita prostrauit, vt vix pars aliqua hostium remaneret, quae in fugam versa, eas partes Scythiae peteret, quas Danubii amnis fluuenta praetermeant, quae lingua sua Hunni vár adpellant. Exstant certe Hunniaci sermonis vestigium! Nec habeo, quod valde morer, TRÖSTERI clamores, Hunni vár, idem esse hic Iornandi, quod Hunnenward, hoc est, vt vult, BONAV. VULCANIVS, Hunnorum tractus. Reclamat IORNANDES ipse: eas, inquit, partes Scythiae petierunt, quas Danubii amnis fluuenta praetermeant, quae lingua sua Hunni vár adpellant. Sua ergo Hunnis lingua illa fuit, qua istud perugium ita vocarunt, neque profecto siluisset Iornandes, Gothicae nationis homo, si compertum habuisset, idem, saltem adfines Gothico, Hunnorum fuisse idioma. Vocis significatio, cuique, qui vel extremis labris Hungarica degustauit, obuia est. Qui notas in Iornandem scripserunt, pro Danubio, malunt Danaprum reponere, qui et Dnyper aliis, Nieper, Dnester, Nester, Danaster, audit. Ita vero vltra Danaprum, Sarmatiae Europaeae fluuium reiectos oportet Hunnos, quod vix admittit IORNANDIS contextus. enimvero Walemiri et fratrum eius, firus ita definit: *Ostrogothi, qui in Pannonia sub rege Walemir, eiusque germanis, Theodemir, et Widemir, morabantur, quamuis diuisa loca, consilia tamen habuere vnita. Walemir inter Scarniungam et Aquam nigram, fluuios; Theodemir iuxta lacum Pelsodis; Widemir inter vtrosque, manebat. Tenuisse nimirum Walemirum oportuit, eam partem inferioris Pannoniae, vbi nunc Comitatus Albensis, Sümögiensis, Tolnensis et Baranensis est. in his ergo tractibus, cum saepe iterumque manus conseruissent, bello tandem inferiores filii Attilae, cesserunt Gothis. Neque vero tunc Danaprum, sed Danubium, atque inde Patissum, habuere obiectum. quibus superatis, in suum illud perugium se receperunt, quod illi Hunni vár adpellarunt, non iam in Sarmatia, sed in Dacia Mediterranea, siue consulari, quaerendum, ubi hodiernum eiusdem nominis est, Comitatus Hunyadiensis, vulgo Hunnyad-vármegye; has enim oras diutius retinuisse Hunnos, Székehyiorum natio, quae constantes hic sedes habuit, docet. Est et in Hungaria superiore Comitatus Vng, siue Vngvármegye, a fluuio cognomine aliis, aliis ab arce Vngvár, dictus. BONFINIVS id nominis ab Hunnis deriuatum putat. c) quod si est, sicuti potest omnino, erit ipsissimum Iornandis Hunnivár, ex quo modica flexione**

y) ibidem p. 67.

z) l. c. §. 147. 175.

a) orig. Hung. P. II. c. XIII. §. 27.

b) de reb. Goth. c. LII. p. m. 628.

c) Decad. I. Lib. I. p. m. 18.

xione factum est *Vngvár*. Quamcunque sequaris coniectationem, perinde est. Quod vero tractus, quos petierunt Hunni, Scythiam adpellat *IORNANDES*, in eo oppido lapsus est, sicut plerumque, quum situs terrarum describit. Ceterum, futurus rationes linguæ Hunno-Scythicæ, si Deus voluerit, in ipso opere, executiemus. nunc ista delibasse sufficiat!

## CAPVT II.

De

Primo Hunnorum in Europam aduentu, et de iis populis, quos sedibus suis depulerunt.

*Synopsis.*

**H**unorum origine, varietate atque moribus, excussis, presso eos pede ex Asia in Europam sequimur. Nempe relicto interioris Scythiæ solo, cum in Oriente *VALENS* imperaret, Hunni in Europam perrumpunt. Varia hanc eorum impressionem præcessisse prodigia *MARCELLINVS* docet. Inquiremus postea in demigrationis huius causas iuxta et occasiones, veterum non minus, quam recentiorum sententiis aduocatis. Quos Hunni sub aduentum profligarint populos? curatius dispicimus. Fuerunt in his *Alani* atque *Gothi*; utrosque describimus. Pulsis Gothis, Romano imperio imminent Hunni, et hinc quidem in *Mæcias* *Thracias*que se infundunt, illinc Orientem immani feritate vastant.

## CAPVT III.

De

Rebus Hunnorum gestis, ante *ATTILAM*.

*Synopsis.*

**S**olent, rerum Hungaricarum scriptores, quum res Hunnorum persequuntur, multam, eamque honorificam, *ATTILAE*, mentionem facere, neglectis fere iis rebus, quæ tempora eius sunt antegressæ. Id ergo isto capite agimus, ut, quæ Hunni, seu in Oriente, seu in Occidente, iis temporibus, quæ *Attilam* antecesserunt, gessisse apud eius ætatis auctores leguntur, iusto ordine, et temporum ratione habita, expromamus. Igitur primo omnium expeditionum Hunniacarum, in *Mæcias* et *Thracias*, occasionem ex *ZOSIMO* describimus. Sequitur prima Hunnorum trans *Istrum*, *THEODOSIO* Magno imperante, impressio. Hunnorum grassationes sub *ARCADIO* in Oriente, iuxta et Occidente. *S. HIERONYMI* super ea querela; nec non *PHILOSTORGII* locus explicatus. Hunnorum cum *ARCADIO* fœdus, et tantæ rei occasio. Postea a rapinis abstinent Hunni, quin socios se gerunt Romanorum, quoties id usus tulisset. Hunni aduersus *RADAGAISVM* in auxiliis Romanorum sunt, *SARO* et *VLDIN* ducibus. *Sári* cum Hunnis suis, res, auspiciis *HONORII*, gestæ. Hunni alii in *Alarici* exercitu, inter auxilia *Honorii*. Hunnorum res, *THEODOSIO* iuniore impe-

imperante, quas RVA duce, gesserunt. Huic succedit ATTILA, de cuius rebus capite sequente.

## CAPVT IV.

De

## Hunnorum rebus gestis sub ATTILA.

*Synopsis.*

**Q**uia res ATTILAE, a rerum Hungaricarum scriptoribus, *Thurotzio, Bonfinio, Callimacho*, et *Olaho* diffuse tractantur, breuioribus isto capite sumus. Dabimus vero, quemadmodum fieri potest, in compendio, natales eius, mores, bella et interitum, auctoritatem antiquorum sequuti. Optamus autem, vt *IUVENCI* vitam ATTILAE, quam edere voluit *PEIRESCIVS*, e latebris protractam, luce tandem publica donare, atque nostris adnotationibus possimus illustrare. Certe *PRISCI RHETORIS*, quæ de ATTILAE rebus extant, eclogas, non minus integras hoc loco edere animus esse.

## CAPVT V.

De

## Hunnorum fati, post mortem ATTILAE.

*Synopsis.*

**M**ortuo ATTILA, cum de rerum summa conuenire nequeunt filii eius, a Gothis pelluntur, Pannoniasque relinquunt hostibus incolendas. Dabimus conuersionis huius historiam, *IORNANDE* præeunte. Quas demum grassationes Hunnorum reliquæ in Imperio Orientali, ad *IUSTINIANI* vsque tempora occæperint, ex eius ætatis scriptoribus, docebimus.

## CAPVT VI.

De

## Iis populis, qui postliminio Pannonias infederunt.

*Synopsis.*

**T**errarum illos tractus, quos infra describimus, diu satis habitarunt Hunni. His, post interitum ATTILAE, seu depulsis, seu per Pannonias sparsis, *Gothi* eodem postliminio occupant, possidentque, varia vti fortuna, ad alterum fere *Hunno-Auarum* aduentum. Quæ in istam ætatem gentium in Pannoniis, atque prouinciis reliquis, incidunt migrationes, sollicita cura perquirimus.

# LIBRI SECVNDI, SECTIO SECVNDA. GEOGRAPHICA.

## CAPVT I.

De

MOESIA antiqua, Superiore et Inferiore.

*Synopsis.*

**V**lſis Hunnorum rebus geſtis, eas regiones deſcribimus, quas ſiue poſſederunt aliquando, ſiue incurſionibus fatigauerunt. Offert ſe hic nobis primo loco MOESIA, quæ duplex eſt, *Superior* et *Inferior*, et inter vtramque *Dacia Aureliani*. MOESIAM Imperio Romano *M. Crassus* adieciffe legitur. MOESIAE *Superioris* termini, fluuii, vrbes, quæ ſunt in Dardania, quæ in mediterraneis, et denique ad Danubium ſitæ, ex antiquorum fide accurate deſcribuntur, et populi, cum vniuerſæ MOESIAE, tum in primis *Superioris*, recensentur. De ponte TRAIANI diſputatio: eius ſtupenda moles, ex DIONE et PROCOPIO: MAR-SIGLII *Comitis* de eo exiſtimatio, an verofimilis? MOESIAE *Inferioris* termini, fluuii, vrbes, cum Danubio adpoſitæ, tum in *Minori SCYTHIA* ſitæ. MOESIAE *Inferioris* tractus trans Iſtrum ex PTOLEMAEO. Pons DARI Iſtro iniectus. Ponti, ſeu MOESIAE *Inferioris* vrbes maritimæ. Populi Moefiæ huius, atque in his potiffimum *Triballi*, *Troglodite*, *Scythæ*, *Getae*, *Peucini*, ſiue *Baſtarne*.

## CAPVT II.

De

THRACIA Antiqua.

*Synopsis.*

**E**Rat omnino THRACIA, feralis belli Hunniaci, miſerabile theatrum, quam hic ideo cenſuimus perluſtrandam. Ponimus ergo THRACIAE terminos, cum varia eius partitione. Loquimur de cœli et ſoli Thracici natura, feris Thracum moribus, MELAM ſequuti. Recenſemus fluuios, montes, vrbes, non *Propontidis* tantum, ſed *Thraciæ* quoque *mediterraneæ*. Deſcribimus *Macröntichon*, cum THRACIAE, tum CHERSONESI etiam, quam cum inſulis Thraciæ, SAMOTHRACIA, THASO, IMBRO et CYANEIS, curioſius perluſtramus, monitis ſubinde, quæ paſſim locorum ab Hunnis ſunt geſta.

CAPVT

## CAPVT III.

De

DACIA antiqua, cum Barbarica, tum  
Prouincia Traiani.*Synopsis.*

**S**UCCEDET \* DACIA, Hunnorum potentiae, Gothis sub iugum missis, singulare firmamentum, in qua describenda, id praecipue damus operam, vt qui eius fuerint, ante aduentum Hunnorum, et prius temporibus, fines, vrbes, atque populi, ex antiquitate expromamus, reliqua autem, quae erunt difficilius indaginis, coniecturis vero quam simillimis, illustremus. Ante omnia DACIAE termini, verbis STRABONIS, PLINII et PTOLEMAEI describuntur. Amplam illam optimamque regionem, *Getae*, olim Thracicae gens originis, insidebant. Longam hic disquisitionem instituimus, an GETARVM, GOTHORVM et DACORVM gens, sit eadem, contra huius sententiae patronos, atque in his, TOPPELTINVM Transylvanum. Adserta inde *Dacis*, *Getisque*, optima regione, res eorum gestas perstringimus, ad TRAIANI vsque tempora, qui DACIAM, victo DECEBALO, Prouinciam imperii Romani fecit: vbi et de thesauris Decebali, Ponte Traiani, ex recentiorum mente, multa aduocamus. Postea de fluuiis, montibus, populis, vrbibus, et coloniis Romanorum, cura nobis est, lapidum testimonio subinde in rem nostram verso.

## CAPVT IV.

De

IAZYGVM METANASTARVM Regione, et adfini  
SARMATIA, QVADORVM item, et MARCOMANNO-  
RVM sedibus, quae in Hunnorum potesta-  
tem concesserunt.*Synopsis.*

**E**X DACIA ad IAZYGES METANASTAS, et his confines SARMATAS, QVADOS et MARCOMANNOS digredimur, quod horum quoque regiones occupauerunt Hunni, ditionum finibus, vltra amnem GRANAVAM, nunc *Granum*, atque CVSIVM, iam *Vagum*, protensis.

\*Immortaliter de conatibus nostris merebitur ILLVSTRIS SAMVEL KÖLESERIVS, de Keresér, *Dacia sua Antiqua*, quam is, vti est amantissimus studiorum nostrorum, totam se nobis permitturum, spondit.

## CAPVT V.

De

## PANNONIA Antiqua, Superiore et Inferiore.

*Synopsis.*

**T**Raiecto Danubio, PANNONIAS occupauerunt Hunni. Quando id primum fecisse censendi sint. Errant, qui hoc, quidquid est laudis, soli ATTILAE attribuunt: ante eum Hunnos huc peruasisse auctores docent. PANNONIAE nomen vnde arcessendum? Fines eius, ex harum rerum scriptoribus, designantur. Quis primus imperio Romano PANNONIAM adscripserit? Duæ vero sunt PANNONIAE, *Superior*, et *Inferior*. vtramque accurate describimus. Postea fluuios, insulas, lacus, montes, vrbes et colonias Romanas, in censum vocamus, vetera loca cum nouis, coniectura sagaci componentes. Lustramus populos, quorum mira sane cum varietas, tum multitudo, ad Hunnorum vsque ætatem, apud scriptores legitur, Pannoniam incoluisse. Singula hæc proluxa commentatione illustramus.

## CAPVT VI.

De

## ILLYRICO, et DALMATIA antiqua.

*Synopsis.*

**N**on erat satis, Pannonias occupauisse, in ILLYRICVM et DALMATIAM fines suos protulere Hunni. Vastissimos olim terrarum tractus continebat ILLYRICVM. In eius finibus definiendis, PTOLEMAEVM sequimur, expromimus hic quoque fluuios, montes, vrbes, colonias, populos: DALMATIAM postea pari ratione perlustrantes.



# HVNGARIAE ANTIQVAE LIBER TERTIVS, ABARICVS.

## CAPVT I.

De

Secundo HVNNO - ABARVM in Pannoniam  
aduentu, atque ABARES et HVNNOS; eandem  
gentem fuisse.

*Synopsis.*

**S**olent, circa Hunnorum, in Pannoniam aduentum definiendum scriptores dissidere: nobis, eorum placet sententia, qui triplicem eum statuunt, atque alterum hunc, de quo iam agimus, ad annum Christi 564, cum rebus orientis præesset IVSTINVS, reiciunt. Nominis ABARVM, seu AVARVM origo; an recte ab Hebræis repetatur? videtur idioma præferre Hungaricum. ABARES atque HVNNOS, eosdem esse, variis cum testimoniis, tum argumentis, docetur. Duplex eorum ad IVSTINVM legatio, quarum priorem CRESCONII CORIPPI, eleganti et prolixo carmine, describimus; cuius occasione, de iis regionibus, vnde sunt egressi HVNNO-ABARES, atque eius rei causis, quædam disputamus. Prima Hunno-Abarum sedes, in Pannonia, Sirmium, a IVSTINO iisdem permilla, qua non contenti, vniuersam mox regionem occupant.

## CAPVT II.

De

Iis populis, quos pepulerunt, et de iis regionibus, quas postliminio occuparunt ABARES.

*Synopsis.*

**C**HAGANVS Abarum rex, foedere, cum Longobardis, inito, Gothos, reliquos Pannoniæ Daciæque tractus insidentes, inuadit, pellitque, ac Longobardis, nouas in Italia sedes vltro quærentibus, vniuersa Pannonia potitur. Mox cum Francis foedus pangit, sed a IVSTINO, orientis Imperatore, laceffitus, iniurias bello vlciscitur, *Sirmium* sibi ereptum, recipit, ac postliminio ad foedera cum Romanis redit. Prosequimur inde res Abarum ceteras, nunc bello, nunc pace gestas, pressis vbi-  
P que

que scriptorum antiquorum vestigiis, ad *Chagani* vsque exitum, sub quo in-  
temerata *Abaribus Pannoniarum* ac *Dacie* mansit possessio. Vastata ab iis  
sæpe *Mœsie* et *Thracie*, infesta *Dalmatia*, *Illyricum*,

### CAPVT III.

De

## Rebus *ABARVM* gestis, vsque ad *CAROLI* *M.* tempora.

*Synopsis.*

**C**HAGANO mortuo, quod Phoca imperante, vel paullo post, euenisse  
putant scriptores, CHAGANVS alter, filius prioris, an alia prin-  
cipe Abarum familia oriundus, ferox certe, et bellicosus iuuenis,  
summa rerum potitus, bellum impigre molitur; *Longobardos* Fo-  
ro-iulienses, ad interneccionem delet, in *Thracias* inuolat, et ad longos vs-  
que muros progressus, HERACLIVM imperatorem, fraude circumuentum,  
parum aberat, quin caperet. foedere postea inito, cum HERACLIVS in  
Perlas mouet, *Chagano*, filii, imperiique tutelam, commendat. Sequuntur  
inde res Abarum reliquæ: quorum iugum *Slavi* primum, *Dalmatiam* colen-  
tes, mox et *Bulgari* excutiunt. Noua in Foro-iulienses Abarum expeditio,  
eius causæ et successus. Postea, CONSTANTINO POGONATO imperante,  
redintegrauere foedus Abares, toto pene orbe a bellis conquiescente. In ob-  
scuro inde sunt, multorum annorum actus, et Abarum in primis, quorum  
nihilominus vestigia quædam, ex eius ætatis scriptoribus, adnotamus. Te-  
nuerunt interim Abares-Hunni, *Pannoniam*, *Daciamque*, vsque ad *Caro-*  
*li M.* tempora.

### CAPVT IV.

De

## Bello *ABARVM* cum *CAROLO M.* in- feliciter gesto.

*Synopsis.*

**F**atis vrgentibus, *ABARVM*, seu tyrannis, seu iusta dominatio,  
vergebat tandem ad interitum. Tantæ rei causâ, bellum *CARO-*  
*LINO-ABARICVM*, existit. Discutimus heic sententias histo-  
ricorum, cum de bello ipso, tum eius, seu occasionibus, seu  
caussis, fidem *EGINHARTI*, et æqualium, sequuti. Victi *Abares*, cum  
frustra, toto octennio, reluctati fuissent, ultra *Tibiscum* reiiiciuntur,  
captis, quos in metropoli sua habebant, immanibus thesauris. Interse-  
rimus

rimus hic de vrbibus ac munimentis Hunno - Abarum quædam , et qui hac tempestate *Hunnie* seu *Abarie* fuerint fines , dispicimus. Tunc femina quædam Christianismi inter Abarum reliquias sparsa fuisse, perhibent; id quod scriptorum testimoniis docemus ; et quæ inde fuerint Hunno - Abarum fata , explicamus. Post noni seculi initia , raram *Hunno - Abarum* mentionem reperias , *Slavis* Pannonias passim habitantibus. Non ergo scriptorum Hungaricorum error , sine animaduersione , transmittendus est , res Slauorum ad Hunnos præpostere transferentium. Erant namque arctæ res Abarum , ad tertium vsque *Hunno - Abarum* , seu HVNGARORVM , in Pannonias aduentum : tunc enim collectis iterum viribus , caput coeperunt adtollere , qua de re libro sequente.



# HUNGARIAE ANTIQVAE

## LIBER QVARTVS,

# HUNGARICVS.

### CAPVT I.

De

Tertio HVNNO - ABARVM, seu HVNGARORVM,  
in Pannonias aduentu.

*Synopsis.*



Am fere exstincta fuerat HVNNO - ABARICI nominis memoria, cum factis denuo agminibus, ex iis locis, quæ ipsis præbuerunt hucusque perfugium, in auitas regiones se infundunt HVNNO - ABARI, ac, coalito forte nomine, HVNGARI. Rationes, aduentus huius, chronologicas, ante omnia excutimus, occasiones caussasque examinamus, et auctorum, in diuersa abeuntium, sententias subinde aduocamus. Certum vero nobis fit, rationibus temporum quam accuratissime subductis, euenisse cum anno post CHRISTVM natum *odringentesimo octogesimo octauo*, cum in PANNONIIS late dominarentur *Slau*, quos *Hunno - Abares* fraude potius, quam armis, opima regione, depellunt, et rebus longe lateque potiuntur. Multitudinem hinc inconditam, duces Hungarorum, et quæ sunt reliqua, lustramus curiosius.

### CAPVT II.

De

Regione, vnde sunt egressi Hungari, et an ea sit IVHRIA Moscouitica.

*Synopsis.*

**Q**uari et de regione solet, ex qua se *Hunno - Abari*, seu HVNGARI, Daciæ Pannoniæque infuderunt. Non desunt, qui IVHRIAM, extremam Moscouiæ ad Oceanum glaciale, prouinciam esse putent, Slauico Hungarorum vocabulo *Vhry*, in eam sententiam inducti. Damus auctorum ea de re testimonia. An hodiernum illic VHRI reperiantur, et sit ne lingua eorum Hungariæ similis, saltem adfinis? Multa  
hanc

hanc in rem adducimus, et quæ nostra sit sententia, expromimus, argumentis, et auctorum testimoniis eandem firmantibus. Sed Hungaris, sicuti per immensa terrarum spatia, sic et gentes innumeras, easque bellicosas, ad auitas sedes perumpendum erat.

## CAPVT III.

De

Iis populis, quos Auorum sedibus pepulerunt  
HVNNO-ABARI, seu HVNGARI.

*Synopsis.*

**E**Rat Pannonia, gentium quasi quoddam diversorium, ut migrantibus subinde veteribus colonis, noui iterum iterumque succederent. Repetimus hic priscorum temporum memoriam, atque in compendio recensemus, populorum nomina, qui hucusque infederant Pannonias. Nunc *Slau* in Pannoniis rerum potiebantur. Horum origines, incrementa, res pace, belloque gestas, migrationes, et sparsas per maximam Europæ partem, colonias, dedita opera, explicamus. Cedunt illi potius Hungaris, quam ab iis pelluntur. Mox *Bulgaros* adorti, sub iugum mittunt Hungari. Longam ista occasione de Bulgarorum gente, disputationem instituimus.

## CAPVT IV.

De

Rebus gestis HVNGARORVM vsque ad ducatum Geyssæ,

*Synopsis.*

**I**Mmane quantis cædibus et rapinis nobiliorem Europæ partem foedauerint postea HVNGARI. Quia prolixi hic sunt rerum Hungaricarum scriptores, breues nos sumus, et Hungarorum irruptiones in Italiam Germaniamque, ex huius æui scriptoribus ita recensemus, vt, quid sub quouis Imperatore Romano, vel Constantinopolitano, seu gesserint, seu tentauerint, Hungari, liquido constare possit. Notamus memorabiliores rerum euentus, et quomodo efferi Hungarorum animi, ad recipiendam Christi fidem sint præparati, obseruamus; adeoque ad HVNGARIAM NOVAM, aditum nobis præstruimus.

## Accedunt EPIMETRA.

## I.

DE \*) VETERE LITTERATVRA HVNNO - SCYTHICA.

## II.

Specimen *Etymologici* Hungarici , ex quatuor linguis orientalibus , HEBRAICA, CHALDAICA, SYRIACA, et ARABICA, erutum.

## III.

De vestigiis Sapientiæ Scythicæ , in lingua Hungarica , residuis.

## IV.

De adfinitate linguæ Hungariæ , cum tribus Europæ linguis , quas CARDINALES VOCANT, LATINA , GERMANICA , SLAVICA.

\*) Prodiit Exercitatio hæc, Lipsiæ MDCCXVIII. auctior hic et emendatior inferenda.




HVNGARIA  
NOVA

DIVISA

IN LIBROS TRES.

Patriam prodere , nefas ;  
scelus contra,  
nolle , dum possis ,  
illustrare.



# HUNGARIAE NOVAE LIBER PRIMVS. HISTORICVS.

## CAPVT I.

De propagata in Hungaris Religione Christiana,  
et auspicio primi Hungarorum Regis  
S. STEPHANI.

### *Synopsis.*



Mitescentibus pedetentim animis, commercia, cum Christianis, inire, religionemque auitam, non tam auersari, quam negligentius habere occipiunt Hungari. Qualis ea fuerit, inquirimus, atque silente historia, coniecturis nonnihil damus. Occasiones et administros conuersionis Hungarorum, adscriptis auctorum verbis, commemoramus. Quid in re tam ardua a GEYSA et S. STEPHANO, quaque contentione animorum sit praestitum. Inde curae nobis est, in prima regiae dignitatis apud Hungaros auspicia inquirere, quae ex historicorum monumentis illustramus, et ex vero definimus.

## CAPVT II.

REGVM Hungariae Gentilitiorum, siue indigenarum, Index Genealogico - Historicus.

### *Synopsis.*

Post indagata, Regiae dignitatis, apud Hungaros, auspicia, Regum, ex gente Hungara, actus, persequimur. Huc vero pertinent Reges, qui S. STEPHANVM exceperunt, numero XX. ad ANDREAM vsque III.

R

qui

qui rebus humanis A. 1301. exemptus est. Ita vero hic versamur, vt REGVM singulorum ortum, cum regiae dignitatis auspiciis, vitam, atque actus, cum ciuiles, bello, et pace, tum Ecclesiasticos; denique mortem ipsam, ex fide dignis scriptoribus, adnotemus, consultis subinde scriptoribus externis atque æqualibus. Adiecta \* erit *Arbor Genealogica*, æri incidenda.

## CAPVT III.

## Regum Hungariæ exterorum Index Genealogico - Historicus.

*Synopsis.*

**S**equuntur ab ANDREA III. Reges peregrini, numero duodecim, hoc est, a VENCESLAI temporibus, qui An. 1301. rerum potitus est, ad fatalem illam periodum, quæ LVDOVICI interitu, anno Christi 1526. terminabatur. Eandem hic, quam superiori capite, methodum obtinemus, iuncta iterum *Arbore Genealogica*, ære exprimenda.

## CAPVT IV.

## Regum Hungariæ, ex Serenissima DOMO AVSTRIACA Index Genealogico - historicus.

*Synopsis.*

**P**essum iuerat sub LVDOVICO II. Hungaria, quæ ne interiret penitus, Numen æternum indultis ei, ex SERENISSIMA ARCHI-DVCVM AVSTRIACORVM familia, Regibus, benignissime prouidit. Primus, qui hanc periodum exorditur, FERDINANDVS I. fuit, æmulum IOHANNEM de *Zapolya*, nactus. Sequuntur Reges gloriosissimi, MAXIMILIANVS, RVDOLPHVS, MATTHIAS II. FERDINANDVS II. FERDINANDVS III. FERDINANDVS IV. LEOPOLDVS Magnus, IOSEPHVS I. CAROLVS III. inter Imperatores VI. qui paternæ gloriæ modum, exæquans, fessam tot malis Hungariam, et pristina restitutam amplitudini, indulgentissime refouet. VIVAT! Accedit *Arbor Genealogica*, formis æneis exscribenda.

HVN-

\* Id quoque operam dabimus, vt, si fieri possit, historiam regum singulorum, ex *numis* suis, aut *bullis*, illustremus: cuius quidem conatus specimen, ista, Regis ANDREAE Hierosolymitani, maioris moduli, icone, exhibemus. VNGARIORVM ille REX, in nummo, vel bulla potius ærea, dicitur, ex more ætate illa, vtitatissimo. id quod me monuit P. STEPHANVS PAVLLVS MVNKATSY, vir, harum rerum, curiosissimus, cui et icona, in acceptis fero.



# HVNGARIAE NOVAE LIBER SECVNDVS, GEOGRAPHICVS.

## CAPVT I.

De

Nominibus , situ , latitudine , longitudine,  
limitibus et diuisione Regni Hungar.

*Synopsis.*



Multa variaque fuerunt nomina, quibus inde a primis eius incunabulis Hungariam insigniuerunt scriptores. In singulorum origines, vel inquirimus, vel eas ex his, quæ iam antegressa sunt, repetimus consulto. Describimus postea Hungariæ situm, indagamus eius latitudinem iuxta et longitudinem; promimus diuisionem, qua in SUPERIOREM et INFERIOREM dispescitur. Illa est, quæ ad septentrionem; hæc, quæ ad meridiem vergit. Exhibemus hic Mapparum Hungariæ Geographicarum catalogum, quem examinamus, erroribus non paucis adnotatis.

## CAPVT II.

De

Iis Comitatus, qui sunt intra DANVBIVM  
et TIBISCVM.

*Synopsis.*

Excussis, quæ ad *Generalem Geographiam* solent referri, ad specialia pedem proferimus. Atque hic pleniorum Comitatum singulorum, eo ordine, quo se excipiunt, descriptionem damus. Adscribimus singulorum metropolin, situm, terminos, vrbes, oppida, arces et vicos insigniores. Designamus montes, siluas, campos, fluuios, et quæ inibi gesta fuisse prisca ac recentioribus temporibus, historici perhibent. Qua quidem operis huius parte, eos auctores sequimur, qui scriptis Hungariam illustrarunt; adnotamus subinde, at mo-

deste tamen, eorum aberrationes, collectis, quæ conquiri possunt, fide dignis relationibus, manu exaratis. Quin illud quoque optamus, vt singulorum Comitatum *Mappam Geographicam*, accurate adornatam, exhibere queamus.

### CAPVT III.

De

## Iis Comitatibus, qui sunt trans et infra Tibiscum.

*Synopsis.*

**P**Remimus hic quoque capitis antegressi vestigia, nisi quod in describendis iis Comitatibus, qui remotiores sunt, neque apud auctores, multa eorum est mentio, atque singula indagaturis, difficultates obstant inexcuperabiles, breuiores nos esse oporteat, in primis, si nullæ in iis vrbes, oppida atque arces reperiantur.

### CAPVT IV.

De

## Iis Comitatibus, qui sunt trans Danubium.

*Synopsis.*

**M**ethodum hic quoque obtinemus, duobus illis capitibus, indicatam. Ceterum, vt constet, quibus, hac in parte, symbolis popularium nostrorum iuuari velimus, sistimus conatus nostri exemplar, *Historia Comitatus Scepusiensis* expressum.



HISTORIAE  
COMITATVS  
SCEPVSIENSIS  
PARS PRIOR  
GENERALIS,  
MEMBRVM I.  
PHYSICVM,

De

Situ, Natura et Opportunitatibus Terræ  
Scepusiensis.

*Synopsis.*

*Origo nominis Comitatus SCEPVSIENSIS :  
Hungarica : Latina : Germanica : aucto-  
ris sententia : FRÖLICHII locus. §. I.  
Situs Regionis : Latitudo et longitudo : fines.  
§. II.  
Totus fere montanus est : Mons Carpathus :  
Bubulus : Regius : Magura : Ibla : Re-  
berg : Bransko : silua et nemora. §. III.  
Fluuii Terra Scepusiensis : Popradus : pisces  
eiusdem : Dunauetz : Hernadus : Gölnitz :  
fluuii minores alii. §. IV.  
Opportunitates Comitatus reliqua : aëris  
salubritas ; viuacitas incolarum. §. V.  
Terra fertilitas : Baccho inimica regio : quas*

*segetes ferat : lini copiosus prouentus : po-  
maria cur rariora? §. VI.  
Res Scepusiensium pecuaria. §. VII.  
Venatus quas alat feras? §. VIII.  
Anium siluestrium varia genera : Aucu-  
pium liberum. §. IX.  
Dracones antra Carpathi habitasse credun-  
tur : Ossa inusitata , ex antris protracta :  
horum efficacia medica. §. X.  
Materia Terra Scepusiensis medica ex Regno  
Vegetabili. §. XI.  
Eadem ex Regno Minerali : cur metalla se-  
gnius colant Scepusii. §. XII.*

§. I.



COMITATVS SCEPVSIENSIS, qui et TERRA SCEPVSIENSIS, *Origo nominis Comitatus Scepusiensis.* dici consuevit, quin ab arce cognomine, ita sit adpellatus, nemo facile iuerit inficias; cum omnium Hungariæ Comitatum denominationes, ab arcibus, quas habent, originem traxisse, certum sit. Arguit hoc Hungaricum illud vocabulum, quo Comitatus vocamus, *Vármegye*, quippe quod tantundem est, ac si dicas, *arcis*, aut *castris* cuiusdam terminus, seu *territorium*; ut sit, *Szepes Vármegye*, arcis Scepusiensis territorium: id quod, in opere nostro, pluribus exemplis docebimus. Sed vnde quæso arci ipsi hoc nominis hæsit? Variæ sunt ciuium nostrorum sententiæ, quas delibasse, haud ingratum fore lectoribus, existimamus. Qui amore patriæ linguæ ducuntur, ab ea hic quoque præsidium repetunt, estque ipsis *Szepes*, quasi *Szép ez*, vel *Szebb ez*, hoc est: *Elegans*, vel *Elegantior hic est*, vnde pronuntiationis lapsu factum: *Szepes*, quod postea nomen *Hungarica.*

toti huic tractui, et excitatae arci, inditum sit. Lepidam vero huic suae originationi fabellam prae texunt; Hungaros nempe, facta, in Carpathi hanc regionem, impressione, adeo fuisse captos amœno eius situ, ut turmatim conclamarint, *Szép ez!* vel *Szëbb ez!* amœniorem hanc esse regionem, quam ea fuerint, quas suscepta, per montium illa iuga, expeditione, superauerant. Sed quis temere crediderit, aut Hungaros, situs ista amœnitate, tantopere captos fuisse, ut eum, reliquo superioris Hungariae tractui, in primis Tibiscano, prae tulissent; aut, si factum id fuisset a nonnullis, uti

*trahit sua quemque voluptas,*

*Latina.* voces illas ita potuisse inolescere, ut communi gentis vniuersae consensione, regionem hanc, *Szepes*, et latine iam docti, *Sepusium*, constanter adpellarent. Melius longe sibi videntur *ἔτυμολογῆν*, qui a Latinis, hoc, quidquid est nominis, mutantur, *Sepes* nempe in subsidium vocantes, quod perpetuis montium iugis, tamquam *sepe*, tota ista regio, media sui parte, in amœnam porrecta planitiem, circumsepta sit. At infeliciter! Quid enim barbaris gentibus, quae hic antiquissimis temporibus, sedes habuerunt, cum lingua Latina commercii? nisi credere velimus, Latinos quoque heic olim habitasse: qua de re infra dispiciemus. Neque sibi constant, qui ad Germanos confugiunt, obtendentes, *Zipff* vocabulum, quod extremam vestis oram notat, denominationi illi originem dedisse, eo quod *Scepusium*, extremam Hungariae oram ad Septentriones, constituat: unde factum sit *Zipffs*, et euphoniae gratia, *Zips*, atque latinae pronunciationis, *Scepusium*, a qua voce Hungari suum *Szepes* foenerati sint. tamen enim vulgare in iis Hungariae Comitatus est, qui ad Septentriones vergunt, ut extrema earum regio, Poloniaeque confinis, *Kragna* Slauico vocabulo, quasi dicas *extrema ora*, hoc est, Germanice *Zipff*, adpellatur; Germanicam tamen Comitatus huius adpellationem; sicuti ex alio, quam seu Latina, seu Hungarica, fonte promanauit; ita cum ea confundi haud debere existimo. Nempe, credo ego, quod et auctores adfirmant, priscis temporibus, *Car-penses*, Germanicam gentem, et Bastarnis fatam, tractus istos tenuisse, et quemadmodum montibus ipsis, sic orae illi, quae summis Carpathi iugis contigua est, nomen conciliaſſe, ut a *Carpis*, qui et *Cyrpi* audiunt, sedem hanc *Cyrpser Land*, et mox omiſſa canina, *Zipser Land*, nominatam fuisse existimem. Sed *Scepusium* reuera a *Gepidis* nomen accepit, qui post Carpos habitatum huc concesserunt. Et placet profecto DAVIDIS FRÖLICHII a) etymon: *Gepidarum*, inquit, *reliquiae, in conuallibus montium Carpathicorum degebant, quae gens postea tractui illi nomen Gepidiae indidit. Secutis temporibus, nomen hoc aliquantulum permutatum est, ut b) Gepusia, Chepusia (quod aliqui Zepusium, Cepusium, Scepusium, siue Szepusium scribere malunt) incolae autem Gepidiae, suo vocabulo, Gepider, siue Zipser, mutatis quodammodo litteris, per antithesin, aut prauam pronunciationem peregrinae alicuius gentis, in hisce, et vicinis partibus, olim commorantis; in primis vero Italica, a qua et oppidum Valendorff, hoc est, Italicorum pagus, suum nomen sibi acquisiuit. Itali enim, dum mollius loqui student, saepe s, pro g, proferunt: Immo etiam in lingua Hungarica, metaplasmata in litterarum et syllabarum transformatione receptissimi sunt. Ista FRÖLICHIVS, vero quidem similiter, tamen, quod iam diximus, vocabulum, Zipser, planius a Carpis, seu Cyrpis, quam a Gepidis, deriuetur. c)*

## §. II.

a) In: *Der Vralte Deütsch-Vngerische, Zipserische, vnd Siebenbergische Landsmann.* §. VIII.

b) Quasi dicas *Gephus*, siue *Gepidarum* *Domus*, quomodo et arcis nomen, *Zipserhaus*, Carpi adhuc adpellauere.

c) Slauicum Comitatus huius nomen *Spiss*, a vocabulo *Spizzerne*, quae *penu* significat, deducunt aliqui, quod sit Comitatus iste, quasi penuarium aut granarium quoddam: at enim lusus reuera est.

§. II.

Ipse regionis situs, *triangulum*, sed inæquale, videtur æmulari, in longitudinem quidem X. in latitudinem vero milliaria geometrica VI. protensus. Longitudinem, a finibus Comitatus *Aba-Ujvariensis*, vbi officina Cassouiensis visitur, ad arcem vsque *Dunajetz*; latitudinem autem, a *Gömoriensis*, et *Liptouiensis*, Comitatum, confiniis, quæ sunt ad Alpes Regias, vulgo *Královva Hola*, vsque ad *Hopgart*, dimetitur. Sin vero a *Nova Bela* incipias, et apud vicum *Harakótz* desinas, eadem fere latitudinis, quæ longitudinis, erit mensura. Totus circum ambitus, milliariis plus minus XXVIII. absoluitur. Ceterum *Poli eleuatio*, LEVTSCHOVIAE, hoc est, in medio Comitatus, instituta, est graduum 48. minut. 57. Eleuatio autem *Aequatoris*, seu longitudo, graduum 41. minut. 3. Clauditur ab oriente *Sárosiensis*, et quadamtenus *Abaujvariensis*; ab occidente *Liptouiensis*; a meridie *Gömöriensis* Comitatus. Sed a septentrione longiore tractu *regnum Poloniae* prætenfum habet.

Situs regionis: latitudo, et longitudo.

§. III.

Spatiosus hic Comitatus, totus fere montanus est, atque saltibus distinctus, quos ramentum passim, atque in primis parte eius interiore, amœna planities, discriminat, agris frumentariis, pascuis, pratis, nemoribus et pisculentis fluuiis felix. Nos montes prius, et siluas, postea fluuios, atque opportunitates reliquas, videamus.

Totus fere montanus est.

I. Primo hic statim loco nominandi sunt montes CARPATHICI, qui, vtut longissime procurrant, nullibi tamen horribilioribus iugis adsurgunt, quam ea regione, qua *Scepusium* ornant, an onerant. Altitudinis argumentum inde capi potest, quod fudo serenoque cælo, hinc quidem AGRIA, illinc VARSCHAVIA, celebri Polonorum metropoli, queant conspici. Commode in quatuor eos regiones dispeccas, quarum *infima*, quæ pes montis est, siluis vulgaribus horret; *alteram*, vastæ proceritatis, iuxta et crassitie, arbores; *tertiam*, falcati quoddam ligni genus, quod vulgus Germanorum *Krumholtz*, Slauorum *Koszodrevvina*, adpellant, impeditam facit; *quarta*, in præruptas petras, præcipiti fastigio, quodque passim præsentissimam ruinam videtur minari, stupenda mole, adsurgit. Hanc perpetuis obficam niuibus videas, quas ex situ, vermium quoddam genus concipere, asserunt, qui viderunt. Peculiari naturæ opificio, inter altissimas istas rupes, complures lacus, atque in his limpidissimæ aquæ, piscium saxatiliu bene patientes, reperiuntur. Sed quia de *Carpatho*, in eo capite, quo data opera, *Montes Hungariae*, describemus, commentandi erit locus, heic plura addere, intempestiuum credimus.

Mons Carpathus.

II. Secundo, post *Carpathum*, loco, nominandus est mons, quem vulgo BVBVLVM, Germanice *Ochsenberg*, Slauice *Wolovvetz*, dicunt, incerta, vti plerumque fit, denominationis ratione; nisi forte credas, quod pingua montis pascua, sicuti pecudibus aliis, ita bobus in primis faginandis, opportuna sunt atque proficua. Longo se is tractu in meridiem, *Rosnauiam* versus porrigit, et Terram *Scepusiensem* a *Comitatu Gömoriensi*, præcellis iugis, determinat. Luxuriat ferarum varietate; sed latrociniis quoque obnoxius est.

Bubulus.

III. Inde MONS REGIVS, siue *Královva Hola*, Germanis, *Königs Berg*, in censum venit. Hic quoque *Scepusium* a *Gömöriensi* Comitatu, qua is ad *Grani* fontes vergit, discriminat. Hæsit ei nomen, a Regis MATTHIAE Coruini, quam hic instituisse fertur, venatione. Tunc enim in præcelso eius cacumine, eoque arboribus nudo, pransum fuisse perhibent, super lapide quadrato, cui epigraphen hanc insculpi curauit, sed vetustate iam nimium exesam: HIC HOSPITATVS EST MATTHIAS REX HVNGARIAE, Anno 1474. d) adiectum quoque axioma politicum: *Priuatum commodum, latens odium, iuuenile consilium;*

Regius.

S 2

per

d) Concordant omnino chronologiæ rationes. hic enim, sopito bello Polonico, eo anno versatum fuisse MATTHIAM,

vt penitus latrociniis Polonicis liberaret Hungariam, constanter adfirmant historici.

per haec tria, pereunt omnia regna. Sunt tamen, qui adfirmant, antiquioribus iam temporibus montem hunc ita cognominatum fuisse fidem eis, praestruente BELAE IV. diplomate quodam, quod suo aliquando loco exhibebimus.

Magura. IV. MAGURA hinc commemorandus est, mons vix alia re, si venatum excipias, quam Polonorum, (nam eam regionem prospicit) latrocinii nobilis.

Ihla. V. IHLA, in *Hundertmorgensum* agro, territorium vocant; altitudine circumpositos omnes, si *Carpathum* excipias, superat, quae, quod in acutum desinit, *Ihla*, hoc est, Slavorum idiomate, *acus*, adpellari meruit.

Reberg. VI. REBERG, vel ut malunt explicatius alii, *Raüberg*, nomen a latrociniiis, quibus olim infestum fuisse oportuit, accepit. Hodie, interlucatis arboribus, regiam, quae *Leütshouiam* ducit, tutam fati praestat, urbemque illam a *Leubitzio*, et *Durandi villa*, disiungit.

Bransko. VII. BRANSKO, Comitatum *Scepusiensem*, a *Sarosiensi*, disternit, viamque aperit vltro citroque commigrantibus, faxis impeditam.

Silvae et nemora. Post hos montes, *Silvas Leubitzenses* nominasse fas est, sicuti vastissimas, ita non ferarum modo varietate, sed metallorum etiam venis, insignes: id quod exstantia passim rudera fodinarum, condocent. quarum tamen culturam, pridem temporum iniuria, penitus sustulit.

Istis ergo montibus, et minoribus aliis, pene innumeris, partim circumseptus, partim interstinctus Comitatus noster, non potuit non amoenum, quaqua versus, a natura, sicut accepisse, in primis, quod interposita passim planities, hic quidem agris atque pratis, illic iucundis nemoribus dispuncta, horrida montium iuga, mirum in modum mitigat. Et inter nemora quidem primo loco nominari meretur, *Folkensium* illud, *Poprado* flumini ea regione adsitum, qua *Batissalua* Fölkam versus itur. Crederes, in porrecta planitie, ex industria constitum esse: nam et densis beneque proceris, sed tenuibus tamen pinis, adeo umbrosum est, ut caelo etiam fudo, radiis haud praebet transitum; et ea succreuit aequalitate, ut arboretum e longinquo spectantibus mentiatur, quod ad regulam ronsum sit atque sublucatum. quales quidem aestuantium hominum pecudumque latebrae, tota ista regione frequentes sunt, nescio prospectune, an opacitate sua, amoeniores utilioresue.

## §. IV.

Ex istis, quos vidimus, montibus, complures oriuntur fluvii, torrentes et riui, qui regionem peruagati, non irriguam modo reddunt, sed praestant quoque utilitates haud contemnendas. Nunc insigniores expendamus.

Fluvii  
Terra  
Scepusi-  
ensis.

Popradus.

I. POPRADVS, Germanis, *Popper*; *Poprad* Slavis, fluminum *Scepusiacorum* facile princeps. Oritur in occidua montium *Carpathicorum* parte, speciatim e lacu cognomine, *Popper See*. Est is in praecelso monte *Wisoká*, mira profunditate, ambitu autem plus minus bis mille passuum. Sicuti vero perennibus aquis scatet, ita vehementi eas fragore, atque praecipiti in vallem *Menkusfaluensem* lapsu, euomit, per quam postea, collectis, qui passim e montium lateribus profiliunt, riuiis, rapidissimus labitur. Ex his eluctatus angustiis, cursum aliquantisper in meridiem flectit, atque pagum *Stolna*, seu *Stola*, praeteruectus, ferras *Menkusfaluensium* impellit, scidendis asseribus factas. Postea *Lutsunensibus* propior factus, molam frumentariam versat. Inde leniore aquarum tractu defluens, ac e montanis egressus, ad montem vsque *Baba*, per amoenam planitiem decurrit, haustoque illic *Lutsunensium* riuo, flexo iterum alueo, orientem versus cursum tenet. Mox, relicto a dextris vico *Teplicensi*, prope ad machinas pangendae papyro destinatas, calidas, e lacu *Teplicensium* dimanantes, accipit, iisque sic temperatur, ut isto tractu, intensissimo etiam gelu adstringi nequeat. Tunc oppido, *Poprad*, cui nomen dedit, adlapsus, fructuosissimam toto Comitatu molam frumentariam rotat, atque inde paullulum digressus versus *Montem Georgium* declinat, agrumque *Matthaei villensem*, postea et *Nagy Lomnitzensem*, irriguum facit. Utrobique riuo auctus copiosiore, recta *Hunsdorffium* et hac *Kesmarkinum*, procurrit. Hic factis duabus infulis, perquam sane opportunis, ab oriente quidem riuum *Leibitzensem*, ab occidente contra *Albulam Kesmarkiensem* sibi intimat. Demum montes *Gatzenberg* et *Goldsberg*,

berg, atque castrum *Nebre*, siue *Straska*, subluit, adauctusque primum riuulo *Schvvartzbach*; postea vero *Belensum* quoque amne, *Belbach* dicto, *Keresztsalua*m, vbi fissus, insulam longe amœnissimam ambit, et inde *Buschouetz*, *Podolintz*, *Drusbach*, *Knasdo*, *Lublouiam* et arcem *Polócsam*, lambit. Denique Comitatus *Sarosien*si illapsus, Hungariaque relicta, in *Poloniam* se exonerat, atque oppidum *Muschinam* præteruectus, per conuallem altissimorum montium vsque ad oppidum *Pilonicza*, Germanis *Kellerhals*, defluens, supra *Neosendétzium*, fluuio *Dunauetz*, et cum eo *Vistula* se insinuat. Iste *Popradi* alueus est, fluuii, si ripis suis coërcitus vehitur, Hungaris et Polonis, oppido proficui; sin vero ripas supergressus est, accolis regionis vtriusque, fatis quidem funesti. Pisces, præter vulgares, et passim obuios, longe præstantissimos habet, puta: *trutas*, *anguillas*, *timallos*, et omnium optimos e) *salmones*. Credunt, vltimum hoc genus, marinum esse, e *Baltico mari*, primum quidem *Vistula*, postea *Dunauetz*, atque hinc *Poprado* quoque nostro, aduersis fluminibus, illapsum. Integra eorum subinde agmina videas adnatæ. Horum piscatio in ditione *Dominorum Horváts de Stansith*, copiosa institui solet. Sed cibo, non nisi mensibus Maio, Iunio, Iulio et Augusto, sunt commodi; postea enim a nativo sapore multum creduntur deficere.

Pisces eiusdem.

II. Post *Popradum DVNAVETZ*, aliis *Dunajetz*, nominari meretur, ex septentrionalibus *Carpathi* iugis, qua *Poloniam* prospectant, in agro vici *Hocholovva*, atque hic in valle, quam Germani *Vingärtnergrund*, Slavi *Iavvorovvá Dolina* vocant, ortus. Duplex eius fons est, alter, ex quo *Dunauetz Albus*; alter, ex quo *Niger* fallit. Ille in valle *Iavvorovvá* exortus, duorum milliarium spatio ingentes aquas, ex perennibus montium riuis, colligit: hic sinistram versus, ex lacu, cui nomen *Mare nigrum*, Polonis *Czorno more*, promanat; vterque cum plura *Poloniæ* loca alluisset, ad oppidum *Neosorum*, Polonis, *Novvy Targ*, in eundem alueum confluit. Inde Hungariæ illapsus, quam a *Polonia*, per complura milliaria, discriminat, castellum *Fridmann*, arcem *Dunauetz*, Hungariæ, atque castrum *Schorstain*, *Poloniæ* ditionis, alluit, et posteaquam plures torrentes, atque in his *Bialkam*, omnium rapidissimum, absorpsisset, *Clastrum Rubrum* præteruectus, infra vicum *Lesnitz*, Hungariæ valedicit, atque *Poprado* iunctus, *Vistula* miscetur. Pisces fere eosdem alit, quos *Popradus*.

Dunauetz.

III. *HERNADVS*, quibusdam *Cunradi fluuius*, Germanis, *Die Kundert*, Hungaris *Hernát*, Slavis *Hornat*. Fontes habet in confiniis *Liptouiensis* et *Gömöriensis Comitatus*, sub monte, quem descripsimus, *Regio*, nempe, a meridie in orientem deriuatus, *Granitzam*, vallem et castrum *Csaunik*, *Betlebensalua*m, *Káposztasalua*m, *Iglouiam*, *Markusalua*m, *Olaszinum* et *Krompacs*, vicos partim, partim oppida, rigat. Postea, Terram *Scepusiensem* ab occidente in orientem emensus, recepto ad *Margetam* vicum, *Gölnitz* amne, Comitatum *Sarosensem* alluit, lambitque arcem *Richno* et vicum *Klukno*. Hinc quoque flexuosis ambagibus exspatiatus, *Cassouiam* præteruehitur, et cum præter minores fluuios quam plurimos, *Tartzam* quoque recepisset, longissimamque fecisset insulam, infra *Onodinum*, Comitatus *Borsodiensis* castrum, fluuium *Sajó*, absorbet, ac postea *Tibisco* miscetur. Piscium, si quis alius, hic profecto diues.

Hernadus.

IV. *GÖLNITZ*, ortus in montibus *Volovvetz*, oppida montana, *Wagendrissel*, *Einsiedel*, et *Gölnitz*, interlabitur, hauriturque ab *Hernado*, prope vicum *Margetam*. Quod torrentes, passim e conuexis montium deriuatos, accipit, facile exundat. Sed per saxa licet voluatur, *trutarum* tamen impatiens est, ob haustam *Szomolnokensium* aquam illam *mineralem*, quæ eroso ferro, æs cyprium deponit.

Gölnitz.

Fuere hi maiores copiosioresque fluuii, minorum numerum inire, difficile fuerit. In his præcipuus est *Leibitzensis*, ab oppido cognomine sic dictus. Fontium is capita in siluis *Leibitzensibus* habet, speciatim in ea valle, quam *Winckels Hübel* dicunt. Labitur inde meridiem versus, dum fontem sulphureosum, ac oppidum, quod memorauimus, præterlapsus, in septentrionem declinet. Hauritur a *Poprado*

Fluuii minores alii.

T

non

e) Hungaris *Lasatz*, Germanis *Lachs*, Slavis *Loloffe*, aliis vero *Hlavvátka*, dicti. Sunt autem piscis huius diuer-

sæ species, quas suo loco, et tempore, recensebimus.

non procul ab arce *Kesmarkiensi*. Trutis longe præstantissimis abundat. Sed nec *Albula*, *Kesmarkiensi* fluuiolus, tacendus est. Oritur is in *Carpatho*, atque agrum irrigans *Kesmarkiensem*, præcipiti lapsu, *Poprado* illabitur. Alit trutas, sed quam piscationem, iure quodam suo, urbis magistratus sibi vendicat.

## §. V.

*Opportunitates Comitatus reliquæ:* Jam, quod ad opportunitates Comitatus huius reliquas adinet, multæ eæ sunt, atque ita comparatæ, ut iure, cum optimorum Comitatum commodis conferri omnino possent, nisi frigidior cæli habitus existeret. In primis laudari meretur, saluberrima aëris temperies. tametsi enim, uti in montanis regionibus plerisque omnibus, frigidior iusto sit, atque frequentioribus ventis obnoxius, eadem tamen ipsa re, multum ad salubritatis laudem proficit. Quia enim præcelsa *Carpathi* iuga, perpetuis obsita sunt niuibus, non solum frigidioris aëri habitum conciliant, sed subinde etiam Aquilones, quibus fere sine cessatione adflantur, in totam hanc regionem, effundunt. qua quidem re fit, ut et aëris, si quam forte contraxisset, noxa, tempestive disiciatur, et vigor ingeneretur hominibus, iuxta et brutis animalibus; quin præstetur quoque, ut vegetabilium varia genera, ventorum istis flatibus, alantur quasi, educenturque. Hinc est, ut passim inter *Scepusiacos* incolas, agrestes potissimum, et paruo viuentes, reperiantur, qui ætatem in annum octogesimum, nonagesimum, quin centesimum etiam, protrahant, sine ullis, aut raris certe morborum discriminibus.

## §. VI.

*Terra fertilitas. Baccho inimica regio. Quas segetes ferat?* Cæli hanc qualitatem, soli ratio æmulatur. Perquam id quidem fertile est, sed nonnisi earum frugum patiens, quæ cum aëris ingenio concordant. Nempe, cum *Bacchus* nequiret, alma *Ceres*, totam sibi regionem hanc fecit obnoxiam. Enim vero, quæ siluis, aut montibus non horrent, agris culta sunt, sicuti amœnis, ita pro regionis indole, satis fertilibus. Ferunt autem, præter *triticum*, et *siliginem*, præstantissimum tota illa *Hungariæ* parte, *hordeum*, quod non apud *Scepusienses* tantum, sed *Sárosienses* quoque, et alios, parandæ *cerevisiæ*, magno cum fructu, adhibetur. Inter legumina eminent *pisa*, atque hæc in primis, quæ in agro *Leutschouensi* feruntur, ea magnitudine atque saporis præstantia, ut cum hortensibus, quæ a *saccharo* nomen habent, de palma certare videantur. Post istas segetes, *lino* quam plurimum operantur *Scepusii*. quod enim promptius id lætiusque germinat, quam canabis, magnam agrorum partem, lino consitam videas: cui demum subigendo, sexus sequior, mira operarum assiduitate, vacare consuevit. Sed pomaria et viridaria, rariora sunt, incolis, a cultu eorum, vltro se abstinentibus, credo, quod intempestivum frigus, in ipso plerumque flore, spem eis præcerpat fructuum. Sunt tamen apud *Leutschouenses*, *Kesmarkienses*, et passim ad nobilium virorum castella, horti non plane inamœni, sed in quibus, præter vulgares pomorum, pirorum atque prunorum fructus, vix aliquid reperias: qui et ipsi tamen, si frigus iusto ingruat maturius, difficiliter admodum maturescunt. Olitorios autem hortos, in quibus culinæ herbæ, olera, radicesque feruntur, tanto maiore industria colunt *Scepusiaci*, quo sunt rei rusticæ studiosiores.

## §. VII.

*Res Scepusiensi-um pecuaria.* Ad rem pecuariam quod adinet, non ea quidem respondet reliquorum *Hungariæ* Comitatum fecunditati; sicuti et alii tractus montani; habet nihilominus, quod satis est ad obeundas operas agrestes, et vitam commode transigendum. *Bovæ* minuti sunt, versicolores, et a *Hungaricis* degeneres. *Vaccæ* plerumque rufæ, graciles et exfiles; sed quæ non minus fundunt lactis, quam quæ sunt robustioris pinguiorisque compagis. *Equorum* genus maxime validum, laborumque et itinerum patientius, quam pro staturæ habitu. In primis alendis *ovium* gregibus student nostri, qui per montana oberrantes pascua, vberem lanæ atque casei prouentum præbent.

præbent. Sed nec a \*) *porcorum* cura abhorrent, quos partim glande, partim hordeo saginant.

§. VIII.

Maxime vero commodus ad venandum est *Comitatus Scepusiensis*. Sunt autem familiares montibus atque siluis nostris, *vrſi*, grandiores illi, et Polonicis confimiles. Albos quoque interceptos aliquando fuisse, adfirmant, qui viderunt. quod coniecturæ locum facit, ex intimiore Moscouia, per montium iuga huc deuiasse bestias istas, terris nostris inusitatas. Sed minores etiam *vrſi* frequentes reperiuntur, in siluis potissimum *Leibitzensibus*: inimicum apibus et formicis genus, hinc et maxime opportuna eorum, circa apiaria atque formicarum domicilia, venatio est: quia enim insidiari apibus solent, atque aluearibus eorum mella exedere, nullo negotio, prædæ inhiantes, pertrahuntur in insidias. Accedunt his *lynxes*, *apri*, *dama*, *lupi*, *vulpes*, *mures Alpini*, *lepores*, atque in primis *rupicaprarum* greges, passim, per montium petrosâ, errantes, sed ad venandum difficiles. Enimuero, vbi semel venatorum vestigia, *ſcloporum* bombos, aut latratum canum, obseruauerunt, in agmen quasi quoddam coadunantur, et locorum inaccessa scandunt, collocata in excubiis *rupicaprarum* vna atque altera. quæ simul aduentantes e longinquo venatores conspiciunt, balatu insidias reliquo gregi indicant. Hic fugam primum adparare, mox, si secundo atque tertio balatu, imminere periculum, excubatores illi significauerint, concitato cursu, in diuersa spargi, atque rupium subire præcipitia, incipiunt, vt ægre eas consecrari possint venatores; quin si tetigerint etiam glande alterutram ferarum astutissimarum, neque vno ictu prostrauerint penitus, e prærupta et inaccessa petra, aduncis se cornibus, suspendunt, et illic, ex accepto vulnere, intereunt, eaque ratione cauent, ne, iam enectæ, in prædam venatoribus cedant. Sed *cervos*, atque *martes*, quin et *amphibion castora*, nescio, quo locorum vitio, rariores inuenias.

Venatus.  
Quas alar ferar?

§. IX.

Erant hæc ferarum genera, quibus montes atque siluæ nostræ, frequentantur. Non minorem vero, siue copiam, siue varietatem, auium quoque siluestrium, deprehendas. Et primo quidem omnium, auium illam reginam, nominare fas est: *Aquilam* volo, quæ Carpathicis rupibus nidificare consuevit. Idem crediderim esse genus, quod *PLINIVS* f) primum esse dicit: *Sex*, inquit, *earum genera*: *Melanaëtos a Græcis dicta*, eademque *valeria*, *minima magnitudine*, *viribus præcipua*, *colore nigricans*: *sola aquilarum fortis suos alit*: *ceteræ, vt dicemus, fugant*: *sola, sine clangore, sine murmuratione, conuersatur in montibus*. Plane his ingenium descripsit aquilæ Carpathicæ. Nam et nostra montibus conuersatur, eoque est robore, vt non lepores modo atque mures Alpinos, in prædam rapiat; sed ipsas quoque *rupicapras*, crebris, iisque vehementibus alarum, et rostri ictibus, conficiat, detque in petras præcipientes. Sic iterum *PLINIVS*: g) *Primo et secundo generi aquilarum, non minorum tantum quadrupedum rapina, sed etiam cum cervis prælia*. *Multum puluerem volatu collectum, insidens cornibus excutit in oculos, pennis ora verberans, donec præcipitet in rupes*. Rapaces reliquas, nihil adinet percensere, quippe quibus hospitia illic sunt gratissima, vbi victus ex rapina lautior. Esculentarum certe complura sunt genera, putâ: *tetraones*, *attagines*, *turdi*, ac in his potissimum, qui *baccis iuniperi* vescuntur, *palumbes*, *coturnices*, reliqua. Quemadmodum autem venationem, sic et aucupium, plebi etiam promiscuæ, permissum est, in iis potissimum vicis, qui sunt montium radicibus adſiti; hinc plerisque omnibus, post operas rusticas, assiduus in venatu, et aucupio, labor est, quo illi prouentu, partim quæstum faciunt, partim victitant.

Auium siluestrium varia genera.

Aucupium liberum.

T 2

§. X.

\*) Fecit res illa populari dicitio locum. quia enim lubenter porcellorum carnis vescuntur Scepusii, in conuitium id eis petulantiores verterunt.

f) Lib. X. cap. III. Confer et *ARISTOTELI* Lib. IX. cap. XXXII.  
g) Lib. eod. c. IV.

## §. X.

Dracones  
antra  
Carpathi  
habitaf-  
se cre-  
duntur.

Ossa in-  
usitata,  
ex an-  
tris pro-  
tracta.

Horum  
efficaci-  
tas me-  
dica.

Præter has, terris quoque aliis familiares bestias, *dracones*, in antris Carpathicis, hospitatos olim fuisse, ex ossium indicio, aiunt nonnulli. Nimirum, passim locorum, ingentibus cauernis, atque antris, in longum protensis, natura subfossi sunt montes Carpathici. In his ossa reperiuntur, inusitatae molis et formæ, quæ, siquidem cum nullis animalium ossibus contendere poterunt, etiam ab anatomicis peritissimis, in eam multi veniunt sententiam, ut credant, *draconum* esse reliquias, qui siue recentiore ætate, fame aut senio, illic sint confecti, siue aquis *Noachitici diluuii* extincti. Non equidem heic meam facio controuersiam, an existant in rerum natura dracones; alibi h) enim, intricatam quæstionem hanc expedire, animus est; id tamen inficiari haud sustineo, belluas, quarum isthic ossa effodiuntur, fuisse oportet, sicuti incognitas terris nostris, ita magnitudinis, atque compagis inusitatae. Habeo ossa istiusmodi complura, i) ut puta: *cranium*, miræ formæ, quod cum nullius quadrupedum conferri possit; *vertebras* dorsi; *costas*, insanæ longitudinis; *coxendicis* fragmentum; *tibias*, reliqua. Multum elaborauit, neque peperci sumtibus, ut integrum *skeleton*, amicorum, illic degentium, opera, combinare potuissem, posteaque iudicium expetere eorum, qui sunt in ossium cognitione exercitati; sed lusi omnem operam, partim, quod antra isthæc difficiles, et plenos periculi habeant aditus, partim, quod amicus k) ille, cuius potissimum opera, in describendo Comitatu isto profeci, maturiore, quam optassem, fato, extinctus est. Ossium interim istiusmodi usum, in medicinam transtulere, qui ea ex cauernis protrahebant, agrestes, atque id quidem successu, ad stuporem usque felici, in iis potissimum morbis, qui ab exacerbatis naturæ motibus, originem trahere consueuerunt. Mumias crederes, quas pharmacopœis intulit hominum opinio. Ego vero existimauerim, non aliam ossibus istis, quam vulgaribus aliis, vim inesse posse, *absorbentem* vocant medicorum filii; sed quam persuasio mortalium adauxit, minus obuia quæque, maioris, quam, quæ usus quotidianus vulgaria fecit, æstimantium. Tamen si ne id quidem negem, potuisse longiore situ, ex subterraneis halitibus, quos adtraxere, quidpiam medicæ efficacitatis accipere; sunt enim quædam eorum, uti *cranium* illud, quod diximus, atque *coxendicis* fragmentum, cortice lapideo incrustata, quem a spiritu minerali ortum, nemo inficiabitur.

## §. XI.

Materia  
Terra  
Scepusi-  
ensis  
medica,  
ex regno  
vegeta-  
bili.

Ceteroquin, non desunt Comitatu nostro, certiores ad medendum, *radices*, *herba*, *frutices*, *arbores*, *minera* et *terra medicata*. In illis numeramus: *rhabarbaram*, exoticum alioquin genus, et officinis pharmaceuticis familiare; *tormentillam*; *pimpinellam*; *helleborum*; *gentianam*; *polypodium*; *lunariam*, cetera. Sunt, qui contendunt, *zingiber* quoque, in Carpathicis iugis, colligi, a locorum peritis, quæ de re plura, cum ex instituto de montibus Carpathicis agemus. Arboribus, quæ faciundæ Medicinæ seruiunt, accensemus *falcati* illud *ligni* genus, quod tertia montium Carpathicorum regione, nasci diximus. Pinastrum dicunt aliqui, sed perperam; *pinaster*, enim, *nihil aliud est*, quemadmodum inquit PLINIVS, l) *quam pinus siluestris*, *mira altitudine*, *et a medio ramosa*: cum contra ea, genus hoc arboris, de quo nobis sermo est, humi serpat, et in varios rotatum gyros, transitum non feris modo, sed hominibus etiam, difficilem reddat impeditumque. Quia enim pendulo situ est, qui si fixeris vestigium, recedit, resilit contra, si pedem protuleris, laqueo ad insidias structo, similior censetur, quam arbori. Certe feræ, in hæc istiusmodi arboreta impulsæ, vix eluctari poterunt, quin immo fractis subinde cruribus, occumbunt; si rupicapras excipias, quæ sicuti prærupta infestaque montium loca,

h) Eo capite, ubi de *Antris Hungariae* agemus.

i) quorum icones suo tempore exhibebimus.

k) Erat is Cl. GEORGIVS BOHYSS Neo-

foliensis, Scholæ A. C. in Libera Regiæque Ciuitate Kesmarkiensis, Rector optime meritis.

l) Lib. XVI. cap. X.

loca, sic et istos arboris huius, quam nos *falcata*, ad vulgi imitationem dicimus, laqueos, mira circumspeditione, juxta et celeritate, scandunt et superant. Ex isto ligni genere, m) oleum, idque rudi arte parant agrestes, compluribus morbis, quemadmodum vsus docuit, debellandis, perquam vtile, atque inter doctos, n) *Balsami Hungarici* nomine, satis notum. Huc et *Laricem*, odoriferum arboris genus, idemque resinofum, refero, quod in secunda montium Carpathicorum regione, felici prouentu, crescit. PLINIVS inter Pini genera, quinto eam loco ponit: *Quinto, inquit, generi, situs idem, eadem facies: larix vocatur. Materies praestantior longe, incorrupta vis, emori contumax, rubens praeterea et odore acrior. Plusculum huic erumpit liquoris, melleo colore atque lentiore, nunquam durefcentis.* Ita est, nam et Scepusii multum ex larice sua resinæ colligunt. Fabula est id, quod addit PLINIVS: *larix, nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi concipitur, quam lapides.* Sed THEOPHRASTVS de Fico, Pinis maribus adnascente, idem scribit. *Taxus*, post *Laricem*, recenseri meretur, cum ob ligni duriciam, tum maxime, quod venenatam perhibent scriptores. PLINIVS ex *Sestio*, scribit: *tam praesentis in Arcadia veneni esse, ut qui obdormiant sub ea, cibumue capiant, moriantur. Sunt, qui et \* taxica hinc appellata dicant venena, quae nunc toxica dicimus, quibus sagitta tingantur.* Neque solius hæc PLINII sententia est: ita PLVTARCHVS: ἰσοπέσι γὰρ ὅτι καὶ σιλια σμίλακος ἀποκτείνει τὰς ἐγκαταδρθέντας, ὅταν ὄργῃ μάλιστα πρὸς τὴν ἀνθρώπων. *Ferunt, inquit, umbram quoque smilacis (sic Græci taxum vocant) necare, qui sub ea dormiunt, maxime, cum efflorescit.* Et LVCRETIVS:

*Est etiam magnis Heliconis montibus arbos,  
Floris odore hominem tetro consueta necare.*

Atque ille apud PLAVTVM:

*Certum est: ibo ad medicum atque me ibi toxico morti dabo:  
Quando mihi adimitur, qua caussa cupio vitam viuere.*

Sed benignior longe Carpathica est *taxus*, cum non hominibus, sed insectis, atque his quidem potissimum venenatis, exitiosa sit: Serpentes enim et vipersas simul atque umbram eius subiuerint, enecat; hominibus contra amœnum tutumque præbet perfugium, ut non modo umbra eius refocillari; sed somnum etiam, securi, ab insectorum moribus, capere sub ea possint. Quod perpetua foliis eiusdem, rosinarinum quodammodo æmulantibus, viriditas inest, corollas ex eo necti, et pro regionis more, gestari a virginibus, plebeis in primis, videas. Materies rubicunda est, solidaque, et ferendæ ætati maxime idonea; nam pluribus seculis, sine vlla noxa perdurasse accepimus. Nostri mensas, ianuarum valuas, armaria atque tabu-

U  
lata

m) Vulgus Germanorum *Krumholtz-Oel*, Slavicum, *Kozodrevinovoy' oley*, vocat.

n) Vide Dissertat. inaugural. Cl. D. MILITERI inelyti Comitatus Scepusiensis Physici Ordin. nec non Cl. D. FISCHERI obseruationes, passim Collect. Wratislau. insertas.

\* Male! enimvero, *Toxicum*, non a *Taxo*, sed ἀπὸ τῶν τόξων dictum esse, docti norunt, quod vocabulum *sagittam* et *arcum* notat. Ratio nominis inde petenda, quod barbarorum quidam, sagittas, veneno inunxerunt. Ita VIRGILIUS in IX.

- - - quo non felicior alter,  
Vngere tela manu, ferrumque  
armare veneno.

Scythias nostris familiare id fuisse, LVCANVS testis est:

- - - Tinxere sagittas  
Errantes Scythia populi.

Melius ergo DIOSCORIDES, Lib. VI. c. 20. τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ἰομάδα ἐκ τῆς τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτῆς ἡλίδας. *Toxicum* quidem existimauerim sic nominari, quod eo barbarorum inungantur sagitta.

Quomodo et FESTVS: *Toxicum* dicitur ceruarium venenum, quo quidam perungere sagittas soliti sunt. Vide Etymologicos.

lata ædium, fabricare ex ea consueuerunt. An vero vasa, quæ e taxo fiunt, sicuti et baccæ, quas fert, letiferæ sint, non habeo dicere. Vtrumque adfirmat PLINIVS o): *Mes*, inquit, *noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hispania potissimum, venenum inest. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuisse compertum est.* *Pinus Carpathica* superest, quam nostri, mutuato a Germanis nomine p) *Libanum Carpathicum* adpellant. Amœnissimi adspæctus, decoræque proceritatis: densæ enim illi et perpetuo viridantes frondes: sapidissimæ, in primis circa summitatem, nuces, quippe, natiua arboris pinguedine, turgescentes. Ex his, sicuti et cortice ipso, odore suauis prædito, oleum primus parare cœpit CHRISTIANVS ab HORTIS, quod postea *Olei-Carpathici* nomine vulgatum, et ad faciendam medicinam, non sine efficacitate, adhibitum est. Equidem *Cedri* speciem, saltem cognatam *Cedro* arborem esse, existimarem, si concordarent omnia, quæ PLINIVS et THEOPHRASTVS de *Cedro* memorant. Certo, *Libano* nostro, non minus, quam *Cedro*, præclaræ sunt ad medendum vires, et pene æterna materies, cariei atque tinearum profus ignara.

## §. XII.

Eadem  
ex regno  
Minerali.

Ista in Regno, quod *vegetabile* vocant, parandæ medicinæ vtilia, fert Comitatus Scepusiensis: *Regnum Minerale* non minus fertile est. Taceo *Auri* et *Argenti* fodinas, quæ priscis temporibus passim in montibus nostris colebantur, et iam quoque coli possent, maxime in *Leibitzensium* filuis, atque montibus *Magurensibus*, nisi id, siue temporum difficultas, siue colonorum intempestiua vetaret circumspæctio.

Cur me-  
talla  
segnius  
colant  
Scepusii?

Quia enim certiores e re rustica prouentus accipiunt, quam possent e metallis sperare, malunt aratro terræ superficiem scindere, quam montium viscera, depressis puteis et actis cuniculis, scrutari: tamen si paritatis operis, nescio cur vtrumque nequiret fieri? Neque tamen profus rei metallicæ negligentes sunt Scepusii. Erunt enim *Szomolnokenses* et *Iglouenses*, æs cyprium; *Vagendrisselenses* et *Remetenses*, ferrum. quod demum apud *Iglouenses* partim, partim apud *Krompachenses*, in varia procuditur vtenilia. Sed hæc pluribus Hungariæ Comitatus sunt communia. Peculiarior essent, quæ *Carpathus* suppeditaret, si reperirentur, quibus ea curæ forent, puta: *Aurum obryzum*, *lapides pretiosi*, *Adamantes*, *Smaragdi*, *Saphyri*, *Rubini*, *Granatelli*, reliqua. *Cinnabaris* natiua, passim, a locorum gnaris, reperitur. *Lithogala* in specubus, in primis *Haligotzensi*, stillat. *Terram sigillatam*, riui *Carpathici*, vehunt, deponuntque instar limi. *Naphtam*, in agro *Beleni*, An. 1705. incendium prodidit. *Rubricam fabrilem*, ripa *Popradi*, prope *Nagy Lomnitzam* habet. Sed de his alibi ex instituto. Huc et aquas minerales atque medicatas referimus. Primas in illis meretur *Szomolnokensium*, quæ ferrum consumit, atque ejus loco æs cyprium præcipitat. Ad medicatas, præter fontes acidos, suis indicandos locis, pertinent

*Therma Scepusiensis*, fons *Leibitzensium* salutaris, perperam a vulgo *sulphureosus* dictus. *Lapidescentes*, ad arcem Scepusiensem scatent, quæ vbi e fonte dimanauere, in tophum abeunt.



MEM-

o) Lib. XVI. c. X. Nostri sane homines, cantharos, et id genus vasa, opere vario, e taxo conficiunt, et inter vtenilia, sine noxa, habent.

p) Germanis enim *Limbaum*, Slaus *Limbovve Drevvo*, dicitur.

MEMBRUM II.  
POLITICVM,

De  
Incolis et Magistratibus Comitatus  
Scepusiensis.

Synopsis.

<i>Primi Terra Scepusiensis incolæ: Sarmatæ: Carpi: Gepidæ: Hunni, Abares, Hungari: Saxones: horum iura præcipua: Idioma. §. I.</i>	<i>Mores Scepusiorum: quid commune omnibus: Germanorum indoles: ingenium Slauorum: Rutenorum: Hungarorum: Religio. §. V.</i>
<i>Slavi, inter primos incolas censendi: eorum fata: dialectus. §. II.</i>	<i>Terra Scepusiensis Magistratus: Supremorum Comitum origo: Scepusiacorum catalogus. §. VI.</i>
<i>Ruteni: quando ingressi Scepusium? eorum religio. §. III.</i>	<i>Magistratus reliqui: Congregationes Comitatus. §. VII.</i>
<i>An Latini aliquando incoluerint Scepusium? auctoris coniectatio. §. IV.</i>	<i>Insignia Scepusiorum: antiqua: recentiora: Sedes decem Lanceatorum. §. VIII.</i>

§. I.

**V**lſis, quæ ad naturalem Comitatus nostri historiam pertinere videbantur, recentisque reliquis eius opportunitatibus, de incolis, præcis et recentioribus, qui Terram Scepusiensem infederunt, iamque insident, dispiciamus. Primi omnium, qui oram hanc inhabitauerunt, Sarmatæ erant, nunc quoque vicini. Hos Carpi pepulerunt: id quod supra, cum de nomine Comitatus solliciti essemus, monueramus; nempe, antiquissimis temporibus, et ab hominum memoria maxime retrusis, Carpos, gentem propaginis Germanicæ, heic locorum confedisse, indidisseque nomen, sicuti montibus Carpathicis, ita regioni etiam ipsi. Carpos, Gepidæ exceperunt, Germanicum et ipsi genus, quia Gothis, teste IORNANDO, fatum, vnde Gepusia, quin et Scepusia nomen. Gothos, et horum consobrinos, Hunni debellarunt, relictis tamen passim, qui imperata facerent, agrosque colerent; vt credere fas sit, Germanos, perpetuos istic fuisse colonos, Hunnis primum, inde Abaris, denique Hungaris obnoxios. Postea, Reges Hungarici, vt regionem redderent cultiorem, subinde Germanos, a) atque in his Saxones potissimum, incolas adsciuerunt, quos cum in Transilvania, tum in montibus Hungariæ; collocarent. Ista Germanorum Scepusiorum origo est. Hi demum vrbes et oppida condidere, libertate, atque priuilegiis, mira Regum in eos propensione, adaucti. Præter GEYZAM enim et ANDREAM, secundos, in primis STEPHANVS V. BELAE IV. filius, Saxones Scepusiacos, ob nauatam patri suo, in impressione illa Tartarorum, fidelem operam, multis egregiisque iuribus, donauit. Summa eorum huc redit: Integram fore Saxonibus, potestatem Landgrauium, seu Comitem e gente sua eligendi, qui, iuncta cum Supremo Terra Scepusiensis Comite, opera, causas forenses reuideret, et ex præscripto legum patriarum diiudicaret, multas irrogaret, earum partes duas, Supremo Comiti redderet, tertiam vero sibi seruaret: venationis, piscaturæ, atque eruendorum metallorum, libera ipsis esset potestas; ea tamen lege, vt annuos Regi, modicos illos quidem, census penderent, atque vbi id vsus tulerit, quinquaginta lanceatos milites, ad Regis exercitum, mitterent. quia vero simplices atque industrii agrorum cultores essent

*Primi  
Terra  
Scepusi-  
ensis in-  
cole.  
Sarmatæ.  
Carpi.*

*Gepidæ.*

*Hunni,  
Abares,  
Hungari.  
Saxones.*

*Horum  
iura præ-  
cipua.*

a) Vide Præfat. Gram. nostræ Germanicæ.

„ essent Scepusiaci, adeoque iuris patrii minus periti, cautum fore, ne ab vlllo Comitum, libertas eorum, et priuilegia, sabuellantur; extra fines suos, a Regni iudicibus, sed ne ad regiam quidem tabulam, citentur arcessanturque. Præclara hæc sunt omnia, et quorum quædam hucusque vestigia supersunt apud opidanos, qui regno Poloniæ sunt pignori dati, quippe qui *Comitem*, siue *Gratum*, hucdum habere, atque eius arbitratu, vti consueuerunt. Eadem hæc priuilegia, CAROLVS ROBERTVS, non modo confirmauit, sed nouis quoque accessionibus locupletauit, censu eorum anno ad 1400. *Marcas*, reuocato, ob res, aduersus *Matthæum Trenschinensem*, et *Demetrium*, *Omodei* ex Illustris *Amadorum* familiæ, quæ hodie floret, maioribus, filium, præclare gestas. Patris vestigiis LVDOVICVS postea institit, iuraque Scepusiorum Saxonum, cum sub ipsa regiminis exordia, tum post perdita sigilla, rata esse voluit: id quod SIGISMVNDVM quoque regem, qui postea tredecim oppidis, Scepusium dimiuit, fecisse perhibent. Lingua Germanorum Scepusiacorum adhuc *Saxonicum* idioma videtur quodammodo æmulati, *Misniacum* in primis, sed cui multum agrestis pronuntiationis hæsisse, b) alibi notauimus.

Idioma.

## §. II.

Slauī,  
inter  
prima-  
nos inco-  
las cen-  
sendi.  
Eorum  
fata.

Hæc de Germanis incolis Terræ Scepusiensis dicere habui. Eos numero fere iam superant *Slauī*, et ipsi indigenæ. Quia enim, quod diximus, antiquissimi omnium Scepusii incolæ, *Sarmatæ* fuerunt, gens idiomatis *Slauici*, facile erit, de *Slauorum*, apud *Scepusios*, origine, conicere. Nempe, manserunt in suis istis sedibus *Slauī*, variam licet fortunam passi, et nunc a *Carpis* adtriti, nunc subiugati a *Gepidis*, nunc denique ab *Hunnis*, et horum posteris, partim in societatem adsciti, partim redacti in seruitutem. Secutis postea temporibus, caput attingere cœperunt, cum per omnem Septentrionalem *Hungariæ* oram, tum in *Scepusiensi* terra. Quia enim sæpius *Bohemi*, infestis armis *Hungariam* fatigabant, non poterat non contingere, quin ex eorum impressionibus, nouas accessiones caperent *Slauī*, facta pace, subinde confirmati. Certe Anno 1280. iure ciuitatis *Hungariæ*, non secus, quam indigenæ gaudebant, id quod ex ea pactione colligas, quam *Comes Saxonum* et *Latinorum*, *Elias*, caussa decimarum, cum *V. Clero*, illa ætate, inierat; recipit enim, dare se velle *Decimas*, instar *Hungarorum* et *Slauorum*: vt adeo, tunc iam apud *Scepusios* iura eorum firmata esse oportuerit. Maxime autem viribus et numero aucti sunt ea tempestate, cum *Hussitarum* armis *Hungaria* concuteretur: tunc enim *Bohemis*, castra et arces montanas, plerasque omnes, tenentibus, nouaque passim communientibus, eorum partes secutos fuisse, legimus: qua re meruerant quidem *Regum* optimorum indignationem, sed rediere tamen in gratiam, post exactos *Bohemos*, eo facilius, quo magis eorum opera, ad excolendam montanam regionem, tot vastatam bellis, fuit necessaria. Dialectus eorum, mirum in modum variat. *Poloniæ* adfines, idioma loquuntur fere *Polonicum*; *Rutenicum* contra, qui *Comitatum Sarosiensem* accolunt; soli isti, qui intimiora *Comitatus* tenent, propius ad *Slauonismum* vulgarem accedunt.

Diale-  
ctus.

## §. III.

Ruteni.

Quando  
ingressi  
Scepusi-  
um.  
Eorum  
religio.

Præter *Slauos*, *Sarmatas* quoque habet terra nostra. *Rutenos* vulgo dicunt, ignobile genus, a *Russis* huc propagatum. Colunt ii montana *Comitatus*, qua is ad *Sarosiensem* vergit. Lingua his quoque *Slauica*, sed quæ proxime ad *Moscouiticam* dialectum accedit. In fidem a *LADISLAO* rege, cognomento *Sancto*, primum acceptos, et non tam vi, quam pietate conciliatos fuisse, *BONFINIVS* c) memorat. Atque tunc *Rutenorum* aliquos, habitatum huc concessisse, haud absolum fuerit existimare. Sacra illi *Græco* ritu faciebant; sed nostra ætate *Romano-Catholicæ* *Ecclesiæ* vnitos esse, accepimus.

## §. IV.

b) In eadem, Grammatices Germanicæ, præfatione.

c) BONFINIVS Dec. II. Lib. IV. p. m. 230. 24.

§. IV.

Nescio autem, quo loco eorum habenda sit opinio, qui *Latinos*, inter inquilinos Scepusii, recensent. Neque enim lego, ad Carpathica isthac iuga Romanorum coloniam vnquam demigrasse, ad quam origo Latinorum referri possit: nisi credam, militum exauctoratorum manum, hic aliquando confedisse. Sunt, qui existiment, post celebrem illam pugnam, quam aduersus Hunnos, ad Kesmarkinum et Hunnisuillam, pugnauere Romani, eorum aliquos, istis locis sedes fixisse. Illud ex vetustis schedis constat, priscos Germanorum *Landgrauios*, de quibus supra diximus, Comites *Saxonum* et *Latinorum*, adpellatos fuisse: id quod in diplomate quodam Regis ANDREAE, atque ELISABETHAE Reginae, quo priuilegia gentis vtriusque, perscripta sunt, adhucdum legi posse perhibent. Equidem, *Italos*, potius, quam priscos Latinos, si qui tamen, inter incolas Scepusiacos censi aliquando sunt, fuisse existimauerim. Ita vero vt sentiam, locorum quorundam nominibus adducor, quorum origo ad Italos referenda omnino est. In his *Olaszinum*, seu *Villam Italicam* retulisse sufficiat, *Hernado* adficam, Germanis *Wallendorff*, Slauis *Wlasky*, ab incolis Italis sic dictam. Accedit, primos Reges Hungariae subinde in civitatem adficiuisse Italos, vt ex eorum conuictu, mitescerent suae gentis homines. Hodie nullum amplius siue *Latinorum*, siue *Italorum*, vestigium, in his locis notatur; nisi quod more gentis antiquo, linguam Latinam, impensius, Slaui potissimum, excolant.

An Latini aliquando incoluerint Scepusium.

Auctoris coniectatio.

§. V.

Ad ingenium atque mores incolarum, quod adinet, pro nationum diuersitate, variare eos adverterunt, quibus volupe est, hominum scrutari indolem atque proensiones. In vniuersum, statura Scepusiacis mediocris est, compagis tamen solida. Aetas, plerisque, agrestibus in primis, contingit prouectior; credo, non ideo tantum, quod aere fruuntur saluberrimo, et nunc frigoribus, nunc tempestivis ventis, perpurgato; sed maxime, quod laborum sunt patientissimi, neque facile per ignauiam, torpescunt. Qui enim ruri degunt, toti in eo colendo sunt, et steriles subinde agros, labore improbo, ita subigunt, vt vim eos naturae fecisse crederes. Oppidani contra, praeter rem rusticam, artes sellularias, solertia, qua possunt, maxima, exercent. Reliqui mercatu, in vrbibus potissimum liberis, vitam tolerant, felicissimo olim successu, sed quem hodie *Iudeorum*, *Rascianorum* et *Gracorum* multitudo, passim, tota Hungaria, sedes figentium, nimium quantum sufflammat, si non penitus interuertit. Et folius certe Comitatus Scepusiensis operis, facile pluribus aliis, vario mercium et vtensilium genere, prouideri posset, nisi id temporum vetaret difficultas. Haec communia fere sunt omnibus, indoles singularum nationum diuersa. *Germani* enim, liberaliores quodammodo a natura facti, lautius agunt, potissimum in oppidis, musices amantissimi: quam etiam, Silesiorum ritu, cum liberalibus artibus aliis, studiose addiscunt. Feminae eorum, pleraeque venusta sunt facie, industriae tamen et ipsae, atque subigendo lino, et texendis linteis, occupatissimae; vtinam Penelopaea castitate omnes, quae texendo ac retexendo telam, procorum fertur lasciuiam delusisse. *Slauis* solidior indoles, et ad litterarum studia aptior contigit. Proinde, videas plerosque eorum, primam aetatem, etsi postea ad colendum rus, vel perdiscendas artes illiberales, accedant, in scholis extrahere, atque illic, ita imbibere linguam Latinam, vt subinde, rem rusticam facientes, aut in futrina desudantes, latine inuicem confabulentur. Qui vero Musas penitius adamauerunt, ad magnam saepe eruditionis laudem pertingunt: eo tamen infelices, quod plerisque, inter montium vmbras, ingloriis consensendum est. Sed *Rutenorum* natio stupidior est, quam vt credi possit, nescio, naturae ne, an educationis vicio? sed reuera vtrinque destitutos perhibent, qui eos penitius norunt. Proni sunt ad latrocinia, quippe quibus infesta reddunt itinera. Horum ingenium ii quoque ex *Slauis* aemulantur, qui Poloniae confines habitant; si tamen hi non Polonis potius, quam *Slauis* sint accensendi. *HUNGARIS* contra ea, qui omnes viri nobiles sunt, culti admodum mores, et ad magnificentiam compositi. Trahunt tamen et ipsi ex *Germanorum* et *Slauorum* conuictu nonnihil. Certe vtrorumque lingua expedi-

Mores Scepusiorum. Quid commune omnibus.

Germanorum indoles.

Ingenium Slauorum.

Rutenorum.

Hungarorum.

Religio. tius plerique loquuntur, quam Hungarica. Religio multis Romano-Catholica est; plerisque Evangelica; paucis Calviniana.

## §. VI.

Terra  
Scepusiensis  
magistratus:  
Sui-  
premo-  
rum Co-  
mitum  
origo.

Scepusi-  
eorum  
catalo-  
gus.

Hæc, de incolis Terræ Scepusiensis; eorumque moribus, adnotanda erant, nunc de magistratibus dispiciamus. Adultus Hungariæ mos est, ut Comitibus præficerentur viri, de patria optime meriti; qui et ius dicerent; et in obsequio continerent populū. Prima horum Magistratuum; et diuisæ in Comitatus Hungariæ, vestigia; sub BELA III. reperio. Ita hac de re NADANY: d) *Populum, in census relatum, ad rationem compositum, secundum ordines et municipia; digessit: tantum Græco ingenio facturus, ut populus unius quasi urbis imperio regi videretur.* Dicit; *Græco ingenio;* eo quod e *Manuelis*, e) Constantinopolitanorum Imperatoris; contubernio redux; Regnum adiit; vbi Græcorum artibus innutritus, opportune eas ad regendam Hungariam; transtulit. Post ista tempora; Comitibus, quos antiquitus f) *Parochias, Pagos*, et g) *Conuentus* dicebant; sui exstiterunt *Comites*. Nos; iam *Comites Scepusienses*; quorum nomina atque ætatem indagasse licuit, adscribamus.

Anno MCCXXIII. PHILIPPVS, Comes de Szepes Ujvár; idemque Regni Hungariæ Palatinus ad Annum MCCXXV. vixit sub ANDREA Hierosolymitano. Qui hunc exceperint, reperire haud licuit.

Anno MCCLXXX. ELIAS, Comes Saxonum et Latinorum. Sed an idem Comes quoque Scepusiensis fuerit, iusta subest dubitatio, cum supra docuerimus, Landgrauos Saxonum, genti admodum suæ præfuisse, summa rerum penes Comites Scepusienses exsistente. Hic idem Elias, in dandas V. Clero decimas consensit, facta eius rei causa pactione; quam postea ANDREAS III. Venetus, Anno MCCXCVII. et SIGISMUNDVS, Anno MCCCXXIV. ratam habuerunt.

Anno MCCCXVII. STEPHANVS, Eliæ filius, eandem; quam pater, dignitatem; obtinuit.

Anno MCCCXX. IVLA; rerum potiente CAROLO ROBERTO; Comes fuit Terræ Scepusiensis.

Anno MCCCXXV. PHILIPPVS Drugeth de Homóna, Comes Scepusiensis et Abaujvár; idemque Regni Hungariæ Palatinus et Iudex Cumanorum.

Anno MCCCXLVII. TETVS, Iordanis filius; in priuilegiis; quæ LVDOVICVS clarigitus est, Comes Scepusiensis, vocatur.

Anno MCCC LXXV. IACOBVS de Szepes, vel Szepis; Iudex Curia Regiæ; sub eodem LVDOVICO Rege.

Anno MCCCXCIII. IOHANNES de Zápolya, Comes Scepusiensis; idemque Iudex Curia Regiæ.

Anno MCCCCLXXXV. EMERICVS de Zápolya; perpetuus Terræ Scepusiensis Comes, atque Regni H. Palatinus.

Anno MCCCCXCII. STEPHANVS de Zápolya; Emerici frater, perpetuus Comes Terræ Scepusiensis; Regni Hungariæ Palatinus, et Cumanorum Iudex.

Anno MD XXIV. GEORGIVS de Zápolya; perpetuus Terræ Scepusiensis Comes, in infelici; ad Moháts; pugna; obtritus.

Anno MDXVI. IOHANNES de Zápolya; perpetuus Terræ Scepusiæ Comes, Transilvaniæ Vajvoda; et post funestam LVDOVICI cladem, Hungariæ Rex; atque FERDINANDI I. æmulus.

Anno MD XXXIII. HIERONYMVS LASKY, seu Lasko, Palatinus Siradiensis; ob rem; pro Iohanne; apud Solymannum, bene gestam, arce Scepusiensi, et perpetui Comitis dignitate, ab eodem Iohanne donatus fuisse legitur.

Anno MDXXXVI. ALEXIVS I. TVRZO de Bethlehemfalua; Iudex Curia Regiæ; locum tenens Regius; et Camera Scepusiæ præses. An dignitate Comitis Scepusiensis claruerit; incertum est. Sane epitaphium Leutschouienſe nullum eius rei

d) Lib. II. c. XVI. p. 105. 106.

e) Vid. IOHANNIS CINNAMII histor. Lib. VI. §. XI. p. 167.

f) THVROTZII Chron. Hung. c. LIX. p. m. 67.

g) RANZANIVS Epit. Rer. Hung. Ind. I. p. m. 205.

rei indicium facit ; hic tamen referendus, quod longa post eum serie *Turzones*, Scepusienses *Comites* exstiterunt. Moritur Anno 1544.

Anno MDXLV. IOHANNES II. TVRZO de *Betlehemfalua*. *Comitem* Scepusiensem fuisse, ex cippo *Leutschouiensis* constat, vbi Anno 1558. conditus est.

Anno MDXC. ALEXIVS II. TVRZO de *Betlehemfalua*, Comes Terræ Scepusiensis. Viuere desiit Anno 1594. die 5. Martii ; *Leutschouia*, auorum sepulchris illatus.

Anno MDCIV. CHRISTOPHORVS TVRZO de *Betlehemfalua*, Terræ Scepusiensis, et Comitatus *Sarosiensis*, *Supremus Comes*.

Anno MDCX. GEORGIVS TVRZO de *Betlehemfalua*, Comes *Arvensis*, credo Scepusiensis quoque, idemque Regni Hungariæ *Palatinus*.

Anno MDCXX. STANISLAVS I. TVRZO de *Betlehemfalua*, filius Alexii II. perpetuus Terræ Scepusiensis *Comes*. Fit Regni Hung. *Palatinus* ; sub FERDINANDO II. Anno 1622. d. 3. Iunii. Viuere desiit Anno 1625. Sepultus 12. Ian. Anno 1626.

Anno MDCXXV. STANISLAVS II. TVRZO de *Betlehemfalua*. Stanislai I. Filius, perpetuus Terræ Scepusiensis *Comes*.

Anno MDCXXVIII. ADAMVS TVRZO de *Betlehemfalua*, *supremus* Terræ Scepusiensis *Comes*.

Anno MDCXLIX. LADISLAVS CHA'KY de *Keresztszegh*, perpetuus *Comes* Terræ Scepusiensis, idemque *Iudex* Curia Regiæ. Moritur *Polonii* 1655.

Anno MDCLXXVII. STEPHANVS CHA'KY de *Keresztszegh*, perpetuus *Comes* Terræ Scepusiensis, et ipse *Iudex* Curia.

Anno MDCCXIV. *Illustrissimus* atque *Excellentissimus* Dn. Dn. SIGISMVNDVS CHA'KY de *Keresztszegh*, perpetuus Comitatus *Abaujvariensis*, et Scepusiensis *Comes*, atque *Tauernicorum Regalium Magister*. VIVIT. Feliciter !

## §. VII.

Hi ergo fuere ; quos indagare potuimus, Terræ Scepusiensis *Supremi Comites*, *Magistratus reliqui*. digni profecto, quorum memoria, passim apud scriptores rerum Hungaricarum celebrata, heic quoque instauraretur. Sed supersunt, quod fateor ; lacuna quaedam, quas vt expleant, qui tabulata incluti Comitatus, *archium* dicimus, in potestate habent, vehementer rogamus. Cetera ita se habent in rerum apud Scepusios administratione, sicuti in reliquis Hungariæ Comitatus ; si sedem *Decem Lanceatorum*, de qua infra dicendi erit locus, excipias. Sunt nimirum ceteri *Magistratus* : *Vice-Comes* ; *Substitutus Vice-Comes* ; *Notarius* ; *Quæstor*, quem *Perceptorem* vocant, et *Iudices Nobilium*. Quia vero pleræque dignitatum istarum, vagæ sunt, vel quemadmodum loqui amant ; *ambulatoria*, stas eæ temporibus, instaurari consueverunt : eo, crediderim, consilio, vt neque oneri sint, de publica utilitate bene meritis, neque detrimento Comitatus, si in eos inciderint, quorum non vbiq; spectata est dexteritas. Olim publici Comitatus *Conventus*, quos vice *Comes*, aut eo absente, huius *vicarius*, indicit, *Varallyini* agebantur : nunc duobus retro seculis, *Leutschouia*, quod et ad hospitandum commoda vrbs est, et in medio Comitatus sita. Neque tamen legis vim obtinet consuetudo isthæc : subinde enim, potissimum, vbi de militum hybernis, et id genus negotiis, dispiciendum est, aliorum quoque, ac *Kesmarkinum* in primis, *congregationes* eiusmodi indicere inoris est. *Congregationes Comitatus*.


## §. VIII.

Supereft, vt *Insignia Comitatus*, quibus priscis, iuxta et recentioribus temporibus, utebatur, iamque vitur, exproniamus. Duplicis ea sunt generis ; alia enim *Sedes Superior*, alia *Inferior* ; habet. Et *Sedes* quidem *Inferior*, ad Annum vsque MDXCIII. quo ALEXIVS II. TVRZO rebus in Comitatu præerat, nulla in sigillis præferbat insignia ; sed solo Comitatus nomine, in quatuor syllabas, diuiso, *Insignia Scepusiensia*. *Antiqua*.

uifo , atque totidem inculpto sigillis , in signandis litteris , utebatur , hoc fere modo :



Erat vero id in more positum pluribus Comitatus , ut dispertitis ita sigillis , vterentur , forte ne facile in fraudem iis abuti liceret. Enim vero singulis *Iudicibus Nobilium* , sigillum vnum credebatur , quorum , si alterutrum abesset , *sedes* , quam vocant *iudiciaria* , nequiuit celebrari , sed nec litteræ , aut sanctiones quæcunque ita confici , ut fides eis haberetur. Idem hodie in *Szaboltsiensis* , *Vgottenst* , *Szatmariensi* et *Marmarosensi* , Comitatus , vsu venit ; quemadmodum id suo loco adnotabimus. Sed in minutis , quæ iam expendimus , Comitatus nostri sigillis , præter syllabas illas , icones quædam , arte rudi expressæ , puta in tribus animalculi cuiusdam , credo , muris alpini , in quarto autem , lilii albi , conspiciuntur. Eadem ista sigilla , vno quoque circulo ambiebantur , in hanc propemodum formam :



*Recentiora.*

Hoc ubi vetustate , atque vsu diuturniore , exesum fuisset , novis Comitatus insignibus , Imperator RVDOLPHVS , idemque REX Hungariæ , donauit. Scutum quadripartitum est , in cuius superiore campo , dextram spectante , *unicornis* , umbilico tenus prominens : infra , *rupicapra* profliliens visitur : sed campus sinister *Leonem* ore hiantem , gradientem ; subtus autem *lilium* ostendat , Gallicis haud absimile. His iam insignibus , in sigillis quoque ceræ impressis rubræ , vitur inclytus noster Comitatus , cum περιγραφή. *Sigillum Comitatus Scepusiensis Anno 1593.* Sunt , qui credant , ex præcipuarum , quatuor , Terræ Scepusiensis , familiarum insignibus , selecta ea esse , puta *TVRZONVM* , qui *unicornis* : *TÖKÖLIORVM* , qui *leonis* ; *BERZEVIETZIORVM* , qui *rupicapra* ; et denique *DRAVECZKIORVM* , qui *lilii* simulacrum in insignibus suis gestabant , et hi adhuc dum gestant. Ista *Sedis Maioris* fuere insignia , nam *Sedes Decem Lanceatorum* , infra pluribus describenda , suum ipsius habet insigne , iuxta et sigillum. *Vrsus* , id erectum , et arbori quasi , pedibus anterioribus innixum , ostendat , forte , ut esset indicio , fortitudinis , qua præsci

*Sedis Decem Lanceatorum.*

*sedis Lanceatorum* incolæ , passim in præliis , inter corporis custodes , emicuerunt.



PARS II.  
SPECIALIS.

MEMBRUM I.

De  
SEDE MAIORI,  
quæ et Inferior dicitur.

**E**Gimus Hactenus de Comitatu Scepusiensi generatim, nunc ea prosequamur, quæ ad penitiorum eius notitiam pertinere videbuntur. Diuiditur is in SEDEM MAIOREM, seu Inferiorem, et Superiorem, quæ alias DECEM LANCEATORVM adpellatur. Nos iam Sedis Maioris Vrbes, Arces et Castella, oppida et Processuum singulorum vicus et *Dominia* expediamus.

SECTIO I.

De  
Liberis Regiisque Ciuitatibus.

**C**iuitates liberas Regiasque, duas habet Terra Scepusiensis, LEVTSCHOVIAM, et KESMARKINVM, quas iam lustrabimus.

I. Leutschouia.

Synopsis.

BONFINII, circa natales vrbes, error: vera eius primordia et denominatio. §. I.

A Tartaris, vixdum exadificata, funditus deletur: readificatur: priuilegiis a Regibus donatur: Leutschouienſium inſignia. §. II.

Fædatur incendiis frequentibus. §. III.

Expilatur a peditibus Hungaris: iniuria Batſteriorum: fata vrbes ſub Botſkayo: Bethlehenyo: Georgio Rákótzio: Tökölyo: Franciſco Rákótzio. §. IV.

Regum Hungaria et Polonia apud Leutschouienſes, conuentus: FERDINANDVS I. Octaualia hic celebrari ſtatuit: Lauſ Typographia Leutschouienſis. §. V.

Vrbes ſitus: propugnacula: ædificia: forum. §. VI.

Baſilica S. Iacobi: Turzonum monumenta. §. VII.

Cetera vrbes ædificia publica. §. VIII.

Vrbes facies nunc qualiſ: aqua penuria: Ciues ac horum mores, occupatio: mercatus annui et hebdomadarii: præcipua Leutschouienſium virtus: quid iis vitio detur. §. IX.

Caret ſuburbis: ager eius ſpatioſiſſimus: frumenti, lini et leguminum ferax: ſilua cædua: terminorum designatio. §. X.

§. I.

**L**EVTSCHOVIA, Hungaris *Létſe*, Germanis *Leutschau*, Slauis *Leuuoſa*, Bonfinii totius Comitatus metropolis, digna ſane, quæ inter præcipuas atque cultiſſimas ciuitates Hungariæ cenſeatur. BONFINIVS a), extra veri modum; antiquitatem eius adauxit. Nihil enim dubitauit, ad Albanos, Hungarorum progenitores, eius incunabula referre, græca vocis origine fretus; namque

Bonfinii circa natales vrbes error.

Y

λευκοῦ

a) Lib. I. Dec. I. p. m. 26. 7. Contra, TRÖSTERVS Daciae Nonno-Antiq. Lib. II. c. IV. p. 140. a *Lugiis*, Germaniæ an-

tiquæ populis, conditam credit, eſtque ipſi *Lugſau*, *Lugiorum campus*, et inde *Leuſſchau*.

λευκόν, album significat, vnde b) *Leuconium*, et nostra iam pronuntiatione, *Leutschouia*, prognatum sit. Sed lapsus est historicus: præterquam enim quod nullum pro se habeat scriptorum suffragium; recentiora profecto sunt vrbs nostræ exordia, quam vt ad canam illam antiquitatem referri possint: quippe quæ BELÆ IV. temporibus, hoc est anno post natum CHRISTVM MCCXLV. excitari cœpta est. Enim vero, cum Anno 1241. *Batho*, Tartarorum dux, immani multitudine Hungariam inundasset, victoque atroci pugna rege, vniuersum regnum, toto triennio, rapinis, cædibus, igni et ferro, nefandum in modum, vastasset; necessitatem sibi impositam videbant, qui a clade illa manserunt residui, vt passim, per inaccessa montium iuga, errarent, atque in antris et specubus quærerent perfugium. Eadem tunc Scepusiis quoque, fortuna mansit. Proinde, alii quidem in *Cænobio Lapidis Refugii*, vulgo *Létsánkő*, alii inter præruptas Carpathi rupes, alii denique in siluis Leutschouiensibus, delitescabant. Atqui hi quidem, ne imprudentes a grassantibus passim Tartaris, circumuenirentur, speculam, isto, saltem ei proximo loco, excitarunt, vbi iam vrbs sita est, quam sua lingua *Leütschau*, hoc est: *observationem* hominum, vocauerunt, vt inde excubatores, discursantes Tartaros, obseruarent. Decedentibus tota regione hostibus, et reditum atrociorum interminantibus, de excitanda vrbe cogitare cœperunt Saxones, vt haberent, quo se reciperent, si hostis immanissimus redierit. Placuit consilium pluribus, qui demum, coadunatis operis, futuram urbem, mœnibus primum, labore, vti fit, tumultuario, quomodocunque circumdant, atque vbi tutos se, a vagi hostis impressionibus, intra noua mœnia, credunt, ædes inædificare occipiunt. Creuit postea opus eo celerius, quo recentior animis ciuium hærebat recordatio, calamitarum, a barbaris sibi illatarum. Ista vrbs Leutschouiensis origo est, illorum temporum conuersionibus, non autem, quod vult *Bonfinius*, Albanis, tribuenda. Sunt, qui adserant, ignobilem quendam vicum, eodem isto loco, existisse, ante, quam vrbs ædificari cœpisset: cuius illi rei argumentum capiunt, ex sacra æde, vetustissimi operis, hodie *Minoritis* adscripta, quam *S. Stephanus* fundarit, sed quæ demum Anno MXLVII. hoc est, turbulentissimo Hungariæ statu, consummata fuerit: quod si illi idoneis comprobarent documentis, altius vrbs nostræ primordia reponi oporteret.

## §. II.

*A Tartaris, vix dum exædificata, deletur.*

*Reædificatur.*

*Priuegiis a regibus donatur.*

*Leutschouiensium insignia.*

Vix dum speciem vrbs induerat Leutschouia, cum Tartari, Cumanorum cladem vlteri, Hungariam denuo inuadunt, ima summis miscent, et regionem, quam late possunt, immani feritate pessundant. Proinde, facta in Comitatum Scepusiensem, impressione, incolas trucidant, deripiunt vicos, urbemque recentem nefarie exurunt. Euenit triste istud Leutschouiæ excidium, Anno MCCLXXXV. cum summa rerum LADISLAVS IV. Cumanus ille, potiretur. Qui a clade erant residui, simul atque hostem, tota regione, demigrasse, intellexerunt, instaurandæ, cum cura, vrbs, consilium ineunt. Igitur, mœnia, quæ arctius primum substruxerant, laxius exædificant, turribus firmant, nouamque prorsus faciem vrbi inducunt. Augebantur inde vrbs opes, incolis, certatim, ad opportunam fortunarum sedem, concurrentibus. In primis multum eius amplitudini accessit, ex priuegiis, quibus eam postea reges indulgentissimi donauerunt. Quia enim aduertebant, optimi illi principes, et de excolenda regione vnice solliciti, quantum ab vrribus non ornamenti tantum, sed utilitatis etiam, ad vniuersum reipublicæ corpus redundare possit, surgentes vrbes, iuribus amplissimis ornauerunt. Equidem hac ætate, inter liberas regiasque vrbes relatam, crediderim. Insignia, quæ tunc accepit, geminam crucem, Hungaricæ consimilem, præse ferunt, quam duo leones vtriusque fulciunt: forte vt essent toleratæ fortiter calamitatis indicium.

## §. III.

§. III.

Postea, inter innumeras Hungariæ conuersiones, intemerata perstitit, frequen- *Fœdatur incendiis*  
 tibus mox incendiis obnoxia: annis quippe: MCCCXXXII; MCCCXLII; MCCCC- *frequen-*  
 XXXII; MCCCCXLI; MDL, et MDXCIX. pene funditus deleta fuit; sed quia *tibus.*  
 opulentiores tunc ciues habuit, neque ea, quæ nunc est, temporum fuit difficultas,  
 surrexit ex cineribus, plerumque opinione celerius, atque id habitu subinde ele-  
 gantiore: si vltimum illud incendium, quod Anno MDXCIX. euenisse dixi-  
 mus, excipias, quippe quod longe calamitosissimum Leutschouiensibus exstitit:  
 quia enim ea tempestate euenit, qua fruges omnis generis horreis conditas habuere,  
 puta d. XV. Sept. annonæ primum caritas, inde fames, mox et pestilentia, Anno  
 MDC consecuta est, quæ plerosque ciuium abstulit, neque non ita urbem adflixit,  
 vt ægrius postea decus pristinum potuerit recuperare. Qui illorum temporum me-  
 moriam in fastos suos retulere, concorditer perhibent, varia, calamitatem hanc,  
 prodigia præcessisse. Nimirum:

*Multi nocte canes, obscenarumque volucrum  
 Sunt exauditi questus, et visa per umbras  
 Spectra: eademque nouum gemitu testantia luctum.*

§. IV.

Adflctis ita Leutschouiensium rebus, noua ingruit calamitas. Redibant nimi- *Expila-*  
 rum, anno MDCL. d. 21. Iunii, ex castris, in Hungaria inferiori positus, pedites *tur a pe-*  
 Hungari, *Hajdones* vocant, indomitum genus, et plerumque raptu viuere adfue- *ditibus*  
 tum. Hi, reiectis portæ inferioris excubatoribus, in urbem irrumpunt, ædes pri- *Hunga-*  
 mum publicas, atque in his cellarium, deinde priuatas etiam, impune diripiunt, *ris.*  
 ciues spoliant, et altera, quam venerant, die, expilatam urbem, relinquunt, ob-  
 fide viro ordinis senatorii, secum abducto, quem post acceptos demum XL. num-  
 mos aureos, et comæatum copiosorem, dimittunt. Anno, qui secutus est,  
 MDCL. *Sigismundus Batsory*, qui Transiluaniam, cum *Oppolitano*, in Silesia, *Prin-*  
 cipatu, permutauerat, atque mutatis subinde consiliis, ad Transiluanos postliminio *Iniurie*  
 redibat, magna equitum manu stipatus, urbem transit; sed ingenti ciuium damno, *Bathori-*  
 eo quod milites passim impune grassantes, licentiosius, quam pro itinerantium mo- *orum.*  
 re, rapinis miscuerunt omnia. Anno MDCIII. eiusdem principis legati, iuxta et  
 RVDOLPHI imperatoris, conuentus hic agebant, die XXIX. Martii inchoatos, qui-  
 bus ille Cæsari reconciliandus erat. Quæ hinc secuta sunt tempora, ciuilibus bellis  
 fuerunt infesta, adeoque vrbi etiam nostræ plerumque aduersa. Enim vero, anno *Fata vr-*  
 MDCLIV. a *Botskayânis Hajdonibus*, stratagemate quodam, duce *Iohanne Dersöfy*, *bis sub*  
 intercepta, bellicis tormentis, atque puluere pyrio, obsidionem c) arcis Scepusi- *Botskayo.*  
 ensis iuuare debuit. Verum, quod minus tutam fidem ciuium suspicarentur *Botskay-*  
 ani, anno MDCV. urbem obsidione cingunt, ac tamdiu premunt, donec dimis-  
 so, quem sumtu suo conscripserat, milite præsidario, multæ loco, duo millia  
 numorum argenteorum, quos *florenos* vocant, penderent, fidemque suam *Botskayo*,  
 solemnem iuris iurandi formula obstringerent. Nondum ab his malis respirauerat  
 Leutschouia, cum nouus iterum, e Transiluania, turbo exoritur, vniuersam mox  
 Hungariam correpturus. Scilicet, anno MDCXIX. *Gabriel Bethlehen*, infestis armis *Bethlehé-*  
 Hungariam inuadit, nulloque negotio, Hungaria superiore, sub iugum missa, vr- *nyo.*  
 bes plerasque omnes, atque in his, Leutschouiam quoque, occupat. Inde, rebus  
 Hungariæ compositis, *mitiore* fortuna vsa est Leutschouia, cœpitque pristinum de-  
 cus, atque opes, recuperare, quibus breui ita confirmata fuit, vt *Georgii Rákotzy*, *Georgio*  
 Transiluanæ principis, cum is nouas res in Hungaria moliretur, obsidionem tole- *Rákotzyo:*  
 rare, modo, sed reicere etiam potuisset, nisi malorum, quæ bellum comitari so-  
 lent, intempestiuo metu, deditionem sponte fecisset. Sed anno MDCLXXXII. fa-

c) Vid. ISTVANFEIUM Lib. XXXIII. p. m. 816. 20.

Tökolyo. ctioni *Emerici Tökoly*, eo indignius succubuit, quo minus procliuè erat, post dormitam *Cassouiam*, atque *Eperiesinum* captum, hostibus tumultuantibus, resistere. Ultimo denique bello ciuili, quod *Franciscus Rákótz*y, libertatis obtentu, magno Hungariæ malo, excitauerat, anno MDCCIII. post longiorem obsidionem, hostes accipere coacta fuit, dum repressis Rákótzianis, anno MDCCX. die 13. Februarii, ductu *Löffelholzii*, hostibus denuo eriperetur.

Francisco Rákótzio.

### §. V.

Regum Hungariæ et Poloniæ apud Leutschouvienses conuentus.

Atque ista quidem vr̄bis Leutschouiensis fata et conuersiones, oppido aduersæ, inde a primis eius exordiis, fuerunt. Illud ad vr̄bis laudem referendum est, quod anno MCCCCXCIV. reges Poloniæ & Hungariæ, foedus heic præsentis pepigerunt. Res erat istiusmodi: defuncto MATTHIA Coruino, post victas partim, partim soporatas procerum atque æmulorum factiones, WLADISLAVS Polonus, diadema capessit. Indiçtis postea anno MCCCCXCIII. Budam, comitiis, cum frequentes adessent optimates, segnibus adeo imperiis, qualia, post bellicosissimum CORVINVM, *Wladislai* fuerunt, minus adfueti, ignauiam regi acrius exprobrant, et, quæ inde sequi oportuit, ingentia damna, iuxta et gentis Hungariæ dedecus, pro rei, uti erat, magnitudine, non sine conuitio, obiciunt. Rex, confutatis, quemadmodum poterat, quæ sibi obiciebantur, criminibus, MAXIMILIANVM Cæsarem, clam sibi conciliat, posteaque fratrem ALBERTVM, Polonorum Regem d), Leutschouiam euocat, cumque eo foedus tanto arctius init, quanto minus procerum studiis, sua illa ignauia, in diuersa scissis, fidendum existimabat. Aduenerat tamen huc *Stephanus* quoque *Scepusiacus*, Regni Hungariæ Palatinus, qui hunc regum congressum, donis varii generis, spectaculis, et plurium dierum ludis, mirifice ornaverat. Multum præterea ad vr̄bis huius celebritatem accessisset, si, quod FERDINANDVS I. anno MDXLVI. Artic. XXX. fanciuerat, iudicia, quæ *Octaualia* dicunt, die *S. Georgio* festa, annis singulis, celebrata heic fuissent: id quod vix semel iterumque euenisse meminerunt vr̄bis annales. Constantior longe ea laus est, quam ei Typographæum peperit. Posteaquam enim melioribus litteris Hungari adfueuissent, primam fere Typographiam, in nostra hac vr̄be, a BREVERIANA gente excitatam fuisse, copiosiores libri, heic typis exscripti, testantur. Creuit postea officina isthæc et ad nepotes propagata, eum iam florem, siue typorum elegantiam, siue accuratationem operarum spectes, *Iohannis Breueri*, viri optimi, industria, consecuta est, ut cum exterorum typographæis, contendere iure possit: quam nos quidem laudem, vr̄bi ac genti *Breuerianæ* perpetuam, Hungariæ autem, sine cessatione, vtilem proficuaque precamur.

Ferdinandus I. Octaualia hic celebrari statuit. Laus Typographiæ Leutschouensis.

### §. VI.

Vr̄bis situs.

Propugnacula.

Aedificia.

Forum.

Ad situm vr̄bis quod adinet, natura is, ad amœnitatem factus est. colli enim imposita, ab occidente depressam in præceps vallem habet, ab oriente contra per cliuum aditur. Mœnibus cingitur validissimis, quæ turribus duodecim præmuniuntur. Portas habet duas, quarum *superiorem* alteram, alteram *inferiorem*, a situ dicunt. inter vtramque porta minor est ad orientalem plagam prospectans, eo sine facta, ut, si obsideri contingat vr̄bem, habeant, qua erumpant præsidarii. Vr̄bis ædificia, solido opere, atque ita sunt exædificata, ut multum habeant, cum opportunitatis, tum magnificentia. Forum vr̄bium Hungariæ capacissimum est, et in laxas plateas desinens, quæ postea in angustiorem alias propagantur: ædium, quibus clauditur, partes anteriores, perpetuis fornicibus concamerata sunt, ut pluuio cælo, totum pene ambitum fori, sicco pede, obire possis.

### §. VII.

d) Vide, congressus huius, prolixè descriptam historiam, apud ISTVANFIUM Lib. III. post initia.

## §. VII.

In primis ad decus vrbis pertinet, *Basilica*, medio foro inædificata, et S. IACOBO dicata, in qua nihil, quod ad magnificentiam ædis sacræ pertinet, desideres. Sepulchrum ea præbet, multis illustribus familiis, atque in his TVRZONVM maxime; hic enim siti sunt:

*Basilica  
S. Iacobi.  
Turzo-  
num  
monu-  
menta.*

IOHANNES I. TVRZO, de Bethlehemfalua. Excessit e viuis, Anno 1508. quinque filiorum parens, puta: *Stanislai*, Olomucensis, et *Iohannis* Wratislaviensis, Episcoporum: *Georgii*, vniuersæ per Hungariam rei metallicæ præfecti: *Alexii*, Ferdinandi Regis locumtenentis, et *Iohannis* Comitis Comitatus Scepusiensis. Epitaphium eius ita habet: *Hic situs est Magnificus Dominus Iohannes Turzo de Bethlehemfalua.*

ALEXIVS I. TVRZO, Iohannis I. filius. Posuit eidem epitaphium coniunx sua, in hunc modum: *Spectabili ac Magnifico Domino, Domino Comiti Alexio Turzo a Bethlehemfalua, Hungaria Regni, Iudici Curia, Serenissimique, Romanorum, Hungaria, Bohemia &c. Regis Ferdinandi Locumtenenti, et clarissima eius gentis marito dilectissimo, ac affinibus suis carissimis, generosa ac magnifica Domina Magdalena Zechel ab Ormod, pia et mæstissima coniuge.* Mortem eius ad Annum MDXLIII. refert ISTVANFIVS, e) præclaro eum encomio profecutus.

IOHANNES II. TVRZO, cum epitaphio: *Hic iacet Magnificus Dominus Iohannes Turzo, de Bethlehemfalua, Comes Comitatus Scepusiensis, qui proprio quodam instituto celebris, ad summum usque diem, vixit pacis, quietis, iustitiæ amans, suo contentus, alieni minime appetens. Obiit ætatis suæ Anno 66. a nato autem Christo Liberatore, Anno MDLVIII.*

ALEXIVS II. TVRZO. Inscriptionem sibi ipsi viuis posuisse censetur: *Miserimus Peccator, Alexius Turzo, indignus seruus Domini. Obiit d. 5. Martii, An. MDXCV. In nouissimo die resuscitabit me IESVS, Filius altissimi, meus Saluator et Redemptor.*

CHRISTOPHORVS TVRZO, Scepusiensis et Sarosiensis Comitatus Supremus Comes. Cippum sumtuosum vxor ei posuit, cum *περιγραφή*: *Hic iacet spectabilis Magnificus Dominus, Dominus Christophorus Turzo de Bethlehemfalua, perpetuus Terræ Scepusiensis, eiusdem modo Comitatus et Sarosiensis Comes, Liber Baro, Eques auratus, ac Sacra Coronæ Regiæque Majestatis cubicularius, qui pie in Domino obdormiuit, Anno ætatis suæ 31. Atque iterum: Domino Magnifico, æternæ memoriæ et amoris mariti charissimi, pietate erga Deum, f) constantia, virtute, fide, ac fidelitate erga Casarem et Regem, amore in patriam celeberrimo, in Domino obdormienti, die 7. Aprilis Anno 1614. hoc marmor, coniunx pia et mæsta, Comitissa Susanna Erdödy de Monorokerék, locat et consecrat.*

STANISLAVS TVRZO. Sepulchralis inscriptio sequens est: *Illustrissimus Dominus, Dn. Comes Stanislaus Turzo de Bethlehemfalua, Regni Hungaria Palatinus, Cumanorum Iudex, Terræ Scepusiensis, ac Comitatus eiusdem perpetuus Comes, sperati Principis et Dn. Dn. Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regis &c. intimus Consiliarius, et per Hungariæ Regnum Locumtenens. Mortuus 1. Maii, Anno 1625. ætatis suæ 49. Et post versus, cippi lateribus incisos, atque piæ mentis indices: Spectabiles ac Magnifici Domini Comites, Stanislaus, Adamus et Michael Turzones, de Bethlehemfalua &c. Comites perpetui Terræ Scepusiensis, Liberi Barones: Dn. Dn. Parentibus æternæ memoriæ, marmor hoc fieri curauere. Atque hæc sunt Turzoniana monumenta, quæ adscribere ideo voluimus, vt genealogiæ eorum, quam suo loco exhibebimus, lucem queant foenerari.*

Z

§. VIII.

e) Lib. XV. p. 256.

f) Eandem hanc laudem ISTVANFIVS

ei tribuit, Lib. XXXIII. p. 815. et 816.

## §. VIII.

*Cetera  
urbis  
aedificia  
publica.*

Sacræ, quam nunc descripsimus, ædi, turris adposita est, eximiæ altitudinis, in acutum desinens, et ære cyprio intacta. Hanc tibicinum chorus inhabitat, qui simul excubatorum quoque vices obeunt, atque horarum interualla, indicio tubæ, discriminant, quin statis diebus, symphonia urbem exhilarant. Non procul hinc Curia distita est, eleganti opere substructa. Moris erat olim apud Leutschouienfes, vt quoties de Republica consultarent, patres conscripti, togatos eos ad senatum ire oportuerit. Nunc, quemadmodum sunt tempora, antiqui moris pertæsa, ritus ille, oppido elegans, exoleuit. Curia, schola adfinis est, credo veterum Romanorum instituto, qui templo honoris, virtutis adiunxere, vt ex hoc, ad illud pateret transitus. Postea, publicum urbis armamentarium, eodem in foro, visitur, olim vario armorum genere instructum, sed quod bella ciuilia, ac potissimum *Rákótzianum* posterius, exinaniuerunt. Inter reliqua aedificia publica, templum porro *Patrum Societatis Iesu*, et aliud *Minoritarum*, vetustissimum omnium, retuleris. *Euangelici*, extra urbis pomeria, ad orientalem plagam, oratorium habent, e lignis haud inelegeranter contabulatum.

## §. IX.

*Urbis fa-  
cies nunc  
qualis.*

*Aqua  
penuria.*

*Ciues et  
horum  
mores.*

*Occupatio.*

*Mercat<sup>9</sup>  
annui et  
hebdoma-  
darii.  
precipua  
Leit-  
schouien-  
sium  
virtus:  
quid iis  
vitio de-  
tur.*

*Caret  
suburbii  
Leut-  
schouia  
ager eius  
spatiosis-  
simus  
frumen-  
ti, lini et  
legumi-  
num fe-  
rax.  
Silua ca-  
dua.*

Ista urbis facies erat, cum opibus valeret: nunc, vix vmbra pristini decoris habet, ita rerum, quas passa est, vicissitudinibus, defloruit. Videas enim, ædium, nupero bello, vastatarum, crebra passim rudera, quæ sicuti urbem reddunt deformem, ita temporum difficultatem loquuntur. Tamen vero peropportuno situ gaudeat Leutschouia, aquæ tamen penuria subinde laborat. Præterquam enim, quod puteos habeat rariores, atque eos magno sumtu et labore, effossos, profecto aquæ, e proximis montibus ad urbem deriuatæ, et passim per plateas salientes, vix copiosæ urbi, sufficiunt. Adeo nequeunt opportunitates omnes in vnum locum cumulari. Ad ciues, quod adinet, *Germani* plerique sunt, credo, *Saxonum* illorum, quos urbem condidisse memorauimus, posteritas. Admissi tamen fuerunt in supplementum *Slau*, posteaquam incolis sapius orbata fuisset, copiosa alioquin ciuitas. Mores iis sunt culti, et ad elegantiam compositi: Religio multis Romano-Catholica, plerisque Euangelica est. Olim nobilissima ciuium pars, mercaturæ studiis distinebatur, quæ licet haud negligentur adhuc, minus tamen fructuosa iam sunt. Sed nec ab agricultura abhorrent, inuitante eos agrorum, quos urbi circumpositos habent, fertilitate. Reliqua plebs, operis sellulariis occupatur. Mercatus annuos habet quatuor, puta: *Calendis Ianuarii*; *Dominica Rogate*; die festa *S. Iacobi*, atque *Galli*. hebdomadarios autem singulis diebus *Veneris*. Inter præcipuas Ciuium virtutes, beneuolentiæ illud genus numerari consuevit, quo peregrinos accipere solent. Inuicem concorditer agunt, quippe mutuis innexi adfinitatibus. Sunt tamen, qui luxuriæ accusent Leutschouienfes; sed ego id de illa ætate accipi velim, cum florentiores urbis res, atque ampliores erant ciuium fortunæ. Nunc, quæ est temporum calamitas, vix istud, quidquid est, criminis impingi eis posse existimo: nisi musices amorem, apud nonnullos pene immodicum, inter luxuriæ instrumenta quis retulerit.

## §. X.

Vidimus interiora urbis, vltimum est, vt agrum eius perlustremus. Et suburbiiis quidem caret Leutschouia, quorum loco hortos, et diuersoria adita habet, depressiore vndique situ, quam qui urbis est. Ipse ager, territorium vocant, longe spatiosissimus est ac passim interpositis montibus, et siluis, amœnus; sed omnis etiam generis frumenti, lini potissimum, et e leguminibus, pisorum, quæ supra laudauimus, feracissimus, coliturque a ciuibus eo maiori industria, quo pluribus e re rustica cum quæstus faciendus sit, tum vita etiam toleranda. Siluas præterea cæduas, latissime porrectas, memorasse iuuat, quæ annis licet singulis, communi urbis lignationi seruietes, late cædantur, vix tamen trigesimo quoque anno ad eandem siluam lignatores redire habent necessum. Ne vero laxi adeo termini, a vicinis,

nis, siue dimoueri possint, siue quoquo modo temerari, subinde, ac quouis fere decennio, solemni eos ritu instaurare, atque situs eorum memoriam, ad posteros transmittere, in more positum habent. Sed nos iam adflictae tot malis vrbi, valedicamus pristinum eidem florem, opes, robur atque opportunitates reliquas, ex animo precati.

## II. Kesmarkinum.

### Synopsis.

*Vrbis nomen: origo, an ad Quados referenda? coaluit ex tribus vicis. §. I.*

*Sub quibus regibus celebritatem et libertates consecuta sit? census regii origo: insignitur regiae vrbis titulo: MATTHIAE Coruini in urbem benignitas. §. II.*

*Libertas vrbis intemerata: sub IOHANNES FERDINANDO: a Iohanne arx, cum censu regio, Hieronymo Lasky, donatur: fit inde possessio Ruberi: Turzonis: Tököly. §. III.*

*Arcis possessoribus nihil in ciues iuris: quomodo Tököly arce et ditioe eius potitus sit? §. IV.*

*Tököliorum aduersus Kesmarkienses conatus: eorum atrocitas frustra ab optimis regibus refranatur: componitur lis a FERDINANDO III. quibus legibus. §. V.*

*Arce Kesmarkiensi fiscus potitur: inde Ru-*

*berus Comes: denique Kesmarkienses, quibus legibus: Gabriel Skaritz, quo ritu arcem magistratui tradiderit. §. VI.*

*Libertatum Kesmarkiensibus, a FERDINANDO adtributarum, summa capita. §. VII.*

*Vrbis pomeria et munimenta: situs, ad defensandum importunus: eius amoenitas: porta quot? publici carceres. §. VIII.*

*Vrbis adificia: aedes S. Cruci sacra: templum Slauorum: ara campana: Schola: Xenodochium: templum Slauorum minus: Euangelicorum oratorium. §. IX.*

*Curia, quare Catonis censura obnoxia: Senatus, iustitia studiosus, Ciuium mores: ingenia, studiis apta. §. X.*

*Fata vrbis varia et iniqua. §. XI.*

*Quid ciuilibus bellis passa sit: vrbis insignia. §. XII.*

### §. I.

**A** Best Leutfchouia, KESMARKINVM, Libera Regiaque Ciuitas, duobus, inter Septentrionem et Occidentem, milliaribus. *Cesareoforum* nonnulli, quasi sit *Keyfersmark*, sed adfectatius, dicunt: rectius *Tyropolium* dicturi, eo quod germanice *Käsmarck* vocatur. Hungaris *Késmárk*, Slauis *Kesmark*, audit. Qui natales vrbis reperunt alius, a *Quadis*, antiquae Germaniae populo, conditam perhibent, vt ab his nomen quoque suum traxerit, sitque *Käsmarck*, quasi dicas *Quads-Marck*, id est: *Quadorum terminus*. Non reluctarer, si illi docerent ex antiquitate, quod ita perhibent. Illud negari haud potest, *Quados*, Germaniae velut frontem fuisse, g) quatenus Danubio prætexitur. Sedem ipsis inter *Danubium* et *Maros* fluuium adsignat PHILIPPVS CLVERIVS h) vt *Vagum* etiam et *Granum* habuerint interfluentes, adeoque eundem terrarum tractum, quo vrbs nostra continetur. Quidquid eius rei sit, haud immerito, antiquissimis Hungariae ciuitatibus, Kesmarkinum adscripseris. Nugas agunt, qui ab Hunnorum Duce, KEVE nomen, vrbi inditum, credunt, ac si esset *Keve Mark*: reuera enim Germanicum est, siue a *Quadis*, siue, recentiore æuo, a Saxonibus, ortum: longe enim ante urbem conditam, id nominis, vico cuidam hæsisse, annales vrbis testantur. Nimirum, tres eodem isto loco, vbi iam Kesmarkinum visitur, pagos existisse ferunt, solis fere nominibus discretos, quorum primus, credo ab aede sacra, *Petri* et *Pauli*; secundus *S. Michaelis*; tertius denique, atque hic prioribus longe copiosior, *Kesmarck*, vocabatur. qui dein vici coadunati, oppidi primum, haud quidem

*Coaluit ex tribus vicis.*

Z 2

medio-

g) Conf. TACITVS de moribus Germ. c. XLII.

h) Germ. Antiq. Lib. III. c. XXXI. p. 118. 41. et CHRISTIANVS IVNCKERVS

in Geographia medii ævi, Parte II. c. I. p. 109. nisi quis alibi situs istos querere voluerit.

mediocris, mox et ciuitatis induerunt faciem. Diuorum autem illa nomina, argumento sunt, urbem nostram, tum fuisse conditam, cum sacra Christianorum recepisset iam Hungaria.

## §. II.

Sub quibus regibus celebratam et libertates consecuta sit? Censu regiori-go.

Insignitur urbis regia titulo.

Matthia Coruini in urbem benignitas.

Hæc de prima urbis origine; neque certiora suppetunt. Celebritatem postea consecuta est, cum rebus præisset BELA IV. et huius filius STEPHANVS V. quippe qui, non modo pristina eius iura, quibus ab antecessis regibus donata fuit, rata habuerunt; sed nouis etiam priuilegiis adauxerunt. In his erat, terminorum agri Kesmarkiensis prorogatio in latius, qua opes urbis mirum in modum adauctæ sunt. Idem STEPHANVS, ut voluntates ciuium magis sibi redderet obnoxias, tributa, in censum annuum, modicum quidem illum, atque annis singulis, regi pendendum, permutauit, qui secutis temporibus eo maiore cura dissoluebatur, quo fideliora ciuium in reges suos, studia semper exstiterunt. Postea a LVDOVICO I. cuius initia in annum MCCCXLII. inciderunt, libertatem a regio vectigali, *Tricesimam* dicunt, indepti sunt Kesmarkienses, olim quidem impetratam, sed deperditam iniuria temporum. Atque his iam temporibus Regiæ Ciuitatis vocabulo, Kesmarkinum insigniebatur. Capi huius rei documentum potest, cum ex Regum aliorum diplomatibus, tum ex iis litteris, quibus *Elisabetha*, ALBERTI Austriaci udua, ciues, anno MCCCCXXXIX. de reddendo censu illo regio, commonefaciebat, et quibus postea, eo, sicuti imperauerat, accepto, anno MCCCCXL. ciuium erga se fidem, collaudabat. Neque vero tunc opes urbis mœnibus solis continebantur: vicus certe *Rokus*, iam ea tempestate, in ciuium erat potestate. In primis cernit MATTHIAE Coruini, in urbem hanc, benignitas, qua factum est, ut non modo iura, quæ habuit, peculiaria, instaurarentur; sed ciuitas etiam ipsa, bello Hussitico, nuper exusta, latiore longe habitu, ex cineribus, resurgeret. idem, plenum, quo antea gaudebat, *iuris Regii titulum*, confirmauit, insignia ciuitatis, nouis lemniscis, adauxit, atque tabularium, quod incendio illo interierat, e regio, quodammodo resarsit; quin ob nauatam sibi operam, ciues, vico *Kisszalók*, perquam liberaliter donauit. Tenuit, et post *Coruinum*, regiæ ciuitatis axioma, Kesmarkinum nostrum. Et exstant sane *regales*, quas vocant, litteræ, a WLADISLAO, anno MDVI. ad Kesmarkienses exaratae, luculentissimum eius rei documentum.

## §. III.

Libertas urbis intemerata.

Sub Iohanne.

Ferdinando.

a Iohanne arx, cum censu regio, Hie-

Intemerata postea mansit Kesmarkiensium libertas, difficillimis etiam temporibus. Tameñ enim *Comites de Zápolya*, castellum, urbi proximum, in suam vindicauerunt potestatem, ciues tamen, suis uti legibus, permiserunt; quod nullum in eam ius, præter censum, a regibus sibi concessum, haberent. quin toto dominationis Zápolyitanorum tempore, et cum IOHANNES de Zápolya, regem se gereret, regiæ urbis loco habebatur, adibatque, more liberarum ac regiarum ciuitatum, publicas *Comitatus* congregationes. Huc et illud retuleris, quod, censum comitalem, *Taxam Dietalem* vocamus, non secus, quam vrbes reliquæ, quoties publica regni comitia celebrabantur, penderet: id quod ex litteris regalibus, FERDINANDI I. Anno MDLVI. exaratis, liquido constat. Pulso IOHANNES, cum FERDINANDVS I. rerum, per vniuersam Hungariam, potiretur, castellum Kesmarkiense, quod Zápolyitanorum ditionis fuerat, non minus in potestatem æquissimi regis, cessit, quod is, mandatis ad urbem anno MDXXVIII. missis, *Ludonico Pekry*, vna cum censu illo regio, tradidit, ciuesque, de eo rite soluendo, monuit. Sed cum Iohannes ex Polonia, quorsum profugerat, in Hungariam postliminio rediret, et *Solymani* auxiliis adiutus, regnum Hungariæ, cum diademate, recuperaret, recidit ad eundem, cum arcis Kesmarkiensis possessio, tum *census etiam regius*, ab urbanis eidem solui consuetus. quem ille *Hieronimo Lasky*, \* Palatino Siradiensi, cuius opera,

\*Habeo, amici cuiusdam indulgentia, *Hieronimi Laskii*, diarium itineris

Constantinopolitani, manu sua exaratum, ex quo permultum lucis illorum

opera, in conciliandis Solymani auxiliis vsus fuerat, vna cum castello, et arce Dunauetz, in tanti laboris præmium, donauit. Pacata inde Hungaria, mansit penes hæredes *Laskyanos* arcis Kesmarkiensis possessio, ad annum usque MDLXXI. Tunc enim arcem primum Kesmark, postea vero anno MDLXXV. *Abbatiam* quoque *Csaunik*, ditioni arcis Kesmarkiensis obnoxiam, *Iohanni Ruber*, copiarum *Maximiliani* Imperatoris et Regis, summo in Hungaria præfecto, pignori dedere. Sed *Rubero* damnosa hæc possessio accidit: anno quippe MDLXXVII. arx ipsa penitus conflagrauit, quam ille, infano sumtu restauratam, (initæ enim rationes XLII. millia florenorum fuisse prodiderunt) eodem illo anno, *Stanislao Turzoni*, mutatis ab eo XII. mille florenis, in pignus dedit, atque denuo redemptam anno MDLXXIX. iuncta simul *Abbatia Csaunik*, cum vniuersa arcis Kesmarkiensis ditione, generoso tunc viro, *Sebastiano Tökoly*, acceptis XLVII. florenorum millibus, iure, quod *hypotheccarium* vocamus, permisit.

ronymo Laskyo, donatur.

Fit inde possessio Ruberi.

Turzonis.

Tökölis.

§. IV.

Ista ad arcis quidem historiam pertinent: sed exponenda tamen erant, ut constaret, nihil vnquam iuris in urbem Kesmarkiensem fuisse, arcis possessoribus, præter *regium illum censum*, quem quidem, nullo seruitutis titulo, sed sola regum indulgentia, ciues, in singulos annos, haud grauate soluebant. *Tökoly* postea, tamquam homo nouus, atque opibus, ad multorum inuidiam, adfluens, summorum præterea virorum affinitatibus, puta *Nadasdyorum*, *Bottyániorum*, ex conubio *Sasannæ Dóczy*, innexus, spiritus sibi sumere, deque vniuersa hac ditione, ad hæredes, firmo iure transmittenda, cogitare cœpit. Opportune autem, et e re *Tökoly* accidit, vt, sub idem plane tempus, *Leonhardus Laskyus*, Hieronymi filius, virginem, gentis Italicæ, inter *Reginæ Galliæ* pedisequas agentem, in matrimonium deposceret. Indigebat res illa sumtibus immodicis, quibus præstandis, cum se imparem videret, ad *Tökolyam*, hominem pecuniosum, accurrit, et ab eo, argentum nuptiali suæ expeditioni, suffecturum, mutuo implorat. Facilem se primum *Tökoly* præbuit, sed spem ei factam, non alia postea conditione explere voluit, quam, si acceptis XVIII. florenorum millibus, præter solutam *Rubero* XLII. millium summam, vniuersos illos LX. mille florenos, triennio post, die *S. Georgii* festa, sibi dissolueret, aut, si soluendo non esset, iure hæreditario quod adhuc seruauerant *Laskyani*, cederet penitus, totumque illud in se, atque posteros suos, solemnibus formula, transcriberet. Durum *Laskyo* necessitatis telum! Sed quid ageret miser, nisi spe matrimonii, summo cum dedecore, vellet excidere? igitur in postulata *Tökoly* ingratis consentit: quo audito, *Ruberus*, omnem quidem mouit lapidem, vt irritas redderet condiciones *Tökoly*; sed quod in tabulas iam relatæ erant, iuxta et mutuo consensu, ratæ habitæ, laterem is quidem lauit. Proinde, triennio elapso, cum neque *Laskyus*, quod receperat; sed neque *Ruber*, grande illud æs dissoluere posset, *Tökoly*, iure quod pridem adfectauerat, hæreditario, non arcis modo *Kesmarkiensis*, et vniuersa, quæ ad eam pertinuit, ditionis; sed *Abbatia* quoque *Csaunik*, potitus est. Non quidem res illa controuersia caruit; stetit tamen caussa *Tökoly*, procerum aulæ, quos adfines habebat, fauore adiutus. Nimirum, litteris regis iniungebatur *Rubero*, vt ad præstitutam *S. Georgii* diem, anni MDLXXXII. æs *Tökoly* solueret, aut si id nequirit, pateretur postea, si ex præscripto, mutuæ, cum *Laskyo*, pactionis, ius hæreditatis, *Tökoly* adscriberetur, quod ita quoque euenit: *Tökoly* enim, diploma *regium* anno MDLXXXIII. a *Rudolpho*, accepit, quo ei, pignus illud opimum iure perpetuo, et vniuersæ eius genti, adiudicabatur; sed ea tamen lege, ne in vrbis iura, quoquo modo auderet esse iniurius.

Arcis possessoribus nihil in ciues iuris.

Quomodo Tökoly arce et ditione eius potitus sit?

Aa

§. III.

temporum historia adfundi potest. Titulus Manuscripti hic est: *Actio Ieronyni Laski, apud Turcam, nomine Regis Ioannis.* Incipit autem ad hunc modum: *Die 22. Decemb. ve.*

*ni Constantinopolin, orator ad Turcarum Imperatorem, a Serenissimo Principe Ioanne, Vngaria Rege &c. missus, Anno 1527.*

## §. V.

Tökölionum, aduersus Kesmarkienses, conatus.

Eorum atrocitas frustra ab optimis regibus refranatur.

Componitur lis a Ferdinando III. quibus legibus?

Sed *Tököly*, sui ipsius, et fortunæ, quam tunc in obsequio habebat, oblitus, vrbi, non multo post, imminere cœpit, vt, si fieri posset, eam sibi redderet obnoxiam. Verum, quia recens adhuc erat memoria, impetratæ, a *Tökölyo*, nouæ huius dominationis, vrberem quidem intemeratam sinere tunc cogebatur. Surgente postea seculo XVII. quod laxius iam dominarentur *Tökölîi*, confidentius insultare Kesmarkiensibus occeperunt. Infitæ hinc subnatæ sunt controuersiæ, lites, damna mutua, et cædes. Licet enim FERDINANDVS II. et III. reges optimi, subinde lubidinem illam *Tökölyorum* inhibuerint, interminatione addita, si graues esse perrexerint Kesmarkiensibus: ea tamen re, adeo nihil profecerunt, reges indulgentissimi, vt visi sint *Tökölîi*, non tam ab iniuriis prohiberi, quam ad eas porro inferendas armari: donec fiscus regius intercederet, atque anno MDCXLIII. defensionem vrbi, aduersus iniurias, cum moderamine inculpatae tutelæ, regio nomine, concederet. Verum, ne sic quidem calamitatibus modus aut finis poni potuit: maxime, quod iuribus *Tökölîanis*, *Status* et *Ordines*, in *Dieta* Posoniensi anno MDCXLVII. articulo CXVIII. velificari voluerunt. Tandem vero, FERDINANDVS III. vti erat æqui atque iusti tenacissimus, litem, mutua pactione, quam *Contractum Viennensem*, nuncuparunt, ita diremit, vt ciuitas *Tökölyo*, quinquaginta florenorum millia, totidemque *Excelsæ Camere Aulicæ*, numeraret, quædam ex agro suo, *Tökölyo* cederet, atque demum, nouis iuribus et priuilegiis, a rege donaretur. Sin vero, ditio ista a *Tökölîis*, quocumque iure, ad alios transfiret aliquando, Kesmarkiensibus, quæ sua erant, quæque illi solius studio pacis, *Tökölyo* permiserant, iure postliminii, restituerentur. Istis ergo malis defuncta ciuitas, tamen, maiores, quam pro suis opibus, sumtus debuerit erogare, eos tamen, cum libertate, quam indepta est, collatos, in lucris habuit. Aes illud tam grande, GEORGIVS LIPPAI, Archiepiscopus Strigoniensis, vrbi mutuo dedit, ægre, ob temporum difficultatem, quæ secuta postea est, dissolutum.

## §. VI.

Arce Kesmarkiensi fiscus potitur.

Inde Ruberus Comes.

Denique Kesmarkienses.

Sua ergo iam tum Kesmarkino libertas constabat, magno quidem redempta, sed nouis breui accessionibus, adaugenda. Enim vero cum EMERICVS TÖKÖLY, Stephani filius, nouas res, maximo patriæ, et orbis Christiani, malo, aduersus LEOPOLDVM, Cæsarem Augustum, moliri inciperet; id vero, præter eius opinionem, iniquissime caderet, tota *Tökölîi* ditio, fisco regio adscripta, atque *Comiti Rubero*, permittæ fuit. Infelici hac rerum *Tökölyanarum* conuersione, factum quidem est, vt, quæ sua fuere olim, recuperarent Kesmarkienses, haud tamen iure isthoc postliminii contenti, non prius quieuerunt, quam arcem, et quæ ei connexi erant, i) possessiones, suas facerent. Confecta res tandem fuit, istis legibus: vt *Comiti Ferdinando Rubero* LXXX. millia florenorum rhen. penderent Kesmarkienses, posteaque, arce, iure irreuocabili, potirentur; ditionem autem reliquam, ne quid damni fiscus acciperet, aliis quanto possent, pretio, venderent. Euenit hoc, anno MDCCII. d. 17. Febr. cum arci, iussu *Ruberi* Comitis, præesset, vir P. Gabriel Skaritzza, nunc *Posoniensium* consul grauissimus, qui iis, quas diximus, legibus, arcem magistratui, tradidit. Difficile dictu est, quanta res illa solemnitate peracta fuerit. Conuocati nimirum, tubarum et tympanorum symphoniis, ciues, apud curiam conuenere armati vestitique cultius. Postea more suo, in manipulos diuisi, signa nitidissime facta, castrensi ritu, præferebant. Præcedebat symphonicorum chorus; post hos armatorum manus, mox iudex et senatus, ibat: reliquum ordinem, gregarii ciues, expleuerunt. Hac ergo pompa, ad arcem properabant, vbi eos portis apertis, arcis, quem memorauimus, præfectus, operiebatur. Has, cum subiissent, atque mutuis se accepissent honoris significationibus, præfectus, vt in mandatis habebat, arcem, et quæ cum ea coniunctæ erant, possessiones, opportune quædam

i) Hungari, vicos, ad ditionem aliquam pertinentes, possessionis nomine, insigniunt.

dam †) præfatus, senatui tradidit, hæreditarium, et irrevocabile ius in ††) Kesmarkienses transtulit, eosque legitimos in posterum arcis dominos ac possessores, pronunciauit. Illi vero, clauibus, a præfecto acceptis, et tamquam in triumpho, ad curiam, delatis, ter sclopos, et currulia tormenta, quæ in vrbis prognaculis disposita habebant, festiuo boatu, displodunt. Reliquum diei inter mutuas aggratulationes, conuiuia, et cetera, communis lætitiæ, signa, quemadmodum consuevit, extractum est. Ita Kesmarkienses, non modo in libertatem vindicati sunt penitus; sed hæreditatem etiam consecuti eorum, quorum lubidini, toto fere seculo, expositi fuere. Hic illud Poetæ occinas:

*Fortunam reuerenter habe quicumque repente,  
Diues ab exsili progrediere loco.*

§. VII.

Ceterum, libertatis, quam Kesmarkiensibus FERDINANDVS III. anno \*) MDCLV. die ultima Ianuarii, indulgit, summa huc redit: Ciuibus, iudicis e medio sui eligendi, senatores et magistratus alios, creandi, quin et lites, reales et actuales, dirimendi, liberum esto: Fiscii ciuilibus iura, eadem, quæ apud Leutschouenses, sunt: Publica et priuata ædificia excitare, vrbem latius porrigere, territorii antiquos terminos intemeratos habere, ius esto: Patibula, et omnium generis suppliciorum instrumenta, in agro suo erigere, maleficos capere, in vincula coniicere, iudicare, et pro re nata, condemnare, atque plectere, morte ciuitatum reliquarum, integrum esto: Mercatus hebdomadarios, diebus Luna, Mercurii et Veneris; annuos autem, Dominica Inuocauit; Dominica I. post Trinitatis; die Exaltationis S. Crucis, denique feria S. Lucie Martyris, iisdem iuribus, quibus libera regiarque ciuitates pollent, celebrare, fas esto: Merces varias ponderandi ac mutuo permutandi et deponendi, diligendi, et ponderationis pretium exigendi, ius habento: a vectigalibus regiis, aliisque, per uniuersam Hungariam, et partes ei adnexas liberi sunt: Tribus opificum, intra et extra vrbis mœnia, quin et in oppidis ac vicis, condere, easque priuilegiis donare, integrum esto: in pontibus lapideis, quorum in territorio suo quatuor habent, telonium iure exigunto: et a Comitatu Scepusiensi, pro Libera Regiarque Ciuitate, agnoscitor, quin contra priuilegiorum suorum temeratores, sigillatim XIII. oppidanos, protegitor: Viarum regiarum, quæ Kesmarkinum ducunt, ius habento, et vt mercatores extranei, Leutschouiam, Cassouiam et Eperiesinum proficiscentes, easdem frequentent, prouidentor: Iura denique isthac ad feram posteritatem, publica regum auctoritate, propagantor. Summa hæc sunt priuilegiorum Kesmarkiensium capita, quæ in compendium mittere ideo placuit, vt constet, quibus momentis absolui consueuerint, Liberarum Regiarumque vrbium immunitates.

\*) *Libertatum Kesmarkiensibus, a Ferdinando Adriaticum summa capita.*

§. VIII.

Nunc, vrbem ipsam ingrediamur. Modica eius sunt pomeria, atque mœnibus, vetusti quidem operis, incincta, sed turribus communita frequentioribus. his nomina, ab opificum tribubus, iam olim indiderunt incolæ: moris enim est, vt, si belli immincant pericula, singuli, aut plures opificum ordines, in suis istis

*Vrbis pomeria et munita.*

A a 2

pro-

†) Nempe, clauibus arcis, tamquam traditionis signo, vrbis magistratui, exhibitis,  
*Proximus ( inquit ) accipiat populus  
Kesmarkia iura,  
Queis DEVS et Cesar talia iure  
dedit.*  
Plures enim fuerunt, qui ditioni huic inhiabant.

††) *Statutio*, quam nostri vocant, pura fuit, habuitque consensum regium, quo pactio, cum Camera Aulica, et familia Comitum Ruber, inita, firmabatur. Exempta præterea ab euictione fuit, eadem Ruberiorum familia, quippe quam Camera Aulica in se suscepit.  
\*) Vide huius anni Decretum Artic. LXV.

propugnaculis excubare, ac, si opus sit, urbem defensare, hostesque reuicere, teneantur. Turrium validissima, quae portae superiori imposita est; praeter altitudinem enim eximiam, compagem muri habet solidam, et ita comparatam, ut ferendis tormentorum ictibus, par sit. Comitatus sumtu insigni isthoc propugnaculum, tunc excitatum fuisse perhibent, cum impressionibus Tartarorum patebant omnia. quod si esset, antiquiora urbis nostra primordia forent, quam Leutschouiensium: sed nescio, an eam antiquitatem opus praeferat. Illud in confesso est, fuisse turrim hanc commune ciuium perfugium, Hussitis passim grassantibus, quorum impetum semel iterumque retudit. Nostra hac aetate, armentarium ciuitatis fuisse meminimus, vario telorum genere, probe instructum, sed quod metu *Rakoczi*anorum tumultuum, mature exinaniuerunt, qui eam curam ad se pertinere existimabant. Ipsa urbis moenia, gemino muro constant, quae fossa, verum minus, quam res posceret, profunda, circumdata sunt. Sed nec situs urbi defensandae opportunus satis est. enim vero colles, qui cingunt urbem, *patibularis* potissimum, et *aridus*, quasi a natura facti suggestus sunt, e quibus tormenta in urbem possint exonerari. Cetera amœna sunt omnia. obiecta namque urbis prospectui, praecelsa montium Carpathicorum iuga, perpetuis niuibus obsita, sicuti aërem tabescere non sinunt, ita auram subinde adflant, nullis non etesias praefendam. Accedit *Popradus* amnis, qui non longe ab urbe labitur, et ab oriente quidem *Laibitzensem*, a Septentrione autem *Albulam*, copiosos riuos, accipit. Portae urbis tres sunt, superior illa, quam descripsimus, et inferior, seu *arcensis*, sic dicta, non modo quod sub arcem ducat, sed etiam quod ad eius olim pertinuerit ditionem. Solidi et ipsa operis est, et bene capax, cuius superior pars, seruandis frugibus destinata iam est. Tertia a *pellionibus* nomen accepit, forte, quod suo eam sumtu condiderunt olim, vel quod ad credendum procliuius, quia eis ad defensandum permessa est: sunt enim in ista Hungariae parte, frequentes numero pelliones, quod non vulgus modo, sed nobiliores etiam quique, toto fere anno, ob rigidiorum aërem, veste vtuntur pellicea. Portae minores duae, superiori et inferiori contiguae: illa noctu, si necesse sit, referari consuevit, haec obturata iam pridem est: quin et, quam *pellionum*, diximus, aestiuo tantum tempore, propter operas agrestes, patere consuevit. Sed carceres quoque publici, in his, quae diximus, propugnaculis, existunt. horum alter, in ea turri, quam ab operis mole, crassam dicunt, et quae in quincuncem exaedificata est, reperitur, in profundum depressus, atque delinquentibus atrocius, destinatus. Alter infra pellionum portam est, *turricula* nomine insignitus: in hunc ciues, si quid carcere dignum committant, moris est conuicere.

Situs, ad  
defen-  
sandum  
importu-  
nus.  
Eius  
amœni-  
tas.

Portae  
quot?

Publici  
carceres.

## §. IX.

Urbis  
aedificia.

Aedes  
S. Crucis  
sacra.

Ambitus hic urbis, situsque fuit. Iam, quod ad aedificia, publica et priuata, adinet, haud ea quidem indecora sunt spectatu. Et inter aedes quidem sacras, eminent, operis elegantia et magnitudine, quae *S. Crucis* nomine gaudet, grandi adeo mole substructa, ut cum spatiosissimis Hungariae templis iure conferri possit. Intus, praeter concamerationis insigni artificium, plurium nobilissimarum familiarum cippis et vexillis emortualibus, superbit. In his sunt: *Hieronymi Lasky*, *Lazarri Schrovendy*, et *Stephani Tököly*. Inter praecipua vero aedis huius ornamenta, statua cruci adfixi *Seruatoris* numerari consuevit, quam ita fabrefecit sculptor, ut non modo artuum internodia, sed arteriarum quoque et venarum vestigia, passim per corpus sparfa, ad viuum expresserit. recens demortui hominis corpus, in crucem actum, crederes. Reliqua omnia magnificentiam praeferunt, oppido sumtuosam; si excipias situm, iniquiorem sane, quam pro aede sacra. Templo, turris contigua est, aeneatorum habitaculum, qui horas signo tuba dato, interstinguere, tympana, statis temporibus pulsare, symphoniacos edere concentus, et quod praecipuum, interdium excubias agere, consueuerunt. Maiori huic aedi, vicina est minor, Slauorum genti olim dicata, sed quae iam vix semel iterumque toto anno referari solet. Hic et turris depressior visitur, de qua aera campana suspensa sunt. Vulgi fabula est, substructum ei cellarium esse, thesauris oppletum, sed obferatum veneficarum incantamentis. Non longe praeterea absunt, Scholae publicae aedifi-

Aera  
campana.

ædificium, Xenodochium item, sed extra Cœmeterii ambitum. Est et tertium templum Slavorum, situm in platea arcensi, sed, vti minoris molis, ita minus etiam sumtuosum. *Oratorium Evangelicorum*, ex tignis et reliqua materie lignea, affabre excitatum, extra vrbis mœnia, ad portam superiorem, visitur.

*Templum Slavorum minus. Evangelicorum Oratorium.*

§. X.

Curia in primis ornamento vrbis est, quippe, in medio foro exstructa, ac pro civium copia, ampla satis et capax; sed eo fortassis censuræ Catonis obnoxia, quod adulto more, palæstra quasi quædam sit, in qua cum Hymenæo, Bacchum subinde certare videas, hoc est: celebrari nuptias solemniore, agi sumtuosiora conuiuia, atque saltationes publicas institui. Nisi forte excusationem mos iste habeat, inde quæsitam, sed profecto minus idoneam; quod is, ex veterum instituto, ad posteros manauerit. Curiam turris ornat, priore illa, situ et opere, illustrior. Alioquin vrbis patres tenacissimos semper iustitiæ fuisse, atque salutis civium amantissimos, norunt, quibus instituta vrbis penitus cognita sunt. Testaram fecere hanc suam mentem, prisca illi homines, a quibus æquitatis studia ad posteros sunt propagata. Enim vero, simulacrum iustitiæ in meridionali curiæ latere eleganter pictum, isthac ἐπιγραφῇ profecuti sunt:

*Curia, quare Catonis censura obnoxia?*

*Senatus iustitiæ studiosus.*

*Vos omnes moneo, cauete nostrum  
Numen ledere! sum seuera vindex!*

Et inferne:

*Ancipitem vibrat dextra ensem, leua bilanciæ;  
Ponderat hæc causas; percutit illa reos. &c.*

Quin civium quoque mores, ad honesti decorique leges factos esse meminimus. Leutschouiensium illi religionem, et victus, atque tolerandæ vitæ rationem, sequuntur. Potioribus, in mercatu labor omnis et occupatio, quem vicina Polonia fructuosum aliquando faciebat. Reliqua civium pars, præter opificia, agriculturæ vacat, neque id sine fœnore, quum sit Kesmarkiensium ager frumenti et lini ferax, nisi frigus intercederet. Alioquin, quam sint litterarum studiis apta Kesmarkiensium ingenia, cum multis aliis exemplis constat, tum in primis DAVIDIS FRÖLICHII, celebris quondam Hungariæ Mathematici.

*Civium mores.*

*Ingenia studiis apta.*

§. XI.

Fata vrbis varia erant, et plerumque iniqua. Bello Hussitico, quod temporibus SIGISMUNDI Hungariam corripuerat, direpta, ignique fuit exusta. Enim vero anno MCCCCXXXIII. ipsa die S. Marco festa, vrbem ingressi Bohemi, ædes primum publicas et priuatas expilant, postea ignem tectis subiiciunt, opum iacturam, calamitate illa cumulant. Absumptum hisce flammis erat vrbis tabularium, in quo diplomata omnia, quibus prisca reges libertatem ciuitatis ratam habuerant, damno, numquam reparando, interierunt. Postea cum ELISABETHA, Alberti Austriaci vidua, LVDOVICI postumi iura in Hungariam, Bohemorum auxiliis, atque Giskra ductu, defensaret, nouis subinde malis afflictam fuisse legimus. Præerat ei tunc WLADISLAI k) nomine, Iohannes Perény, qui cum Galearo Polono, Cassouiæ, Giskram obsidere iussus, Nicolao Perény retinendum in obsequio Kesmarkinum reliquerat. at enim, irritus erat conatus vterque: nam et Cassouiam obsidione soluere debebat Perény; neque Kesmarkinum a Bohemorum insultibus tutum interea Nicolao præstare potuit, dum Iohannes ab obsidione rediret. Postea voluntati Regiæ totam se permisit ciuitas nostra, imperioque eius paruit, donec a MATTHIA l) Coruino, Bohemis eriperetur. CROMERVS m) auctor est, anno MCCCCXXXVI. Poloniæ atque Hungariæ proceres, conuentum hic egisse, vt dissidentes vtriusque gentis Re-

*Fata vrbis varia et iniqua.*

Bb

ges,

k) BONFINIVS Decad. III. Lib. V. p. m. 436.

l) Idem Dec. III. Lib. X. p. m. 530.  
m) Rerum Polon. Lib. XXI. p. 459.

ges, pace conciliarent. Nihil postea, ad IOHANNIS vsque Zápolytani tempora, memoratu dignum in vrbe nostra gestum est. Tunc vero conuersionibus, quas illa tempora tulerunt, vix non pessundata fuit. Pulso nimirum IOHANNE, FERDINANDI partes impensius sequebatur. Hic censum regium, vna cum arce, primum Ludouico Pekry, mox n) Francisco Battány, dono dedit, quod is Illyricum, et Croatiam, reuocauerat ad officium; sed ciues, capto Iohanne Sancone, Ragusinae originis, qui nomine Bottány locum tuebatur, Laskyum, cui in legationis Constantinopolitanae praemium, a IOHANNE fuerat oblata, intromiserunt, partes iterum IOHANNIS fecuti. Inde FERDINANDO paruit, donec eodem adhuc anno, hoc est MDXXX. Nicolaus Kotzka, Iohannis sectator, a Ferdinandi obsequio retractam, Laskyo iterum fecit obnoxiam. Inuaerat ille suburbia, tercentis Valachis stipatus, quibus exustis, vrbe, sicuti erant tempora, ex facili potitus est. Postea Laskyus, pecuniae indigus, Nicolao Minkuitsch, exuli germano, et rapto viuenti, pignori eam, dedit, sex millibus florenorum, a publico illo latrone, acceptis, qui arcem et oppidum, toto triennio, opera praefectorum, possedit. Secutis inde annis quinque, a regibus Poloniae tenebatur, praerantque vrbi, lustro illo, Capitaneorum nomine: Varkótes, Poturnienschy, Simonevsky, Zibrydovvsky senior, Lobocskay, Zibrydovvsky iunior, Velibotzky et Stanislaus Harhovvsky. Sed rediit postliminio ad Laskyos, ab his Rubero Comiti, Turzoni postea, denique Tókólyo perpetuo iure facta obnoxia, quod tamen nullo alio, quam census regii titulo, vti supra monuimus, nitebatur.

## §. XII.

Quid ciuilibus bellis passa sit?

Post has conuersiones, ciuilia bella haud parum adfixerunt Kesmarkinum. Namque bello Botskaiano, quod in annum MDCIV. incidit, depulso Dampirio, a Iohanne Dersfy interceptum: a Gabriele Bethlehenio anno MDCXIX. metu obsidionis occupatum: a Georgio Rakotzio anno MDXLIV. obsidione domatum: anno MDCLXXII. a ducibus Tókólyanis, Stephano Petróczy, Paulo Szepesi, Matthia Suhaj, et Gabriele Kende, in verba rebellium iurare iussum: ac denique anno MDCCIII. die 2. Octob. a Francisco Rákotzy in partes suas pertractum, atque toties postea ad legitimi obsequium regis, reuocatum fuit. Longum foret enumerare incendiolorum, quae passa est, calamitates. Nempe anno MDLXXVI. die 15. et 21. Mai, gemino incendio, fere ad incitas redacta; quod quidem infortunium, cum saepe redibat, tum nostra potissimum aetate, anno MDCCXX. et MDCCXXI. luctuosum Kesmarkiensibus exstitit, praecipua iterum iterumque vrbis parte, miserandum in modum, exusta. Faxit DEVS O. M. vt quemadmodum sunt vrbis, tot exhaustae malis, insignia, ita in posterum res eius ac fortunae se habeant.

Vrbis insignia.

En Civitatis ista sunt KAISMARCIAE,  
 Regale donum, INSIGNIA.  
 Scuti profunditas aperte triplices  
 Ductus coloris candidi  
 Ostendit: hos super decenter occupat  
 Campum rubentis flos rosae:  
 Quem rite transuersum locati muniunt  
 Enses acuto cuspide:  
 Hos inter aureis Corona fasciis  
 Addit probe coronidem.  
 Scutum sed ipsum sustinendo fortiter  
 Adstans tuetur Angelus.

SECTIO

SECTIO II.

De

Arcibus et Castellis Comitatus Scepusiensis.

**H**abet Terra Scepusiensis, complures, easque situ et arte validissimas arces, castella item et secessus nobilium familiarum. Igitur primo loco arces, postea castella, recensibimus.

I.

Arx Scepusiensis.

Synopsis.

*Arcis nomen; situs; diuisio: munimenta: adificia: amœnitas: aqua copia. §. I.*  
*Origo eius refertur ad Carpos, aut Gepidas: aniles vulgi fabella. §. II.*  
*Sub primis Hungariae regibus munita fuit: Tartaris inaccessa: CAROLI ROBERTI perfugium: a Giskra capitur et munitur: recuperatur a Iohanne Coruino: in manus hostium recidit: reditque tandem ad Zopolytanos. §. III.*

*Natalibus IOHANNIS Regis clara: fata arcis sub Iohanne: Turzones, post hos Andr. Báthory, denique Comites Cláky, arce potiuntur: capitur a Rákóczianis: cui iam pareat? §. IV.*  
*Capitulum Scepusiacum: monumentum Stephani de Zápolya. §. V.*  
*Fons lapidescens, non longe a Capitulo: eius indoles, ex VERNHERO descripta. §. VI.*

§. I.

**A**RX SCEPVSIENSIS, Hungaris olim *Scepus*, nunc *Szepes Vár*; Germanis, *Zipser Haus*; Slavis *Spisky Zámek*, dicta, quam toti Comitatu nomen dedisse supra monuimus. Imposita est arduæ rupi, eique, qua ad orientem, septentrionem atque occidentem vergit, præruptæ admodum et inaccessæ: sed qua meridiem prospicit, facilioris aditus. Obiectum hinc cliuum habet, qui cum ad oppugnandum peropportunos esset, cuniculis nihilominus ac fossis agentibus, incommodum fecit natura, partim, quod saxeus totus est, partim, quod arcis obtutui, prorsus pateat. Arx ipsa, in geminam molem dispescitur, editiorem alteram, alteram vero depressiorem; quarum illa, ad septentrionem adtollicitur, ista in meridiem declinat: utrobique natura et arte validissima, nisi vetusti operis muri, ruinas minarentur, secuturam aliquando, ni substruantur maturius. Interiora arcis ad magnificentiam olim facta fuere, sed quam tempus edax rerum, nimium quantum imminuit. Habitari tamen laxè, iuxta et commodissime, potest, a familiis etiam copiosioribus. Accedit, mira situs amœnitas. quia enim editiore loco posita est, prospectum habet latissime patentem, despicitque, circumpositos passim montes decliuiores, siluas, nemora, campos, agros, oppida, vicosque. Illud ad opportunitatem arcis pertinere credunt, rei militaris, et defendendorum propugnaculorum periti; quod intercepta licet arce depressiore, altior tamen illa, tueri sese, atque non remorari tantum, sed si ea virtute sint præsidarii, reiicere etiam hostem possit. Vtrique arci, aquæ suppetit affatim: illic enim pluuiæ, per tubos, in contactam cisternam, studiose colliguntur, hic puteus est, altissime depressus, atque perennis.

*Arcis nomen.*

*Situs.*

*Munimenta.*

*Aedificia.*

*Amœnitas.*

*Aquæ copia.*

§. II.

Primos arcis natales vestiganti, nihil fere, quod dubietate careat, occurrit. E quidem, ad *Carpos*, antiquissimos *Terra Scepusiensis* inquilinos, primordia eius referre nihil dubitauerim: quia erat populis istis in more positum, munimenta huiusmodi, ad *Carpos*, tametsi

aut Gepidas.

Aniles vulgi fabella.

Sub primis Hungariarum regionibus munita iam fuit. Tartaris inaccessa. Caroli Roberti perfugium. a Giskra capitur et munitur.

Recuperatur a Iohanne Coruino. In manus hostium recidit: reditque tandem

ad Zápolytános. Natalibus Iohannis regis clara.

Fata arcis sub Iohanne.

Turzones, post hos Andr. Báthory, denique

tametsi opere minus solido, iis locis excitare, quibus sedem fixerunt. Neque tamen reluctabor, si quis *Gepidis*, hanc, conditæ arcis, laudem, adscripserit, ut sit *FRŌLICHIO* monente, *Gepusia*, siue *Scepusia*. Profecto enim altius reponenda sunt arcis exordia, quam ut, siue ab *Hunnis*, siue horum posteris, *Hungaris*, aut *Saxonibus* inquilinis, conditam credamus. Sunt, qui existiment, primitus in altissimis petris, quæ ad meridiem spectant, et speciem quasi urbis præferunt, ædificari cœptam fuisse; verum inauspicato: eo, quod diurnum opus, nocturnis spectrorum insultibus, disiectum subinde fuerit. quæ res permouerit conditores, ut ab opere desisterent, atque eo loco, arcem excitarent, quo iam sitam videmus. Sed fabella vulgi est, quam id pluribus huiusmodi ædificiis, nescio, qua fingendi libidine, adspersit. Hoc in confesso est, obseruari inter eas rupes, validissimi cuiusdam muri exstantia rudera, sed an arcis ea sint vestigia, illic ædificari cœptæ, an vero propugnaculi cuiusdam, nostro antiquiores, reliquias, sicuti negare nolim, ita dicere non habeo.

### §. III.

Certum est autem, iam tum primorum Hungariæ regum temporibus ita munitam arcem nostram fuisse, ut hostium insultus reiicere potuerit. Sane, ea tempestate, qua Tartari regionem late populabantur, inuictam permansisse, *BONBARDI* a) auctor est. Ego, primam eius apud scriptores b) rerum Hungaricarum mentionem reperio, *CAROLI Roberti* temporibus, hoc est, ad annum *MCCCXII.* cum is expeditionem aduersus *Matthæum Trentsinensem* suscepisset. Enim vero, obsesso castro *Sáros*, c) cui *Matthæus*, *Demetrium*, cum præsidio, imposuerat, rex hostibus impar, *Scepusium* se recepisse perhibetur, ubi ab oppidanis, copiis auctus auxiliaribus, ita confirmatus est, ut cruento licet prælio, vicerit tamen *Matthæum*. Erat ergo ea iam ætate perfugium optimi regis, arx *Scepusiensium*. Postea, cum auspiciis *Elisabethæ*, suaque libidine, *Giskra* Bohemus, Hungariam superiorem, bello dispungeret, diu hostium impetum repressit. Ad vltimum tamen, pertinaci hoste admisso, nouis ab eo munita fuit operibus, virtute *Iohannis Coruini* d) postmodum expugnata. Sed quod *Coruinus* inuidia superioris Hungariæ procerum laborabat, in eadem hostium manus recidit e) *Scepusium*, nouo iterum expugnationis labore a *MATTHIA* rege, *Iohannis* filio, domandum. *Giskra* tandem, officium ut faceret, adacto, suis arx *Scepusiensis Comitibus* paruit: inter quos, gens potissimum *Zápolytanorum*, ante hos autem *Comites de Scepus*, emicuerunt.

### §. IV.

Post has vicissitudines, ad *IOHANNIS* vsque Regis tempora, qui f) natales suos arci *Scepusiensi* debet, intemerata mansit. Nisi forte ad dignitatem arcis illud relatum velis, quod a *Stephano de Zápolya*, *IOHANNIS* patre, *WLADISLAVS* rex, lautissime hic acceptus fuit, cum *Leutschouiam* proficisceretur. Sed sub *IOHANNES* fortunam subiit variam. Enim vero, eo semel iterumque profligato, atque pulso in *Poloniam*, anno *MDXXVIII.* armis *Cociani*, g) obsidione vix tentata, intercipitur, restituta h) *IOHANNI*, ex pacis, *Vaciæ*, anno *MDXXXIX.* initæ, conditionibus. Inde, nunc in potestate viduæ *Iohannis*, *Isabellæ*, et filii *Iohannis Sigismundi*, *Principis Transilvaniæ*, fuit; nunc *Cæsareanum* militem admisit. Sed *Iohanne Sigismundo*, *Transilvania Principe*, anno *MDLXXI.* postridie iduum Martii, sine prole decedente, recidit ad fiscum regium, obtigitque *Turzonum* genti, iam tum apud *Scepusios*, opibus, et dignitate *Supremi Comitibus*, conspicuæ: quæ et ipsa, cum in *Michaele Turzone*, defecisset, in *Andræ Báthory*; et post hunc, *Illustrissima antiquissimaque Comitum CSAKY de Keresztseg*, fami-

a) Vide, *Topograph. Magni Regni Hung.* p. 156.

b) *THVROCZ*, cap. XC. p. 84. et *BONFINIVS* Dec. II. Lib. IX. p. 317.

c) Legendum credo, *Sáros*, apud *Thuroczium*, loco citato.

d) *BONFINIVS* Dec. III. Lib. VII. p. m. 478.

e) *BONFINIVS* Decad. III. Lib. X. p. m. 524. 44. et p. 530. 7.

f) Superest adhuc eius rei indicium, lectulus, in quo mater *Hedwigis*, *Iohannem* enixa est; cum cura is adseruari monstrarique solet, videndæ arcis causâ huc accedentibus.

g) *ISTVÁNFIVS* Lib. IX. p. m. 146. 46.

h) *Idem* Lib. XII. p. m. 206. 8.

familiæ potestatem, iure hæreditario, concessit. Memoratu in primis digna est, arcis nostræ, obsidio, quam tumultu *Botskaiano*, anno MDCIV. fortissime toleravit, *Barbiano* et *Christophoro Turzone*, eandem, aduersus pertinaces *Blasii*, *Lippai*, hominis, factionis *Botskaianæ*, insultus, defendentibus. Bellis, quæ postea secuta sunt, ciuilibus, varia subire fata cogebatur. Anno certe MDCCII. *Francisco Rákótzio*, victas manus dedit, post septennii captiuitatem, anno MDCCX. d. 13. Iulii ductu *Comitis Hartleben*, recuperata. Paret hodie *Illustrissimo Excellentissimoque Domino SIGISMUNDO CSAKY de Keresztzeg, Tauernicorum Regalium Magistro, et Terra Scepusiensis supremo perpetuoque Comiti.* Feliciter!

Comites  
Csaky  
arce po-  
tiuntur.  
Capitur  
a Rakoc-  
zianis.  
Cui iam  
pareat.

§. V.

Arci, ad occidentum solem, oppidum subsitum est, Hungaris *Várallja*, hoc est: *arcis infima*, dictum, suoque loco expediendum. Proxime versus eandem plagam, *Capitulum* abest, *Ecclesie collegiatae S. Martini de Scepus*, colli, haud inamœno, insidens, et vrbiculæ quasi cuiusdam præferens speciem: nam et muro, humiliori licet, circumdatum, et inædificatis ædibus aliquot, decorum est, inter quas eminet *Præpositi* sedes, septentrionali, ædis sacræ, lateri, adposita, iuxta et *residentia* P.P. Societatis IESV. Templum ipsum, *D. Martino* sacrum, antiquitate potius, atque emortualibus monumentis, quam amplitudine, celebratur. In his sumtuosissimum est *Stephani de Zápolya Palatini Regni Hungariae*, quod is sibi viuus statuerat, atque postea, cum ei anno MCCCCLXXXIX. illatus fuisset, vxor sua, *Hedvvigis, Dux Tepritiensis*, eademque *Iohannis* regis mater, relictibus, qui ei sustentando sufficerent, liberaliter cumu- lauerat. Visitur id in *facello S. CHRISTI corpori* dicato, quod occidentali ædis lateri coniunctum, a reliqua templi parte, ferreis crateribus, discriminatur. Opus, si quod aliud, affabre factum: tanta enim lapides accuratione coagmentati, inque turriculas et parietes sunt fastigiati, vt vix interlitam calcem notare queas. Ceterum monimen- to ipsi versus sequentes incisi leguntur:

Capitu-  
lum Sce-  
pusiacum.

Ad dextrum latus:

Contegitur Stephanus Comes hac Scepusius urna,  
Qui decus ob patriam mille trophæa tulit.  
Qui de stirpe fuit regali coniuge dignus,  
Dignus regnicolis et Palatinus erat:  
Vna salus regni fuerat tutela decusque,  
Virtutis cuius fama perennis erit.

VIII. Kalend. Ian.

Ad sinistrum latus:

Qui duxit sine honore suos inglorius annos;  
Ille sibi mortem sentiat esse grauem.  
Ast ego, qui fastos impleui ingentibus actis,  
Quiue Palatineo culmine clarus eram;  
Letus eo, quo fas animas virtute superbas  
Scandere, magnanimos, quo decet ire viros.  
Nam licet hic Stephani iaceat sub marmore virtus,  
Attamen Hungarico clara sub axe viget.

MCCCCLXXXIX.

## §. VI.

Fons lapidefcens non longe a capitulo. Eius indoles ex Vernbero descripta.

Non longe a sacra isthac vrbicula, fons est, aquis lapidescentibus, celebris, quem, quia, sicuti est, VERNHERVS descripsit, eius verbis vtemur. Ita vero ille, cum Terræ Scepusiensis fontes, naturæ consimilis, meminisset: *Alter ceteris insignior, prope arcem Scepusiensem ad adem Diui Martini, quæ sacrarum adium in Scepusio princeps est. Hic scaturit, vel erumpit potius, aqua, bullienti similis, cum magno intus murmurere, et strepitu, qui admota aure, non sine admiratione auditur. Erumpit autem non foras tantum, et sub dium, sed etiam meatus sub terra quarit, et quacunque vadit, lapis fit; quamquam, qui subterranei sunt, eius generis lapides, pluuis aquis irrigata humo, et eo madore diutius manente, dissoluuntur. Solent autem accole, his, sic dissolutis, et effossis, ad opera cementaria, vice calcis vti. Qui vero sub dio nascuntur, ipsissimi sunt lapides, topi dicti, leuitate et raritate, non dissimiles pumicibus. Et quia verisimile est, iis aliquid glutinis inesse, qui in propinquo adificant, libenter his ad muros faciendos vtuntur, eoque quidam illic dictitant, se domos ex aqua factas, inhabitare. Hæc ille, et ex vero quidem. Lapis ita coalitus, niueo est colore, hinc et collis ille, qui istas aquas fundit, e longinquo spectantibus, tamquam niuibus obsitus, apparet. Plures eiusdem indolis fontes, alibi dabimus.*

## II.

## Arx Kesmarkiensis.

## Synopsis.

Arcis ortus: vulgi de ea opinio: Bonbardi, et Frölichii sententia. §. I.

Auctoris coniectatio: ex eorum indole temporum firmatur: quomodo post primam originem creuerit. §. II.

Arcis munimenta: sacellum: palatia: ambitus: stabula. §. III.

A Kesmarkiensibus emta et desolata. §. IV.

## §. I.

Arcis ortus.

Vulgi de ea opinio.

SECUNDO loco, ARX KE'SMA'RK, nominari meretur. Historiam eius, cum vrbis descriptione, coniunximus, nunc de origine, incrementis et occasu, quædam adferamus. Et prima quidem arcis exordia incerta sunt, neque satis explorata. Ferunt autem, priscos vrbis magistratus, annum circiter MCCCXLVIII. testandæ religionis causâ, sacellum, *Diuæ Elisabethæ* sacrum, ante portam, quæ tunc *Polonica* dicebatur, nunc vero *arcensis* audit, excitauisse, quod demum religioso cuidam ordini, faciendorum sacrorum causâ, creditum sit, iure *patronatus*, quod vocant, indultu regum, BELÆ et LVDOVICI, sibi seruato. Tenuere illi sacellum isthoc diu satis, quodque ad habitandum commodum videretur, ob vicinissimam vrbem, sedem heic loci fixerunt, haud facile deserendam. Orto deinde inter corriuales regni, *Ferdinandum* et *Iohannem de Zápolya*, belli ciuilibus incendio, nescio, cuius criminis eosdem illos homines religiosos insimulatos, bonis exutos, ad vltimum sede hac, quin regno vniuerso, pulsos esse; sacellum, interim cum cœnobio, rege *Iohanne*, sibi seruante, quod ille postea ad arcis formam, turribus muniuerit, ornaueritque ædificiis. Hæc vulgo de arcis primordiis narrari consueuerunt, oppido dubia, si non plane illorum temporum historiarum contraria. Neque enim video, quomodo fieri potuerit, vt tam subito regno pelleretur ordo religiosus, atque is opulentus, et vicorum diues. Vt taceam, illius ætatis scriptores, nec quidquam ea de re memoria prodidisse. Si vera essent, quæ de excitato a magistratu sacello ita referuntur, crederem equidem, *Templariorum* ordinis idem fuisse. Atque hi non ætate *Zápolyiorum*, sed longe ante, hoc est anno 1307. seq. mutua summi pontificis et regum Christianorum consensione e medio sublatis sunt. Tum vero procliuè erat, non cœnobium modo eorum, sed possessiones etiam

etiam reliquas, in profanos vsus conuerti. Cl. BONBARDI, cœnobium sacrarum virginum fuisse existimat, quod demum labentibus annis, in arcem transiuerit. Et habet sane consentientem DAVIDEM FRÖLICHIVM, i) qui ætatem eius ad Annum MCXC. refert. Sed quia in vrbis tabulario, nullum huius rei vestigium reperitur, haud equidem video, quid siue negem, siue adfirmem.

Bonbardi  
Frölichii  
sententia.

## §. II.

Si coniecturis sit locus, Hussitarum bello, quum atrocissimus hostis, impune passim grassaretur, collem hunc muniri cœptum fuisse, crediderim, vt quemadmodum, porta vrbis superior, turri, ita inferior, siue polonica, arce præmuniretur: siue id demum ciuium (ædes enim eo loco habebant olim, vbi iam arx cernitur); siue, quod procliuius est ad coniiendum, eius sumtu factum sit, cui regius ille census, quem ciuitas quotannis pendere consuevit, a rege fuit adtributus. Quod, vt credam, indoles illorum temporum suadet. Enim vero, fuit hoc in more positum, prisca illis temporibus, vt si arcem aliquam excitare inciperet nonnemo, quæ tutum, belli temporibus, per fugium posset præbere agros colentibus, operas illi certatim conferrent, eaque ratione, coadunatis viribus, commune eiusmodi receptaculum, opinione celerius, excitarent. Atque hæc plerarumque omnium arcium, passim, præruptis montibus inædificatarum, origo est in Hungaria. Postquam vero ditionis Zápolyiorum esse cœpit arx nostra, nouis subinde operibus atque habitationibus laxioribus, exculsa fuit: donec per Laskyi, Pekryi, Bottányi, Ruberi, Turzonis, atque iterum Laskyi manus, Tökölyorum familiæ traderetur. Hi namque, vt erant pecuniosi, nihil in excolenda arce fecerunt residui: quinimmo regali profus exultam magnificentia, regio fisco, reliquerunt.

Auctoris  
coniecta-  
tio:

Ex eo-  
rum in-  
dole tem-  
porum  
firma-  
tur.

Quomo-  
do post  
primam  
originem  
creuerit.

## §. III.

Est vero arx ipsa gemino muro, circumdata, quem validissimæ turres quinque, laterculis intectæ, ornant et præmuniunt. Circum mœnia, fossam, bene altam, egerant, primi eius conditores. Aditur vna admodum porta, mœnibus Kesmarkiensium inædificata, quæ adhuc Tökölyorum et Turzonum insignia præfert, scitissime marmori incisa: habuit enim Stephanus Tököly, arcis ille instaurator, Catharinam, Georgii Turzonis filiam, in matrimonio. Area arcis ampla satis est, et eleganter facta, in cuius septentrionali latere, sacellum visitur, oppido sumtuosum, atque regum Hungariæ simulacris, e lapide factis, ornatum. Turricula, ei imposita, laminis æris cyprii vestita fuit, sed quas vrbis magistratus, detraxit. Intus magna sunt omnia, et multo marmore, atque sculpturis elegantissimis, distincta. Crypta emortualis, quam sacello substruxerat Tököly, nescio, an ossa habeat alterutrius, ex familia sua. Latus aræ dextrum, longo ordine palatia habet, et cænacula, sicuti ampla, ita picturis et incrustationibus affabre factis, insignia, vt, si vsus ita tulisset, reges hospitio potuisset accipere. Arci olim, viridaria, piscinæ atque viuaria circumposita erant. Verbo, tam magna fuere omnia, vt equorum etiam stabula, quæ intra vrbis mœnia erant, elegantissimis concamerationibus, columnis, quin aqualibus etiam, ex vario, ac fusco in primis marmore factis, superbierint.

Arcis  
muni-  
menta.

Sacel-  
lum.

Palatia.

Ambi-  
tus.

Stabula.

## §. IV.

Ita comparata fuit arx, cum a Tökölyis, possideretur; posteaquam vero in Kesmarkiensium potestatem, concessisset, id quod anno MDCCII. d. 17. Februarii euenisse, commemorauimus, florem pristinum, iniquiore fato, amisit. Quia enim ea lege Ruberus Comes eandem vendidit, vt sola arx Kesmarkiensium esset, vici, et reliqua ditionis pars, venderetur aliis; ne fisci iura, quæ is in deficientium familiarum possessiones habet, damni quidpiam caperent: id dedere operam ciues, vt arcem, tamquam iniuriarum, quas a Tökölyis passi sunt, officinam, pederentim, splendore omni exuerent. Detracta ergo ei sunt ornamenta pene omnia, effectumque breui est, vt

A Kes-  
marki-  
ensibus  
empta et  
desolata.

i) In Iudicio Astrologico Physico ad annum MDCXXXIII.

splendidissima olim arx, ruinis iam fœda sit, neque, nisi triste quoddam pristini decoris monumentum ostendet.

## III.

## Arces DVNAVETZ, LVBLYO, PODOLINVM.

## Synopsis.

*Arcis DVNAVETZ situs: aedificii vetustas: olim Zápolytanorum ditio: postea Lasky: nunc Ioanelliorum: expugnatur a Tökölyo. §. I.* *tus eius opportunus: incendio fœdatur: eius fata. §. II.* *PODOLINVM, oppido cognomini adsitum. §. III.*

*LVBLYÓVIA castrum ditionis Polonica: §.*

## §. I.

*Arcis Dunauetz situs.*

*Aedificii vetustas.*

*Olim Zápolitanorum ditio: postea Lasky.*

*Nunc Ioanelliorum expugnatur a Tökölyo.*

*Lublyovia castrum ditionis Polonica.*

*Situs eius opportunus.*

*Incendio fœdatur: eius fata.*

*Podolinum oppido cognomini adsitum.*

**N**unc Arcem DVNAVETZ videamus. Accepit ea nomen a præterlabente fluuio k) *Dunauetz*, præruptæ celsæque rupi imposita, hinc quidem inaccessible, illinc leniter accliu fastigio aditur. Speculam crederes, quam deliberato hic excitauerunt præsi illi homines, vt haberent, si vsus ita ferret, vnde in hosticum prospectarent. Certe genus ipsum ædificii, omnimodam præfert antiquitatem, passim in ruinam pronum. Oppositam habet trans flumen Polonicae ditionis arcem, gentili nomine *Schorstin*, germanice *Schorstein*, dictam. Inter vtramque discrimen iactus globi tormentarii interest, vt si hostili sint animo vtriusque regionis incolæ, mutuis tormentorum ictibus, infestare semet inuicem possint. Alioquin idem istud castrum, dissoluendo illi æri, quod SIGISMVNDVS, a WLADISLAW Poloniarum rege, contraxerat, destinatum esse lego in formula pactionis, qua suam, et successorum fidem, obstrixerat SIGISMVNDVS. Olim ditionis erat *Comitum de Zápolya*, a IOHANNE demum rege l) *Hieronymo Lasky*, vna cum arce sua *Kesmark*, perenni iure tradita. Varios inde, pro ingenio temporum illorum, possessores habuit. nunc familiae *Baronum Ioanelli* patet. Anno MDCLXXXVII. *Tököly*, subita et arci pressam obsidione, in potestatem suam redegerat, capto in ea *Barone Syluestro Ioannelli*, summo tunc rei metallicæ in Hungaria, præfecto; sed quem breui post, vbi lytrum soluisset, Cæsaris partes sequi permisit.

## §. II.

*Lublouia*, Hungaris *LVBLYÓ*, Germanis *Lüblau*, Slauis *Luborvna*, castrum ditionis Polonicae, tribus in Septentrionem milliaribus, *Kesmarkino* disiunctum. A temporibus SIGISMVNDI Regis, hoc est, anno MCCCCXII. Poloniorum Dominationi subiecta est: tunc enim præsens *Lublouia* SIGISMVNDVS, inita cum WLADISLAW Jagellone, pace, tredecim ei oppida, pignori dedit. præbet sedem summo tredecim oppidorum magistratui, quem *Capitaneum* vocant. Opportuno et ipsa situ gaudet, monti enim, quem *Popradus* alluit, superædificata, amœnum quaquaversum, et in primis in subiectum oppidum, prospectum habet. Anno MDLIII. coorto inopinate incendio, exusta fuit, necato simul feralibus flammis, arcis, et totius ditionis Polonicae præfecto, *Stephano Bálinémeth*. Obsidiones complures, varia, vti fit, fortuna, sustinuit, Hussitico potissimum bello, quod regionem hanc maxime adflixerat. Sed aduersus *Giskra* m) tumultus, firmantibus eam præsidio Polonis, intemerata perstitit, quin secutis etiam bellis ciuilibus, permansit in potestate Polonorum.

## §. III.

Sed neque PODOLINVM, silentio prætereundum est. Dicitur Germanis *Pudlein*, Slauis *Podolinetz*. Arx mediocris, oppido cognomini, adsitæ, eandem subinde cum *Lublyouiensi* castro, fortunam legitur subiisse.

IV. Ca-

k) Notandus est hic error ISTVANFII Lib. X. p. m. 153. 3. qui eam *Poprado* flumini apponit. Eundem errorem, tuum fecit *Andreas Stiibelius* in Hungaria.

l) ISTVANFIVS loco citato.

m) Vide BONFINIVM Dec. III. Lib. V. p. m. 457. 45.

## IV.

## Castella Terræ Scepusiensis.

## Synopsis.

*Batisfaluenſe.* §. I.  
*Nehrenſe.* §. II.  
*Toportzenſe.* §. III.

*Landokiennſe.* §. IV.  
*Fridman.* §. V.  
*Reliqua.* §. VI.

## §. I.

**V**ltimum est, ut CASTELLA Nobilium, quæ illi habitant, percenseamus. In-*Batis-*  
 ter prima, sine contouersia *Batisfaluenſe* illud connumerandum est, amœna *faluenſe.*  
 uetustissimæ \* *Mariaſiorum* familiæ sedes; in aperta enim planitie positum,  
 non modo latissime prospicit; sed agrum quoque habet cultum et fertilem.  
 Ita uero factum est, ut grassantem hostem reicere possit, si adsint, qui muros tueantur.  
 Ciuilibus certe bellis, quod terminis *Comitatus Liptouiensis*, propius adiacet,  
 praesidio firmatum subinde fuisse, meminimus.

## §. II.

*Nehrenſe* hinc, siue *Straskajense*, nominasse iuuat, infra *Kesmarkinum*, in sinistra, *Nehren-*  
 eaque eleuatiore *Popradi* ripa, non ineleganti opere, excitatum. Domus sane ampla et  
 castrum amula, hortis partim, partim iucundo et pascuo nemore, circumſita. Est ditionis  
 inclutæ gentis *Horuath Stansithiorum de Gradecz*. Scholas hic aliquando aperiri curaue-  
 rat, *ſpectabilis et magnificus Baro GEORGIUS STANSITH de Gradecz*, sumtu, quam  
 credi possit, liberaliore: præter bibliothecam enim, quam instruxerat, viros ex Ger-  
 mania adſciuerat, ad docendum idoneos, quos ille non ſecus, quam ueterinos suos,  
 atque in his *magistrum Albertum Grauerum*, in primis deperiebat, fouebatque.

## §. III.

*Toportzenſe* castellum, opportuna *Görgeyorum* habitatio, hinc quidem amœnissi-*Toport-*  
 mis agris et pratis, illinc uero montibus et siluis incinctum. *zenſe.*

## §. IV.

Est et sub Carpathi radicibus *Lufinskyorum* sedes, *Landok*, commoda sane ad *Lando-*  
 habitandum domus, sed quam, annis superioribus, propter ortam de pascuis litem, *kense.*  
 abactaque ideo armenta, *Belenses* oppidani, male foedauerant.

## §. V.

In ipsis Hungariæ Terminis, qua eam *Dunauetz* fluuius a Polonia discriminat, *Frid-*  
 castellum *Fridman*, sedet, *Comitum Barkótzzy* possessio, quam montes contigui, et iux-  
 ta defluens amnis, elegantem, et habitatu haud iniucundam faciunt. *man.*

## §. VI.

Longum foret enumerare cetera, puta *Cſannikense*, *Bethlehenſe*, *Markus-* *Reliqua.*  
*ſaluense*, *Pörgexiense*, et alia plura. Habent enim hoc sibi proprium Scepusienses  
 nobiles, ut lubenter commode habitent, neque in ædibus excitandi, sumtibus faci-  
 le parcant.

\* Hodie, a familia *Spilenbergiana*, iure, quod hypothecarium uocant, possidentur.

## SECTIO III.

De

## Tredecim, ditionis Polonicæ, Oppidis.

## Synopsis.

- Quando, a quo, et cui sint pignori data: Pogradum. §. IX.  
 pactionis super ea re, formula. §. I. Michaelis Villa. §. X.  
 Non Comitatus, sed tredecim oppida pignori Iglouia: ciuium studia: agri, metalla, musi-  
 dantur: publica de iis redimendis, sancti- ca. §. XI.  
 ones. §. II. Ruzskonótz. §. XII.  
 Lublyó: editum heic loci prodigium. §. III. Olafzyum. §. XIII.  
 Podolinum. §. IV. Fülcka. §. XIV.  
 Gnafna. §. V. Szepes Várallja: eius opportunitas. §. XV.  
 Tredecim oppidorum primum est, Bela: ci- Matthæi Villa. §. XVI.  
 uium hebetior indoles: humus incendio Mons S. Georgii. §. XVII.  
 correpta. §. VI. Durandi Villa. §. XVIII.  
 Laibitzium: eius decrementum. §. VII. Oppidanorum natio, religio, occupationes: re-  
 Menhardi Villa. §. VIII. giminis forma. §. XIX.

## §. I.

Quan-  
do? a quo?  
et cui?  
sint pi-  
gnori  
data.

**T**RREDECIM OPPIDA iam succedant, WLADISLAW Iagelloni, regi Polo-  
 niarum, a SIGISMUNDO, pignori data. Scriptores constanter produunt,  
 euenisse id Anno MCCCCXIII. sed reuera pactionis mutua formula, anno  
 proxime antegresso, id accidisse testatur, quam exhibuisse iuuabit, ut scri-  
 ptorum a) Polonicorum error refellatur, Terram Scepusensem omnem, pignore  
 illo comprehendi, perhibentium. Ita vero exemplar, passim apud nostros ob-  
 uium, habet:

„NOS SIGISMUNDVS, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hunga-  
 rorum REX. Recognoscimus tenore presentium, quibus expedit, vniuersis, ra-  
 tione veri mutui, Nos a Serenissimo Principe Wladislaw Rege Poloniae, eiusque  
 Praelatis et Baronibus, XXXVII. millia b) sexagenorum latorum grossorum, noua mo-  
 neta, numeri Bohemicalis, boni et iusti ponderis, habuisse et cum effectu recepisse.  
 „Quem quidem Dominum Wladislaw regem Poloniae, Successores, Praelatos et  
 „Barones ipsius, in restitutionem earundem pecuniarum, assecuratam cupientes, et  
 „prout iustum est, in solutionem ipsum reddere certiore, sibi et eius successoribus,  
 „Praelatis et Baronibus, terras vel castrum nostrum Liblo, alias Lublyan, cum op-  
 „pido, et oppidum Podolonitz cum fortalicio ac villis ad ea spectantibus, vna cum  
 „oppidis et ciuitatibus infra scriptis, in terra nostra Scepusiensi, Strigoniensis Dico-  
 „ceseos situatis, videlicet: Gnyzna, Bela, Laibitz, Menhardzdorff, Teutschendorff,  
 „Michelsdorff, Neudorff, Ristdorff, Vahlendorff, Fülka, Kirchdorff, Mattisdorff, Geor-  
 „genberg, Duransdorff nuncupatis, cum earum omnium appertinentiis, censibus,  
 „fructibus, redditibus, prouentibus, iurisdictionibus, temporalibus possessionibus,  
 „agris, pratis, lignis, campis, siluis, nemoribus, mellificiis, piscaturis, piscinis,  
 „virgultis, lacubus, paludibus, aquis et aquarum decursibus, molendinis, aucupa-  
 „tionibus, venationibus, exactionibus ordinariis, obuentionibus, adinentiis et ap-  
 „pertinentiis vniuersis, quibuscunque nominibus nuncupentur ac vocitentur, nihil  
 „possessionis aut utilitatis pro nobis et successoribus nostris in eisdem reseruantes,  
 obli-

a) Vide KROMERVM Hist. Polon. Lib. XIII.  
 b) Vna Sexagena, facit latus grossos  
 sexaginta octo; Latus grossus vnus,  
 denarios quatuor, apud Silesios  
 vero Babkas septem. Igitur, si latus

grossos, per nummos quatuor, sub-  
 duxeris, soluendi erunt floreni 88800.  
 sin vero per denarios tres et dimi-  
 dium computaueris, floreni 77700.

obligamus tenore præsentium, voluntate Prælatorum et Baronum nostrorum ad hoc specialiter accedentium. Itaque omnibus utilitatibus et prouentibus hic descriptis, sine alicuius vsuræ scrupulo, id Dominus *Wladislaus* rex Poloniæ, et Successores, uti frui valeant et gaudere. Cui etiam omnes ciues, incolæ terræ ciuitatum et villarum prædictarum, tanquam nobis, obedire, et singulis censibus, prouentibus, obuentionibus, interim, quoad ab ipso, vel eorum aliquo, redimemus terras, castra et oppida, ciuitates et villas, eousque respondere tenebuntur. Quas quidem terras, castra et oppida, ciuitates et villas prædictus rex Poloniæ, Successores, Prælatis et Barones eius tenebunt, possidebunt, et habebunt tamdiu, quousque sibi aut suis Successoribus, Prælatis et Baronibus, per Nos, aut Successores nostros, prædicta *XXXVII. millia sexagenorum latorum grossorum Bohemicalis moneta*, boni et iusti ponderis, aut *VALORIS EORVNDem* in auro et argento fuerint efficaciter persoluta. Promittimus insuper bona fide, et in verbo nostro regio, terras easdem, ciuitates et villas, ab omnibus iniuriis et impugnationibus quorumcunque Contrariorum, ac si eas per Nos possideremus, quamdiu idem *Wladislaus* rex Poloniæ, et Successores ipsius seruauerint, defendere et tueri, illo etiam non omisso, quod si aliquis de regno Hungariæ nostro, easdem terras, castra, ciuitates, oppida et villas, sub eodem Domino *Wladislao* rege Poloniæ, Successoribus, Prælatis et Baronibus ipsius recuperarit aut acquisierit, ipsis sine dolo et fraude, reacquirere et ipsis eas restituere tenebimur et debemus. In casu autem, quo ipsis acquirere non possemus ex tunc sibi successoribus, Prælatis et Baronibus ipsius prædicta *XXXVII. millia sexagenorum latorum grossorum* reddere et soluere promittimus bona fide, vel huiusmodi bona, vel alia consimilia et eiusdem valoris, sibi et suis successoribus in eisdem obligamur. Si autem facere non curaremus, aut neglexerimus ex tunc ad omnia damna, quæ ex incomplexiōe præmissorum nostrorum votorum, in præsentī littera expressorum, prædictus *Wladislaus*, Successores, Prælatis, et Barones, et regnum ipsius perceperint, Nos vna cum Prælatis et Baronibus refundenda, resarcienda submittimus, pro quibus regni nostri homines cuiuscunque conditionis, dignitatis aut præeminentiæ, et bona ipsorum arestare, captiuare, terras nostras inuadere et spoliare libere, et Dominus *Wladislaus* rex, Successores, Prælatis et Barones, ac regnum ipsius valeant, absque omni resistentia et contradiciōne, nostri et nostrorum, tamdiu, quousque sibi, suis Successoribus, Prælatis et Baronibus, ac regno suo per Nos, nostrorum Successores, Prælatos, Barones, omnibus in obmissis fuerit satisfactum integre. Dum autem prædictas terras, castra, ciuitates, oppida et villas ab eodem Domino *Wladislao* rege Poloniæ, Successoribus, Prælatis et Baronibus ipsius, redimere et liberare voluerimus, ex tunc litteram nostram, sub sigillo maiestatis nostræ pendente, ad eundem Dominum *Wladislaum* regem Poloniæ, vel eius Successores, Prælatos et Barones regni eius, scriptam debemus, (*per*) notabiles duos consules, vnum videlicet *Leutscha*, et alium de *Cassouia*, ipsis in *Lublām* dirigere, et eam sibi facere præsentare, ac significandum intimare, quod ipsas terras, castra, ciuitates, oppida et villas, intra duos menses continuos, volumus ab eodem Domino *Wladislao* rege, vel eius Successoribus, Prælatis et Baronibus, liberare. Si autem nos decedere contigerit, tunc duo Prælatis, et totidem Barones regni nostri Hungariæ, sigillis eorum pendentibus in hoc casu facere debebunt, et tunc a die inlinuationis et assignationis litterarum huiusmodi, *XXXVII. millia sexagenorum latorum grossorum* boni et iusti ponderis, auro puro vel argento, infra eosdem duos menses, ad castrum *Dvnauecz* duci debent, et ibidem per homines dicti Domini *Wladislai* regis Poloniæ, Successorum, Prælatorum et Baronum nostrorum in castrum *Csörnstein* importari et adduci. Interim autem in castro *Dunauetz* prædicto, quatuor Poloni de terra *Cracouiensi* et *Sandecensi*, vel alter eorum, quos, vel quem rex Hungariæ, vel Barones ipsius regni tunc nominauerint et elegerint, videlicet, die intimationis pro soluendis pecuniis et redemptioni pignoris prædictorum, permaneant, seu persistant, ita tamen, quod præsentēs eligantur in regno Poloniæ, vbicunque existentes, non impediti tali infirmitate aut impotentia, quod venire non possent, quia impediti, illo non obstante, alii in locum impeditorum transmittantur, et per Dominum *Wladislaum*, Successores, Prælatos et Ba-

„rones prædictos in obstagium, in eodem castro *Dunauetz*, reponantur, neque ab  
 „inde recedere debeant, donec castrum prædictum *Lubló*, nec non aliæ ciuitates et  
 „oppida prædicta, nobis et Successoribus nostris, siue Prælati et Baronibus, in-  
 „tegre fuerint restituta, *nulla etiam deceptione, excusatione, contradictione, vel occa-  
 „sione obfistente*. Harum, quibus nostrum, Prælatorumque nostrorum sigilla sunt  
 „appensa, testimonio litterarum mediante. Et Nos *Iohannes Episcopus Strigoniensis;*  
 „*Iohannes Episcopus Lauriensis;* et *Nicolaus de Gara*, Regni Hungariæ Palatinus; *Co-  
 „mes Simon de Rosgon*, Iudex Curia regis; *Ioannes de Bolsowitz*, Magister Tauernica-  
 „lium regalium; *Ladislaus de Vihátz*, Banus Machouienfis; *Iohannes Bány de Ma-  
 „róth;* *Petrus de Perrem*, Comes Vjuariensis; *Emericus de Perrem*, Secretarius et  
 „Cancellarius Regiæ Maiestatis; *Ioannes de Rosgon*, Thesaurarius regis Maiestatis;  
 „*Matthæus de Malots*, Comes Bársoniensis; *Benedictus Czudar de Makovitz;* Prælati  
 „et Barones regni Hungariæ, promittimus bona fide, pro nobis et nostris succes-  
 „soribus, omnia prædicta per Dominum nostrum regem, et voluntate, et bene-  
 „placito nostro facta, et disposita, et permissa, inuiolabiliter obseruare. In quo-  
 „rum fidem et testimonium vna cum sigillo dicti Domini nostri regis, sigilla nostra  
 „præsentibus sunt appressa, Datum *Zagrabia*, octaua die omnium sanctorum An-  
 „Domini 1412. regnorum autem nostrorum, anno Hungariæ tricesimo sexto,  
 „Romanorum vero tertio.

## §. II.

*Non Co-  
 mitatus,  
 sed tre-  
 decimop-  
 pida pi-  
 gnori  
 dantur.  
 Publica,  
 de iis re-  
 dimendis  
 sanctio-  
 nes.*

Igitur, non vniuersus Comitatus, sed *Tredecim* admodum oppida, cum arcibus atque oppidis *Lublyo*, et *Podolino*, in pignus *Wladislaw* data sunt, idque legibus eiusmodi, vt integrum sit regibus Hungariæ, Prælati et Baronibus, eadem, numerato ære illo, haud quidem pro ditionis illius rationibus, grandi, in suam potestatem, vindicare. Et exstant sane plurimæ c) *Regum* et *Statuum* sanctiones, in Comitibus fere omnibus, constitutæ, vt opimum isthoc pignus, tandem aliquando, ære alieno, liberaretur, redunireturque postliminio pristina regum Hungariæ ditioni; sed in ea quidem re, nihil hucdum profici potuit, nunc Turcicis, nunc ciuilibus bellis, optimas destinationes, interuertentibus. Iam, quia sub vmbra *CAROLI MAXIMI*, pace refouentur omnia, spes nobis est certissima, fore, vt post tria secula, tandem voti sui potiatur Hungaria. Nos singula oppida curiosius perlustremus, ordinem formulæ, quam nostri *inscriptionalem* vocant, secuturi.

## §. III.

*Lublyó.*

Primo ergo loco *LVBLYÓ*, olim *Lublyan*, referendum est. Et de arce quidem, quæ erant necessaria, supra diximus. Oppidum amplum est et copiosum, atque mercatibus hebdomariis, iuxta et annuis, quin d) religiosis quoque peregrinationibus, frequens. Portenti modum habet, id quod in oppido isthoc anno *MDCCXVIII*. euenisse accepimus. Institorum nonnemo, *Gasperek* dictus, vitæ, vti credebatur, non vndiquaque integræ, viuere, nec opinato, desierat. Vix dum sepultus fuit, quum oberrare passim et redire ad suos, eodem, quo viuus erat, habitu, occepisset. Neque ostentum inane fuit: enimvero, oppidanos, sole etiam meridiano, obuios, diris modis infestauit, ancillis, ruri operantibus, vim intentauit, tectis oppidi semel iterumque ignem subiecit, et quod fidem superat, vxori suæ se miscuit: quin heic quidem æs alienum contraxit, illic, quo obrutus erat, dissoluit. Ad vltimum, multis patratifacioribus, id meruit, vt pro more, hic gentium, solemnica, cadauer eius e sepulchro erutum, capite truncaretur, exurereturque. Falsa sint, an vera, nescio, constanti tamen fama perhibebatur, præscissum lutro caput, largum fudisse sanguinem. Cadauere, haud sine superstitionis crimine, exusto, nouo ite-  
rum

*Editum,  
 hic loci,  
 prodigi-  
 um.*

c) Vide Anni 1618. Artic. X. An. 1630. Artic. XXVI. An. 1635. Artic. LXVII. An. 1638. Artic. XXXIX. An. 1647. Artic. LXXII. An. 1649. Artic. XXVIII. ac in primis An. 1655. Artic. LXXXII. An.

1659. Artic. I. Condit. 15. et Artic. XL. An. 1681. Artic. XXIV. et recentiores.  
 d) Vide *MART. SZENTIVÁNY* Dissert. Paralipom. Catal. IX. p. 54.

rum incendio, a nefando isthoc spectro, oppidum multatum fuit. Multi crediderunt specie humana, cacodæmonem, hoc, quidquid erat, calamitatis, oppido infixisse, edidisseque actus illos, ostenti similes; alii contra, quibus suspectæ sunt de spectris narrationes, laruatum existisse spectrum, existimabant. Equidem, fabella sit an historia, referendam, nihilominus putavi, ne rei memoria facile interciderat.

§. IV.

Reducto *Lubyouia*, versus *Kesmarkinum*, situ, *PODOLINUM*, cuius arcem supra nominauimus, *Poprado* assidet, oppidum quomodocunque mœnibus communitum. Crebri hic quoque mercatus, iique oppidanis perquam fructuosi. In primis commendat oppidum ludus, quem illic iam pridem, magna iuuentutis celebritate, *Patres Piarum Scholarum*, adaperuerunt. Est eis hic sedes magnifica eoque amœnior, quo *Poprado* flumini propior, quam hortus, pro natura regionis, eleganter cultus, et late protensus, condecorat. Sed ager oppidi, minus fertilis est, quippe collibus passim adfurgentibus, asper. Sacellum, extra urbem modico impositum colli, et *S. Anna* dicatum, religiosis peregrinationibus et fonticulo salubri, celebratur.

*Podolinum.*

§. V.

Propius *Lubyouia*, *GNASNA* oppidum abest; *Kniefen* Germanis, *Slauis* et *Polonis*, *Gnasdo*, quod *nidum* significat. Tenuis hic quoque mercatus institui videas. Pro oppidi ratione, ager amplius est, neque infœcundus. Post hæc oppida, accensentur porro ditioni *Lublouienfi*, vici complures. Primas in his meretur *Felsó Rusbach*, siue *Ober-Rusbach*, ob \* fontem, quem habet, salutarem. Hic fua-tionem spectantes. uui eoque perenni murmure, tantum aquæ tepidæ fundit, vt infinitis cadis sufficiat. Enimvero, calefactam in vasa balnearia transfundunt, quibus demum corpus, ex instituto lauant, qui morbos depellere volunt: id quod plerumque efficacitate præsentanea fieri aduertas. Proinde, frequens hic peregrinorum numerus, iis potissimum anni temporibus, quæ sunt ad lauandum idonea. Salutari huic fonti vicinus est acidularum alter. Sed charoneam quoque habet, eius naturæ, vt noxiis halitibus, aues transuolantes, quin et animalia cetera, si adpropinguent, opinione celerius, enecet. Commendat præterea vicum, officina papyracea, in qua charta fit elegans, et ad scribendum commoda. Vici reliqui sunt *Alsó Rusbach*, *Iacobsau*, *Jarabin*, *Kamienka*, *Hoppgarten*, *Laupnik*, *Forbs*, *Latzkova*, tenuis admodum, si alterutrum excipias, et a *Polonorum*, atque *Rutenorum*, vltima plebe, culti.

*Gnasna.*

*Vici ad hanc ditionem spectantes.*

§. VI.

*Podolinensem* hanc ditionem, *Tredecim Oppida* excipiunt, passim per Comitatum sparsa, eoque magis importuna *Scepusiacis*, quod cum sint ditionis alienæ e), multis subinde incommodis vicinos adfligant. Primo autem loco *BELA* nominanda venit. Nominis similitudine adducti, credunt nonnulli a *Bela IV.* conditam denominatamque esse. Et existant omnino plurima benignitatis eius, in *Saxones Scepusiacos*, vestigia: inter quæ an oppidi *Bela* referri debeant origines, nequeo dicere. Oppidum laxum est, in amœnissima planitie, positum, et riuo, *Marseiffen* dicto, irriguum. Aedes olim eleganter factæ fuerant, sed frequentibus iam fœdata incendiis. In medio sinu templum habet non inaelegans, et variis, optimorum virorum, epitaphiis, decoratum. Ciues, rem potissimum rusticam faciunt, quod agrum nacti sunt fœcundum, neque operas temere fraudantem. Stuporis eosdem, populari conuitio, argui subinde audias, vt inficetos quosque actus f) *Belensium* esse dicant. Neque id forte iniuria: tamen enim non desint excitiora inter *Belenses* ingenia,

*Tredecim oppidorum primum est BELA.*

*Ciuium hebetior indoles.*

E e

genia,

\* Confer de eo *Vernberum*, in deadmirandis Hungariæ aquis.

e) Vide omnino, inter citatos supra, regni articulos, *Anni 1655. Art. 82.*

et *Anni 1659. Artic. 52.*

f) Ita dicunt: *Dieses, oder jenes, sey ein Belauer Stück.*

*Humus  
incendio  
correpta.*

genia, plerique tamen, agreste quiddam sapiunt. Illud silendum haud est, anno MDCCV. ea regione, quæ ad septentrionem vergit, locum quendam, in agro Belensi, palustrem, ignibus subterraneis, ineunte æstate, accensum fuisse, arsisseque continuo in serum vsque auctumnum. Multum in extinguendo incendio locauerunt operam oppidani, sed conatu irrito. Nempe, ardentem locum, fossis clauerant, quas demum ad summum aqua oppleuerunt: verum ne sic quidem coerceri potuit incendium, quin subinde fossas transfileret, et vicinam humum corripere. Ferunt, proximum incendio solum, si immisso scipione perforabatur, ex istiusmodi hiatus, heic quidem scintillas, flammam alibi, aut sulphureosum fumum, eructasse. Denique, frequentibus auctumni imbribus extinctum penitus fuit, terrestre isthoc incendium. Humus, iis locis, qua id serpsit, sesquipedem nunc depressior est. Triplex incendii cinis obseruatus: summus quidem asper, vix vnus digiti crassitie; medius contra trium digitorum, atque is quidem adeo rubicundus, vt ad fabriles operas, rubricæ loco potuerit adhiberi; infimus denique luteus, duos digitos profundus, quo remoto solum apparebat, instar furni ardentis ignitum: id quod naturæ curiosis ad ruminandum permittimus. Alioquin *Bela* oppidum, Kesmarkino, inter septentrionem et Occidentem, medio milliari sepositum est.

### §. VII.

*Laibit-  
zium.*

LAIBITZIVM huic succedit, *Lébitz* Hungaris, *Laibitz* Germanis, Slauis *Lu-bitza*, reliquorum caput, quæ antiquitate iuxta et amplitudine, antecedit. Cum florentiores erant res Scepusiensium, opibus, et ciuium numero, cum Kesmarkino de palma certare posse videbatur. Annales oppidi loquuntur antiquitus *octingentos*, et quod excurrit, *focos* heic numeratos fuisse, qui per iniuriam temporum ita sunt diminuti, vt anno MDCLXXVI. ædes habitabiles, *tercentas* tantum, et *quadraginta octo*, habuerit. Nunc *centum nonaginta tres* in censum veniunt, reliquas iam pridem ruinæ sepeliuerunt. Præter calamitates enim alias, incendia potissimum, vastitatem oppido adtulere. Nimirum anno MDCLIX. delapso fulmine incensum, CCLXXX. ædes exustas vidit. Anno MDCLXXX. templum, parochiam, et alia publica ædificia, eodem infortunii genere, amisit. Eandem calamitatem anno MDCCVIII. passum, fere ad incitas recidit, neque, dum hæc scribimus, e cineribus resurgere potuit. Adsitum est riuo cognomini, habetque præter ædes priuatas, prisorum ritu, hoc est, solide, neque ineleganter, excitatas, templum, mole non minus, quam ornamentis, quæ in ædibus sacris exstare solent, insigne. Olim frequentes hic institui consueuerunt mercatus, sed quos vicinissimæ vrbis Kesmarkiensis accessiones, penitus fere sustulerunt. Ager maximam partem in siluas protenditur: reliqua rei rusticæ seruiunt: geminus hinc oppidanis prouentus, ex siluis cædis, quas Kesmarkiensium in primis lignationi permittunt, atque ex re etiam frumentaria. Ciuium ingenium erectius longe est, quam Belensium: in his nobilissimi *Ionii* et *Serpilii*, vtrique *Landgraviorum* honoribus, quos diu gesserunt, celebres. Dissidet Kesmarkino in meridiem orientalem, passibus circiter mille.

*Eius de-  
cremen-  
tum.*

### §. VIII.

*Men-  
hardi  
villa.*

Hinc porro digredienti in meridiem, *MENHARDI VILLA*, Germanis *Menhardsdorff*, Slauis, *Verbovvo*, obiicitur, passibus plus minus bis mille Kesmarkino disiunctum. Tenuè oppidum, et vix non inane: eo quod ciues habet pauciores, quam pro agri, quem nactum est, portione. Ingenui tamen his mores. Ecclesia, quam habet vnicam, perpulchra est, et *organo* sonoro instructa. Reliquæ oppidi ædes incendiis frequentibus iam pridem foedata.

### §. IX.

*Popra-  
dum.*

In Occidentem, *POPRAVUM*, Germanis *Deütschendorff*, reiectum est, gaudetque situ omnium amoenissimo, illinc enim a fluuio cognomine, subluitur, circumfunditur hinc planitie latissime porrecta. Antequam anno MDCCXVIII. ex-  
stum

stum fuisset penitus, opibus valuit: nunc ægre pristinum florem recuperat. Incolis labor omnis et victus ratio, agrestibus operis, absolvitur: pauciores sunt, qui occupentur oppificiis. Reditus oppidanis ex molis frumentariis, atque in primis papyracea, fere præcipuus: papyro certe prima post Rusbachensem gloria. Mores et religio civium, cum oppidis reliquis, congruunt.

§. X.

Vicina Poprado est MICHAELIS VILLA, Germanis *Michelsdorff*, Slavis *Strafa*, *Michaellis villa*, oppidum versus orientem reductum, vix alia re, quam ruinis, quibus deforme est, memorandum. Frequens aliquando fuisse, atque opulentum, ædes sacra indicio est, non ampla modo, sed etiam magnifice culta. Incolæ vitam degunt agrestium, quorum mores quoque æmulantur.

§. XI.

IGLOVIA hinc nominanda est, nonnullis *Neocomium*, ex Germanico *Neudorff*, *Iglouia*, quod et Slaucicum vocabulum *Norva Wes*, expressit. Inter tredecim hæc oppida, facile copiosissimum, cultissimumque. Situs ad Hernatum, in longum porrectus. Mœnibus olim incinctum fuit, sed quæ passim vetustas in ruinam proiecit. Ciues, præter agriculturam, cuius sunt studiosissimi, metalla quoque eruunt, in iis montibus, qui versus Comitatum *Gömöriensem*, prospiciunt. In his æs cyprium atque ferrum est, quæ in varia utensilium genera affabre procudunt. Alioquin morum elegantia, facile oppidanos reliquos omnes vincunt, quam cum multa alia produnt, dum musices in primis amor quidam ingenuus. Ætate certe FRÖLICHII g) collegium hic erat civium musices studiosorum: nostra vero, eruditos viros, quæ quidem laus solidior est, complures tulit; quos nominaremus, nisi id, veteranda amicitia iura, vetarent. Distat Leutschouia, milliari modico, eo itinere, quod ducit Rosnauiam.

§. XII.

RVSZKONÓTZ, Germanis *Risdorff*, Slavis *Ruskinovvce*, pari fere interuallo, situ tamen, in occidentem quodammodo declinante, inter Leutschouiam et Kesmarkinum, positum. Aegerrime nomen oppidi tuetur, quod et agrum habet steriliorem, et incolas, ingenii, quam pro oppidanis, abiectioris. Vitam hinc rustica et lignationibus quomodocunque tolerant: habent enim silvas ad eam rem peropportunas.

§. XIII.

Cultius longe est *Olaszyum*, siue *Villa Italica*, Hornatho fluuiio adsitum. Ex *Olanomine* argumentum capiunt h) nonnulli, coloniam Italarum, aut Latinorum esse: *Olasz* enim Hungaris Italum notat. Eodem Germanica, quin et Slaucica denominatio respicit: illis enim *Wallendorff*; his *Wlasky* dicitur. Sed iam nullum hic gentis Italicæ vestigium superest: incolæ certe Germani sunt omnes, atque ii quidem ad humanitatem quodammodo efformati. Nempe, ætate superiori, cum integræ adhuc oppidanorum fuissent res, scholam habuit *Olaszinum*, egregiam humanitatis officinam, in qua, qui educati erant, elegantiam morum, in posteros propagarunt. Rus, oppido circumpositum, pingue est, et amœnum. Disiungitur Leutschouia in meridiem orientalem, milliari vno et medio.

g) Medulla Geogr. p. 352.

h) Vide FRÖLICHIVM loco, quem supra dedimus.

## §. XIV.

Fülca.

FÜLCKA, Cermanis *Fülck*, nomine, ut apparet, ex Slauico *Welka*, detorto: Oppidum tenue, et solitudini proximum. Si pro agri, quem possidet, amplitudine et fertilitate, incolas haberet numerosiores, merito inter opulentiora oppida censeretur: quos tamen in dies diminui accepimus, forte, quia pendendis tributis sunt impares. Templum, quod habet, elegans est, parochia præterea sumptuose excitata, ut argui possit, floruisse quondam opibus ruinofum nunc oppidum. Ad opportunitates eius, id quoque retuleris, quod molam possidet frumentariam, inter fructuosissimas merito referendam. Sedet inter Popradum amnem, et Carpathi radices, Kesmarkino in occidentem milliari modico, positum.

## §. XV.

Szepes  
Várallya.Eius op-  
portuni-  
tas.

SZEPES VÁRALLJA, et terminatione Latina, *Váralljium*. Oppidum elegans, et arci Scepusiensi, quod supra monuimus, ad plagam orientalem, subditum, unde et nomen accepit: nam et Slavis *Podhrad* dicitur. Aedes, inter tredecim oppida, facile commodissimas habet: in his templum eminet, a quo locum ipsum Germani *Kirchdorff* nominauerunt. Fora heic aguntur frequentia, omnium autem copiosissimum, annum illud, quod in diem *Ascensionis Dominicae*, incidit. Sed anno MDCCXIII. infaustus mercatus ille exstitit. Enimvero, nubibus, quas procella inopina caelo induxerat, in cataclysmum solutis, vix non oppidum vniuersum absorptum est: illuies certe aquarum, domos complures subuertit penitus, damnumque intulit, haud facile sarcendum. Ex hominibus tredecim desiderati sunt; iumentorum et mercium, quæ diluuium illud abstulit, numerus, iniri haud potuit. Ferunt præsentem tunc Várallyini fuisse *Cels. Principem*, *Theodorum Lubomiersky*, indoluissetque oppidanorum calamitati.

## §. XVI.

Matthæi  
Villa.

MATTHÆI VILLA, seu *Matthéocz*, Germanis *Matzdorff*, Slavis *Matejovvace*, modicum oppidum, et cum alias sæpius, tum in primis anno MDCCXVIII. incendio penitus fere deletum. Nunc, quemadmodum per iniuriam temporum licuit, reedificatum. Laudem ob ingenuam incolarum indolem meretur, quam ipsi quoque ex litterarum studiis trahere perhibentur; quippe quæ, ætate superiori, isthic floruisse, certum est. Assidet *Poprado* flumini, Kesmarkino, medio fere milliari, in occidentem, reiectum.

## §. XVII.

Mons S.  
Georgii.

MONS S. GEORGII, quomodo et a Germanis, *Georgenberg*, dicitur. Hungari *Szombathely*, Slavi *Spiská Szobota* vocant. Oppidum situ amœno, quia editiori Popradi ripæ impositum, atque ædibus non minus, quam incolarum humanitate cultum. Hinc est, ut *Principi Lubomierskyo*, secessum creberrime præbeat. Sed agrum i) fertilem licet, angustiore tamen habet, quam oppidi requirit frequentia. Igne sæpe vastatum fuit, redintegratum nihilominus denuo. Præcipuum oppido decus conciliat Ecclesia, perquam eleganter facta, et curia, ultra oppidanorum opes substructa. Positum est inter *Mathejocz* atque *Popradum*, huic tamen, quam illi propius.

## §. XVIII.

i) Hinc est, ut a Leutschouiensibus ruris quandam partem, quam *desertum*

*campum* vocant, annuo censu, redimere habeant necessum.

## §. XVIII.

Vltimo loco DVRANDI VILLAM nominamus : nam et litteræ SIGISMVNDI *Durandi Villa.* Regis , quas in enumerandis oppidis secuti sumus , vltimo eam loco ponunt. Nominis rationem difficile est reddere ; nisi credas ex Germanorum vocabulo , *Durlsdorff* , Durandum finxisse , latinam illam plebem. Est enim *Turl* casei minuti genus , ex lacte factum vaccino , quod in deliciis habent Scepusiaci. Atque ita Slavi quoque adpellant , *Tvvarozná* , vt pronum sit coniicere a *caseo* huic quoque oppido nomen hæsisse. Nimirum , ita existimo , fuisse olim vicum hunc , qui postea in oppidum transit , caseorum quasi officinam quandam , quos incolæ , *Käsmarkinum* , vbi caseorum fora agebantur , ad vendendum deferebant. Iam a pristino flore multum desciiuit , induitque , ex temporum calamitate , vici habitum , tamen oppidi nomen adhuc tueatur. Rus possidet amplum , atque siluis cædis passim interstinctum. Dissidet Kesmarkino medio fere milliari , eo itinere , quo icur *Leutschouiam*.

## §. XIX.

Atque hæc illa sunt Tredecim Oppida , quibus vltra trium seculorum intervallum , magno suo damno , diminuta est Hungaria. Oppidani plerique omnes Germani sunt , et sacra *Euangelicorum* profitentur , quorum exercendorum libertatem , principis indulgentiæ , in acceptis ferunt. Vitam , re potissimum rustica , nec non artibus sellulariis , sustentant. Sed sunt etiam , qui mercaturæ student. Præest *Tredecim Oppidis* , *Vice - Capitaneus* , cuius sedem , arcem *Lublyouensem* esse diximus. Singula vero oppida , a suis reguntur Magistratibus , qui annis singulis , non ipsi modo libere instaurantur , sed præsidem etiam communem , eadem libertate , e præcipuorum civium numero , eligunt , qui causas oppidanorum grauiores discutiat. *Landgrauium* priscis temporibus fuisse vocatum , supra monuimus : nunc *Grauium* , seu *Comitem* , tamquam honoris vocabulo , adpellant. Penes hunc potestas est , Iudices oppidorum omnium , si id ardua poscant negotia , ad eum locum , quem ipse colit , conuocandi. Id vero fieri in primis adsolet , si vel de censu dispertiendo cogendoque consultandum , vel suppliciiis adiudicandi sint , qui capitale quoddam crimen patrauerit : hos enim ad oppidum , quod *Comes* habitat , captiuos ducunt , atque illic etiam plectunt. Euenit præterea , vt *Comes* , vna cum oppidorum iudicibus , *Lublyouiam* , a *Vice - Capitaneo* , subinde euocetur , si nimirum maioris momenti mandata habeat , quæ ex voluntate principis , ex æquo ad omnes pertineant. Hæc de tredecim oppidis , quæ sunt Polonicæ ditionis.

*Oppidanorum , natio , religio , occupationes.*

*Regimini formæ.*



## SECTIO IV.

De

## Trium Processuum Terræ Scepusiensis, Oppidis, Vicis, et Dominiis.

## Synopsis.

Loca Processus Primi, seu Magni. §. I.

Processus Secundi. §. II.

Processus Tertii. §. III.

Ditio Illustrissimorum Comitum Csáky. §. IV.

Ditiones, seu Dominia reliqua. §. V.

Familia Comitatus Scepusiensis: auctoris desideria. §. VI.

**D**ividitur Terra Scepusiensis in *Tres Processus*: Ita Comitatum regiones appellamus, quæ unius Iudicis Nobilium arbitrato subsunt. Vernacule: *Egy Szolga Biró Iarása*, hoc est: *Unius Iudicis Nobilium processus*, siue *ambitus*. Nimirum, ut commodius regi possit *Comitatus*, exigi tributa atque sine cunctatione, causæ dirimi leuiore, hanc, post diuisam in *Comitatus* Hungariam, partitionem inducere, præsci illi homines. Nos iam Oppida atque vicos singulos, lustremus.

## §. I.

Loca  
Processus  
Primi, seu  
Magni.

**PROCESSVS PRIMVS**, qui et *Magnus* dici meruit, ob late porrectam ditionem, Septentrionalem Comitatus partem complectitur, hoc est, totum illum tractum, qui iugis Carpathicis innectitur, atque ad Poloniae confinia procurrat. Vicus eius sunt:

1. *Menkusfalua*, Germ. *Mingsdorff*, Slau. *Menkusórvucze*, vicus Carpatho subiectus, et Comitatu Liptouensi, conterminus. Hæreditaria incluzæ *Mariastorum* familia possessio. Incolas, præter rem agrariam, scindendis asseribus, occupari accepimus.

2. Subducto altius, ad pedem Carpathi, situ, *Stubla*, seu *Stobla*, Germanis *Stellen*, Slau. *Stolna*, iacet. Modicus admodum vicus, sed rudibus verustissimi cœnobii, quod *S. Iohanni Baptiste* dicatum fuisse perhibent, nobilis.

3. *Batissfalua* hinc se offert, in subiecta Carpatho planitie, vicus origine verustissimæ *Mariastorum* familiae celebris. Præter castellum, quod suo loco descripsimus, Ecclesiam habet eleganti opere exædificatam. Rus fœcundum, atque fluuio-olo, qui pagum alluit, trutarum feracissimo, irriguum. Alioquin locus hic, cultui Euangelicorum, \* *articulariter* permissus est.

4. *Gerlachfalua* postea est, pagus, radicibus Carpathi adpositus. *Gerlsdorff*, Germ. *Gerlachórvucze* Slauis dictus. tenuis is quidem, et a paupere plebe cultus, quæ præter operas agrestes, distillando oleo *Carpathico*, haud sine fruge, occupatur.

5. *Nagy Szalók*, Germ. *Groschlagendorff*, Slau. *Weliky Slavkovu*. Oppidum ditionis *Illustrissimorum Comitum Csáky de Keresztseg*. Colitur a Saxonibus, rei rusticæ studiosissimis. Certe, agro gaudet pingui, et frugum varii generis, nisi frigus sit noxium, fertili. Laudatur heic acidularum fons, loco amœnissimo, sub Carpathi radicibus, saliens.

6. *Müllenbach* oppidum, *Csákyana* ditioni accensum, et loco non minus fertili positum. Incolæ Saxones sunt.

7. Propius ad Carpathi radices, *Uj Leszna*, Germ. *Neuvaldorff*, Slau. *Novvá Leszna*,

\* *Articulos* vocamus, leges, a rege, et regno latas, quod ergo iis sancitur,

id *articulariter* fieri dicitur.

*Lefzna*, adiacet. Vicus tenuis, et superiorum annorum incendio misere afflictus. Est iuris, prænobilis familiæ *Berzeuitziorum*.

8. Vicinus huic est, *O Lefzna*, Germ. *Altvaldorff*, Slau. *Stará Lefzna*. Ditio *Berzeuitziorum*, iuxta et vrbis *Kesmarkiensis*.

9. *Nagy Lomnitz*, alias *Kakas Lomnitz*, Germ. *Groß Lomnitz*, Slau. *Welká Lomnitzá*. Olim inter vndecim oppida censebatur, nunc ea libertate diminutum, pluribus nobiles familiis, atque *Berzeuitziorum* in primis, paret, qui heic sedem habent.

10. *Poprado* traiecto, *Hunnisvilla*, Germ. *Hunsdorff*, sedet. Frequens vicus, et mutua Romanorum atque Hunnorum clade, nobilitatus. Possident eum iure hæreditario *Berzeuitzii*, *Székelii*, alii.

11. *Kis Szalók*, pagellus perexiguus, neque alia re, quam quod secessum olim *Tökoliis* præbuerit, memorandus. Iam vrbi *Kesmarkiensium* paret, habitaturque a promiscua et morosa Polonorum plebe.

12. *Forvverck*, exsilis vicus, perangusto, fertili tamen agro, montibus Carpathicis, sublitus. Ius hæreditarium *Kesmarkiensium* est, sed hypothecarium *Barkótziorum* et *Gerhardiorum*.

13. Vicinus ei est *Rokus*, *Kesmarkiensium* et *Kraiorum* pagus, ad occidentalem septentrionem ab vrbe sepositus. Incolæ germani sunt, quorum lingua *Roks*, Slauorum autem *Rakusy*, adpellatur.

14. Adducto, circum montes Carpathicos, in Septentrionem, situ, *Landok*, vna cum castello, visitur. *Lusinskyorum* sedes. Ager vastissimus est, siluis tamen et montibus, impeditus. *Marmor* in iis eruitur, *Pario* suppar; sed *Alabastrum* etiam, rarioribus licet venis. Celebrem olim *Pramonstratensium Præpositarum* k) habuit. Gaudet fonte acidarum.

15. *Zár*, Germanis *Morgenröthe*, vicus exiguus, agro tamen pingui et pascuo præditus, quem incolæ Poloni, faginandis bobus collocant. Consimile fabulæ est, quod de lacu vici montano perhibent, eius nimirum naturæ esse, vt. si arbor, quæ circa paludem succreuerat, succidatur, inimitaturque lacui, nubes cælo inducantur illico l) imbremque largum fundant. Possidetur a *Lusinskiis*, a quibus non ita pridem coli cœptus est.

16. *Wiborná*, Germanis *Bierbrunn*, in dextram declinante situ. Fons acidularum nomen ei dedit, quem *Vulgus* rusticum, cereuisiæ comparare nihil addubitatur. Incolæ Germani sunt, sed agreste quidpiam sonantes. Est *Berzeuitziorum*, *Szekelyiorum*, iuxta et vrbis *Kesmarkiensis*.

17. *Tótsalva*, proxime hinc abest, *Vindschendorff* germanis. Liberas nobilium ædes, *curias* vocant nostri, complures habet. Incolitur promiscue a Germanis, Slauis et Polonis. Sed gleba minus fertili gaudet, quippe hinc palustri, illinc vero inutilibus arenis impedita. Habet Dominos: *Matyafouvschyos*, *Grodkovskyos*, *Svábyos*.

18. Modico interuallo, vicus *Krig* disiunctus est, tenuis quidem ille, et *Draveczkiis* subiectus.

19. *Bussótz*, Germ. *Bauschendorff*, *Poprado* assidet, copiosus quidem pagus, sed a paupere plebe cultus. *Görgeyorum* et *Szentiványiorum* ditio. Tumulus heic visitur, quem vulgo cadaueribus Hunnorum oppletum esse credunt, ex eo prælio, quod cum Romanis ad *Kesmarkinum* commiserant.

20. Propius ad vrbem *Kesmarkiensis* *Neer*, seu *Stráska*, sinistra *Popradi* ripæ, adiacet. Quod vicinus *Belensium* oppido pagus est, olim *Kis Bela* vocatum fuisse meminerunt prisca quædam litteræ. Præbet domicilium antiquæ et insigni *Horuath Stansith de Grádecz*, familiæ, ad quam iure pertinere hæreditario, diximus, cum supra castelli meminissemus.

k) Vide SZENTIVÁNYIUM, Dissertat. Paralipom. Catal. XXXIII. p. 99.

l) Legesis eandem fabulam, de *Palude Pi-*

*lati* Heluetiorum, apud *Scheüchtzerum* Horograph. Helvet. p. 227. seqq.

21. Trans Popradum *Kereftfalua* est, Germ. *Creütz*, Slauis *Kryzouva Wes*. Vicus copiosus, eiusdem *Horuathorum* gentis. Colitur a Slauis, sed quibus Polonos, ex vicinitatis contagio, admixtos videas. Salmonum captura copiosa heic est.
22. Inde ad Orientem progresso *Hundertmorgen* se offert, quibusdam *Hundertmarck*. Inquilinos habet Ruthenos, poiectæ audaciæ latrones. Iuris *Berzeutziorum* et *Kesmarkiensium*.
23. *Sz. György* postea iacet, ad eundem riuum, qui *Hundertmorgen* interluit. Vicus, a Slauis et Polonis habitatus, atque genti *Görgeyorum*, *Szeneyorum* et *Redeyorum* obnoxius.
24. Mox ad eundem riui tramitem, qua *Poprado* accelerat, *Holumnitz* est, aliis *Polomnitz*.a. Dominos habet eosdem, quos nunc nominauimus.
25. *Kolatsko*, Germanis *Klotsch*. Erat olim familiae cognominis, nunc *Székelys* reueretur, vix alia re magis, quam exsilitate sua notus.
26. *Kis Lomnitz*, *Poprado*, et ditioni *Lublyouienfi*, vicinior, iuri *Szeneyorum*, *Görgeyorum*, *Rédeyorum* et *Pétseyorum* subiectus.
27. *Poprado* traiecto, *Maldur*, Germ. *Malter* se offert, prope ad occidentale *Podolini* latus. Olim incolas habuit diuites, qui e polenta quæstum faciunt. Est *Görgeyorum* et *Seneyorum*, coliturque a Germanis.
28. Altius in Septentrionem recedit *Toportz*, eximius vicus, et castello, quod iam descripsimus, insignis. Alter hic locus *articularis* est, Euangelicorum cultui destinatus. Incolæ Slaui sunt, parentque familiae *Görgeyorum*.
29. Trans editos montes *Richwald* occurrit, tenuis vicus, sed latrociniis incolarum infamis. Altera parte *Camaldunensium* est, *Svábyorum* altera.
30. *Haligótz* inde est, sparsis. inter petras et saxa casulis, quas plebs Polonica habitat, estque cum aliis, tum in primis, *Horuath Stansith de Grandecz*, obnoxia. Antra habet admiranda, draconum olim, quemadmodum vulgo credunt, perfugia. Ossa certe, quæ supra memorauimus, inusitatae molis subinde ex iis protrahuntur.
31. *Folvark*, *Kesmarkiensium*.
32. *Lipnick*, *Matyasovvskyorum*, et
33. *Lessnicze*, *Camaldunensium*, exiles vici, a Ruthenis atque Polonis culti.
34. *Lechnitz*. cum proximo cœnobio, vulgo *Claustrum Rubrum*, Germ. *Roth Kloster*, honori *S. Antonii* dicatum. Olim *Carthusianorum*, m) nunc *Camaldunensium* iuris. Subluitur a fluuio *Dunauetz*, Hungariæ et Poloniæ, distermiatore.
35. Postea *O Falu*, Germanis *Altdorff*, situ in septentrionem Occidentalem adducto, cernitur, oppidum, mercatibus insigne, iuxta et *Tricesima Regia*, magnorum redituum, quod isto itinere, generosissima Hungariæ vina euchi in Poloniam consueuerint. Ditio est *Claustri Rubri*.
36. Modico hinc interuallo vicus, *Mátyásfalva*, Germ. *Matzau*, Slau. *Matasovvucze*, sedet. Antehac dominationi *Kesmarkienfi*, nunc familiae *Matyasovvskyorum* adscriptus. habitatur a Polonis.
37. Vicinus ei est a meridie *Hanusfalua*, Germ. *Hanschau*, Slau. *Hanussovvucze*, et ipse *Matyasovvskyana* ditionis, cum ante *Kesmarkienfi* fuisse. In Ecclesia, quam modicam habet, adulto more, *Sacra Sepulchri Christi*, facere consuevit, unus, e numero *Canonicorum regularium*.
38. Profundius in meridiem orientalem *Hagy* iacet, Germ. *Hagesdorff*, exilis vicus, *Matyasovvskyana* liberalitatis documentum, cui eundem *Camaldunenses* in acceptis referunt.
39. Ad eosdem vicinus etiam pagus *Rilovva* pertinet, officina vitraria insignis. Sunt porro *Camaldunensium*:
40. *Franckova*, seu *Groß Franckenau*, et

41. *Franckovka*, Germ. *Klein Franckenau*, vici exfiles, et a Polonis habitati.
42. Hinc sunt: *Gyurkou*, *Barkótzyorum*, *Horvath Stansithorum*, *Palocfayorum*.
43. *Cfernágura*.
44. *Repisko*, *Ioanellyorum*, atque iterum,
45. *Labsánka*.
46. *Tripsch*, *Barkotzyorum* et *Horuathorum*, vici omnino tenues, et montibus interstiti, atque ideo sterili agro.
47. Neque meliori loco situs est: *Oszturna*, Germanis *Afsthorn*, familiis *Smeskal*, *Görgey*, et *Palocfay*, obnoxius.
48. *Catzvink*, vix alia re, quam insigni possessorum numero, nobilis. In his præcipui sunt, *Barkótzy*, *Görgey*, *Schvváby*, *Okolitsány*.
49. *Iezersko*, sterili et saxoso loco, a *Palocfayorum* familia conditus, nunc *Horuath Stansithorum* totus est.
50. *Gibely* siluarum loco, quas incolæ extirparunt, succreuisse putatur: Iuris *Matyasoffskyorum*.
51. *Felső Laps*, Germ. *Ober-Lapsch*.
52. *Alsó Laps*, Germ. *Nieder-Lapsch*, non infrequentes pagi, *Ioanelliorum*, *Görgeyorum* et *Berzeuitziorum*. Heic Anno 1675. *Adalbertus Labsánsky*, a latronibus, nocte concubia, circumuentus, et in domo, quam ad castelli modum condiderat, interemptus fuisse perhibetur.
53. *Durstin*, *Barkotzyorum* et *Görgeyorum* viculus. Vicinus ei est,
54. *Krempach*, rapidissimo torrenti *Bialka*, aditus, atque *Horuath Stansithorum* genti, iure obstrictus perpetuo.
55. Trans eundem fluuiolum *Uj Bela* est, *Neu-Behl* Germanis, vltimus Hungariæ, versus Poloniam, ista regione, pagus, et ipse ditionis *Horuathorum*, nundinis frequens.
56. Retracto inde situ, *Fridman*, castello insignis, *Dunauetz* amni, imminet. Ad *Palocfayos* olim pertinuit, qui et castellum, perquam elegans, vico inædificauerant. Nunc *Barkótzyorum* et *Ioanelliorum* est.
57. *Negytsza*, inter mediocres vicos censenda, et ditioni adscripta *Dunauitzenfi*.
- Atque hi quidem sunt magni huius, siue *Primi Processus*, vici, quantum equidem sciam, omnes ac singuli, quos mappa quoque nostra, si alterutrum excipias, contuendos fuit.

## §. II.

- Iam *Processum Secundum* videamus, regionis et locorum situm, secuturi. Nu- Loca  
merat is Pagos XLV. Processus  
Secundi.
1. *Felső Sunyaua*, Germ. *Ober-Schönau*, Slau. *Horná Sunyavva*, adfinis Comitatus Liptouienfi vicus, familiae *Faigl* et *Smeskal*.
2. *Alsó Sunyaua*, Germ. *Nieder-Schönau*, Slav. *Nizná Sunyavva*, Collegii S. I. Agriensium, finibus Liptouienfi Comitatus aditus.
3. *Lutsfvna*, Germ. *Leutsburg*, in via regia, quæ in Comitatum Liptouiensem ducit, extremo loco positus: hinc stationem quoque cursori publico, iam dudum, præbet. Superiorum temporum iniuria, vehementer diminutus. Iure perenni in *Noltenii* potestatem transit.
4. Depressio in meridiem situ, *Krauian* est, Germ. *Kub-Schvvantz*, tenuis viculus, et loco sterili. Collegii S. I. Agriensium
5. Proxime hinc *Kubach*, Slau. *Kubassy*, abest, ditionis et ipse *Csaunikensis*, hoc est, Col. S. I. Agriensium. Ager siluis et pascuis luxuriat.
6. *Vikartócz*, Germ. *Weigsdorff*, vicorum primus, quem Hernatus alluit. Incolæ sterilitatem agri, re pecuaria, pensant.
7. *Hranovitzsa*, Germ. *Gränitz* oppidum, nomen a situ accepit, quod proxime ad fines Comitatus *Gömöriensis*, loco amoenissimo, situm est. Olim, inter Oppida montana connumerabatur, auctumque fuit, priscorum regum priuilegiis, nunc, vti sunt difficilia tempora, in vicum decreuit. Siluæ, quas late porrectas habet,

habet, amœnissimis passim montibus distinctæ sunt, quorum cacumina in lætam desinunt planitiem. In oppido adhuc quædam pristini decoris monimenta occurrunt. puta: ædes sacra, perquam elegans, et vexillis, nobilium familiarum, emortualibus, ornata: domus publica, reponendo olim æri cyprio, nunc mercatibus, destinata. Est iuris *Illustrissimorum Comitum NYARI*.

8. *Csárvnik*, castrum, cum vico bene frequenti. Assidet Hernatho, amœno situ, qui inter montana in longam postea fertilemque vallem procurrit. Cum vniuersa ditione est *Collegii S. I. Agriensis*.

9. *Vidernik*, modicus pagus, Castro *Csárvnikensi* adscriptus.

10. *Tamásfalva*, non procul a fluuio Hernath, vna cum *allodio*, *Coll. S. I. Leutschouiensis*.

11. *Letansfalva*, Germ. *Lettensdorff*, Slav. *Letanovvce*, insignis pagus, agro fertili præditus, et *Venerab. Capitulo Scepusiensi*, obnoxius. Cereuicia heic coquitur, toto fere *Comitatu* optima, hinc *Cassouiam* subinde, atque ad vrbes alias, deuehi eam videas, magna salubritatis opinione. In primis ad vici laudem pertinet, quod rudera ostendet cœnobii *S. Iohannis Baptista de Létsánkó*, siue, *Lapidis Refugii*, ita dicti, eo quod grassantibus sub *BELA IV.* Tartaris, perfugium adfluctis Scepusiacis præbuerit. Tunc enim locus hic muro primum incingi cœptus est. Inædificatum ei postea fuit templum *S. Iohanni Baptista*, dicatum, vna cum *Cœnobio*, *Ordini Fratrum Carthusianorum*, ad incolendum permisso. quod magnificus *Kokos*, *Ricolffy* comitis filius, villa *Lechnitz*, sexaginta continente iugera, donauerat, adiecto simul piscationis iure, in amne præterlabente *Dunauetz*: quam is quidem donationem, solemnè apud *Venerab. Capitulum Scepusiense*, fassione, anno *MCCCXIX.* confirmauit, effecitque, vt rex quoque *CAROLVS Robertus*, Anno *MCCCXX.* ratam eam haberet. Diu cœnobii huius intemerata Carthusianis possessio fuit donec deleteretur penitus. Rei causâ istiusmodi fuit: Anno *MDXLIII.* d. 29. Iunii, latronum duces, *Matthias* et *Demetrius Boze*, par nobile fratrum, adscito rapinarum socio, *Podmanitzkyo* quodam, cœnobium armis sub suam mittunt potestatem, vt, quemadmodum in *Comitatu Gómoriensi*, arcem *Murány*, ita heic cœnobium istud, receptaculo sibi esset, ex quo regionem late infestare, et detractas passim prædas, heic coaceruare possent. Mature ergo obuiam itum est iniquissimo latrocinantis turbæ consilio. Enim vero, *Andreas Báthory*, defensandæ superiori Hungariæ *Capitanei* titulo præfectus, coadunatis *Sarosiensium* et *Scepusiensium* viribus, ad eos reprimendos, *MCCCC.* militum manu stipatus, animum, sine mora, adiecit. Vix vero ille terram *Scepusiensem* attigerat, cum latrones, audito eius aduentu, fuga sibi consuluerunt. Cœnobium ita desertum, *Carthusianis* possidendum porro volebat permittere *Báthory*; sed importunius a *Scepusiacis* rogatus, vt id deleteretur penitus, ne in posterum malorum esset officina, in eam petitionem, ægre quidem, consensit tamen. Igitur ad d. 19. Iulii, cœnobio relicto, *Leutschouiam* demigrauere *Carthusiani*, quod postea funditus eversum deleterumque est. Hodie a *Venerab. Capitulo Scepusiensi* possidetur.

12. *Arnutfalva*, exiguus idemque colli impositus vicus, *Collegii S. I. Leutschouiensium*.

13. *Drauetz*, German. *Autz*.

14. *Kuntscheibchen*, Slau. *Hraditzko*.

15. *Lengvarth*, Germ. *Petzier*.

16. *Torisa*.

17. *Bürgerhoff*, Slav. *Dvoretz*.

18. *Závada*, German. *Tschernoblat*.

19. *Küpperschn*, Slav. *Uloza*. *Leutschouiensium* pagi, sed vanis nobilium familiis, ob temporum difficultatem, pignori dati. Reliqui sunt:

20. *Roskótz*.

21. *Görgó*, familiae *Görgeyanae* sedes et origo, castello atque pluribus ædibus, nobilis.

22. *Roskócz*. Ven. Capituli *Scepusiensis*.

23. *Koncsan*.

24. *Dolyán*, vterque familiae *Tókeianae*, sed exiles admodum.

25. *Kóltsva*, *Coll. S. I. Leutschouiensis*.

26. *Buglótz*, familiae *Görgey*.
27. *Harasz*t, *Mariaforum*, cum castello.
28. *Körtvélyes*, Slav. *Hrussóvitza*, familiarum *Töke*, et *Gerhard*.
29. *Odorócz*, siue *Odorin*.
30. *Markusfalva*, Germ. *Marcksdorff*, Slav. *Markusórvucze*, *Mariafianorum* titulis et imaginibus, clarus. Habet eleganter substructum castellum.
31. *Csepánfalva*, Germ. *Csepensdorff*, Slav. *Scepanórvucze*, castellum iuxta cum vico iuris itidem *Mariafianorum*.
32. *Leskovan*.
33. *Teplitzke*.
34. *Závadka*. Sedet in edito monte, latronum aliquando domicilium.
35. *Mattheócz*.
36. *Porács*, montibus aditus. Vici ditionis *Mariaforum*, a plebe *Rutena* habitati.
37. *Iannik*, *Leutschouiensium*.
38. *Wagendrüssel*, montanum oppidum, in conualle positum, et venis ferri, quod copiose heic eruitur, insigne. Iuris peræque *Mariaforum*. Incolæ germani sunt omnes, sed lingua et moribus, haud fere absimiles agrestibus.
39. Superfunt cis *Hernathum*, *Iánócz*, seu *Villa Iohannis*, Germ. *Hansdorff*, *Ven. Capituli Scepusiensis*, perquam tenuis.
40. *Ganótz*, Germ. *Gansdorff*, viculus, *Processus* huius fere minimus, altera sui parte *Sedi Decem Lanceatorum* adscriptus.
41. *Primótz*, pagus, ex aliquot nobilium villis coalitus.
42. *Farkasfalva*, Slav. *Farkasórvucze*, Germ. *Farksdorff*. Familiarum *Görgey*, *Berzevitzy*, *Závor* et *Horánsky*. Sua quoque heic *V. Capitulo Scepusiensi* pars est.
43. *Svabótz*, Germ. *Svabsdorff*, forte a primis conditoribus ita dictus, et mediocribus accensendus, ditionis *Horváth Stansithiana*. Prima heic cursoris statio est, *Leutschouia*, in *Comitatum Liptouiensem* proficiscentis.
44. *Hozeletz*, Germanis *Hofútz*. Parte altera *Okolitsányorum* iuris est, altera vero *Sedi Decem Lanceatorum* accensus.
45. *Teplitze*, insigne *Csaunikiensis* *Dominii* oppidum, atque *processus* huius facile copiosissimum.

### §. III.

Superest, ut vltimum siue *Tertium Processum*, itinere, quam licuerit, compendiosissimo, peragemus. Occupat is tractum *Comitatus* satis amplum, qua is *Sarosiensis*, et *Abaujvariensis* adfinis est. Oppida et vici XXXVI. ei adscribuntur, quæ iam *Loca Processus Tertii* videamus.

1. *Schvedler*, montanum Oppidum, atque ita frequens, ut inter copiosissima, totius *Comitatus*, iure censi possit. Habet venas æris cyprii, satis diuites. Olim iure hæreditario *Illustrissimæ Csakyorum* familiae exstitit, sed postea permutationis lege, fisco regio accessit. Oppidani omnes Germani sunt, crassi admodum oris.

2. *Szomolnok*, Germanis *Schmölnitz*, priori suppar, et ad confinia *Comitatus Gömöriensis* reiectum oppidum. Coluntur heic quoque æris cyprii venæ, magno fisci regii prouentu. Celebratur in primis ob aquam *Vitriolicam*, vulgo *Ziment-Wasser*, quæ ferro absumto, cuprum in eius locum, successu temporis, aggerit: de qua suo loco studiosius agemus. Bello *Botskajano*, hoc est, anno MDCIV. a *Hajdonibus* fuisse exustum, vna cum machinis, memorat *ISTVANFIVS*, ut ægre facerent *Christophoro Turzoni*, (nam ad eum tunc pertinuit,) arcem *Scepusiensem* strenue defensanti. Colitur a Germanis.

3. *Stoos*, montanum, sed modicum oppidum, cuius incolæ ferro eruendo fundendoque occupantur. Situ, *Comitatus Gömöriensis*, adfine.

4. *Folkmar*, vltimus *Comitatus* nostri, qua ad *Abaujvariensem* vergit, vicus, *Ill. Csakyorum* familiae.

5. *Iekelfalva*, Germ. *Jecklsdorff*, Slav. *Iaklovucze* familiae cognominis possessio; ferri fodinis nobilis.

6. *Margétfalva*, Slav. *Margeczán*, pertinet ad eodem *Iekelfalusias*, situsque est ad *Hernath*, et *Gölnitz* confluentes.
7. *Sachorótz*, subducto altius situ, ferri prouentu insignis vicus.
8. *Alsó Slouenka*.
9. *Felső Slouenka*.
10. *Richno*. Et trans *Hernathum*,
11. *Hrisótz*.
12. *Kaliva*, mediocres vici, hæreditario iure ad *Illustriss. Csákyorum* gentem pertinentes.
13. *Vójkótz*, acidulis notus, quæ præter communem fontem, in cellario quodam scaturiunt.
14. *Klukno*, cum castello.
15. Ac transmissio iterum *Hernátho*, montanum oppidum *Krompach*, dextræ *Hernathi* ripæ adpositum, præstanti, quod hic eruitur, ferro, celebre, eidem *Ill. Csákyorum* familiæ obstrictum.
16. Supra *Olafzy*, Oppidum *Vélbach*, seu *Eylenbach* sedet, vnum ex iis vndecim, quæ dominationi *Csákyorum* subsunt.
17. Non longe *Kattuny* abest, vicus *Ven. Capituli Scepusiensis*.
18. Et in occidentem *Vitkócz*, eiusdem *Ven. Capit. Scepusiensis*.
19. *Petrócz*, et
20. *Crantz* ad orientem siti, coadunatique pagi, sedes nobilium.
21. *Pongrázsfalva*, olim iuris *Horváth Kissevitz*, nunc familiæ *Petróczy*, cum agro haud infœcundo.
22. *Ordzovány*, ad orientale Oppidi *Varallya* latus, *residentia S. I.* quæ est in *Capitulo Scepusiensi*.
23. *Kolbach*, viculus infra *Várallyam* situs, olim incolarum frequentia insignis, nunc pene ad incitas redactus. Est *residentia S. I.* in *Capitulo Scepusiensi*.
24. Ultra Oppidum *Várallya*, situ in Septentrionem porrecto, *Almás* est, *Slavis Jablonovva*, iniquitate temporum pessundatus. *Ven. Capituli Scepusiensis*.
25. *Lutska*.
26. *Nemesány*.
27. *Pavlány*, vici eidem *Capitulo Scepusiensi* subditi.
28. *Podprotsz*, *Pálfalvaj*, ditio.
29. *Felső Répas*.
30. *Alsó Répas*. *Görgeyorum* pagi.
31. *Olsavitza*, a *Rutenis* culta, *Görgeyorum* possessio, fungorum, quos *ceruinæ* vocant, dives.
32. *Brutócz*, pagus familiæ *Horváth Kissevitz*.
33. *Felső Szalók*, Slav. *Wissny Slavkovu*, conterminus *Comitatui Sarosiensi*.
34. *Polyanka*, familiæ *Lány*.
35. *Korotnok*, *Slavis Koritnya*, ad radices montis *Bransko*, ex filis pagus, familiæ cognominis. Habet stationem veredariam.
36. *Harakótz*, familiæ *Szakáts* de *Petrócz*.
37. *Kolonócz*, *Slavis Kolynovucze*, exigua *Ecclesia Olafzienfis* possessio.

## §. IV.

*Ditio Illustrissimorum Comitum Csáky.* Fuere hæc *Trium Processuum* oppida et vici. ordo nunc poscit, vt ditionem quæque *Illustrissimorum Comitum Csáky*, insignem profecto, perlustremus. Tredecim ad eam oppida, inter quæ duo metallica, et pagi duodecim, referuntur. Sunt vero:

1. *Vélbach*, siue *Eylenbach*, de quo supra diximus, oppidum mediocre.
2. *Zákócz*, Germ. *Eysdorff*, inter oppida *Strasa* et *Verbó* situm.
3. *Milenbach*, trans *Popradum*, amœno positu, sed et agro fertili.
4. *Nagy Szalók*, Germ. *Groß Schlagendorff*, priori vicinum et suppar.
5. *Káposztásfalva*, Germ. *Kabsdorff*, *Slavis Hrabusicze*, coctura cereuisiæ celebre, quam vulgus *Harabunsánka* nominare consuevit. assidet sinistra *Hernathi* ripæ.

6. Oppidum *S. Ladislai*, alias *Quintoforum*, vulgo *Cštörtökbely*, Germ. *Donerfmarck*, Slavis, *Stovvartek*, modico interuallo Káposztafalva, in orientem, dis-iunctum. Origine \* *Comitum Henckel* in Silesia, clarum. Habet *cænobium minorum Conuentualium*.

7. *Szmisány*, Germ. *Schmegeu*, supra Iglouiam. Colit rus, pingue satis atque fertile.

8. *Kuriman*, Germ. *Kirn*. Nomen a *Quirino* quodam, Romanorum duce, qui hic loci sepultus sit, accepisse fertur.

9. *Illyésfalva*, Cerm. *Sperndorff*, Slavis *Iliasfovvcze*. *Eminentissimi Cardinalis Csáky* secessus, perquam opportunus, quoties heic locorum diuersari eum contingit.

10. *Harigótz*, German. *Balmsdorff*, Slavis *Harikovvcze*, fertili amœnoque solo.

11. *Danisócz*, seu *Densdorff*, oppidorum vndecim vltimum, rure pingui, aliisque opportunitatibus præditum. Ad ditionem hanc pertinent porro:

12. *Remete*, Germanis *Einsiedl*, Slavis *Mnisky*, oppidum metallicum, atque prouentu ferri memorabile, eo loco situm, vbi mineralis Szomolnokiensium riuus, Gölnitzio amni confluit. Colitur a Germanis.

13. *Gölnitz*, fluuio cognomini adpositum, æque metallicum oppidum, sed priori illo frequentius, quemadmodum venæ quoque ferri, quas habet, præstantiores sunt fructuosioresque. Oppidani Germani sunt omnes. Succedunt:

14. *Helczmanótz*.

15. *Koissó*.

16. *Szlatonya*.

17. *Olzauka*.

18. *Dubrava*, exfiles vici.

19. *Sigre*, seu *Sigra*, proximus Oppido Olaszý vicus, inclutæ SIGRAYORVM familiæ natalibus celebris.

20. *Beharótz*.

21. *Hintzócz*.

22. *Domanyfalva*, siue *Domanyótz*.

23. *Mindszent*.

24. *Oltšno*, modici pagi.

25. *Baldótz*, aquis ad lauandum salutaribus, iuxta & acido fonte, apud Scepusios, notus.

## §. V.

Atque hæc sunt opimæ Csákyorum ditionis loca, sed quæ temporum iniuria *Ditiones*, nimium, quantum imminuit. Reliquæ ditiones, *Dominia* vocant, sunt: *seu Do-*

1. *Dunavetzensis*, quam et *Negyztensem* dicunt, *Spectab. et Magnificorum Baro-* *minia*  
*num Ioanelli*. Vicos potissimum per tractum *Processus Primi*, sparsos habet, quos, *reliqua.*  
quia illic recensuimus, heic recognoscere, superuacuum foret.

2. *Csarnnikensis*, olim *Comitum de Zápolya*, *Lasky* postea, denique *Tököhorum*.  
Hodie Collegii *S. I. Agriensis* est, insigne liberalitatis *Georgii Szetsényi Archiepiscopi*  
*Strigonienfis*, documentum.

3. *Leutschouiensis*, pluribus olim pagis diues, sed quos infaustæ vrbis conuersio-  
nes, inter plures possessores dispertuerunt, vti suo loco adnotauimus.

4. *Kesmarkiensis*, copiosa olim ditio, cum integræ fuissent *Tököhorum* res, nunc,  
post arcem a Kesmarkiensibus emtam, penitus extincta.

Hh

§. VI.

\* Vide CL. IOHANNIS SINAPII a finis  
nostri, *Schlesische Curiositäten, erste*

*Vorstellung.* p. 979. b. Dicebantur olim,  
*Domini Henckel de Quintoforo.*

## §. VI.

*Familia  
Comita-  
tus Sce-  
pusiensis.*

Ista ergo fuit *Sedes*, incluti Comitatus Scepustensis, *Inferior*, seu *Maior*. Operæ nunc fuerit pretium, si familias eius, quæ et antiquitate præstant, et indigenæ sunt, ex ordine alphabeti, ne sit quædam prærogatiuarum concertatio, recensuerimus. Et in optimatum quidem numero eminet:

Excelsa, et antiquitate generis, atque meritis in Hungariam, *Illustrissima* DN. DN. COMITVM CSA'KY de *Keresztészeg*, familia, quæ suo quodam merito, *Perpetuorum* et *Supremorum Terra Scepustensis Comitum* axiomate gaudet. Feliciter! et cum perennitate!

Postea *Speçtabiles* et *Magnifici Barones Ioanelly* de Dunajetz nominandi sunt.

Extincti sunt penitus: *Comites* de *Zápolya*; *Varkótzy*; *Turzones*; *Tököly*.

Sed e nobilium ordine in primis florent:

*Berzevitzy*, de *Berzevitze*, in Comitatu *Sárosiensis*: *Budabázy*: *Drauetzky*, de *Drauetz*: *Görgey* de *Görgö*, et *Toporcz*: *Horuath Stansith* de *Gradécz*, *Domi-  
ni* in *Neer*: *Horuath* de *Brutóc*: *Iakelfalusy*, de *Iakelfalva*: *Lusinsky*: *Mariáffy*, de *Markúschfalva* et *Batissfalva*: *Matyasóvrvsky*, de *Alsó Matyasócz*, in Comitatu *Liptouienis*: *Mersy*, seu *Mercy*, de *Szine*, in Comitatu *Sárosiensis*, origine *Lotharingi*: *Nemesány*, de *Nemesán*: *Sváby*, de *Svábotz*: *Székely* de *Hunsdorff*: *Záborszky*: reliquæ.

*Auctoris  
deside-  
ria.*

Ceteroquin, vehementer cuperem, si pro se quisque, quod ad gentis suæ decus atque ornamentum pertinet, haud grauate mecum communicaret in posterum, ut singulorum Comitatum familiæ possent ex domesticis monumentis illustrari. Huc vero facere, *diplomata*, *donationes*, *insignia*, *connubia*, *adfinitates*, et *tabulas genealogicas*, cetera, nemo non videt. Decorum erit, maiorum ostendere posse imagines, designare generationes, commemorare, quas gesserint, dignitates, dillaudare actus, et quibus rebus de rege, ac patria, bene meruerint. Sed neque probrosum esse poterit cuiquam, suapte virtute emeruisse: nam et noui homines, fiunt veteres; et quorum nunc veneramur nomina, cana illa ætate celebria, noua ea fuere, cum primum in ore omnium esse cœpissent. Nimirum

*Nobilitat virtus hominem, virtute remota,  
Migrat in exsilium nobilitatis honos.*



MEMBRUM II.

De  
Sede Decem Lanceatorum.

Synopsis.

Sedis Decem Lanceatorum origo, prerogativa, et muneris rationes. §. I.

Loca, quae ad eam pertinent. §. II.

Familia Sedis huius praecipua. §. III.

§. I.

**D**iximus supra, cum de Terrae Scepusiensis divisione solliciti fuisset, dispesci eam in *Sedem Inferiorem*, seu *Maiorem*, et *superiorem*, siue *Decem Lanceatorum*. Illam, curiositate, quam fieri potuit, attentissima, iam perlustrauimus, residuum proinde est, ut istam quoque peragremus; sed breui tamen itinere, et sparso per Comitatum vniuersum. neque enim perpetuo tractu, loca, quae habet, sibi ipsis contigua sunt, sed passim disiecta. Nomen *Sedes* haec a munere indepta est, quod nobiles huius regionis viri, apud priscos Hungariae reges obire habebant necessum. Nempe, armatos lancea prodire, regemque oportuit sequi, quoties id publica regni salus, aut bellum aduersus communes hostes susceptum, requirebat. Neque tamen aliter, quam ductu regis militabant. Atque hoc illi munere haud inaniter fungebantur; praeterquam enim, quod inter praecipuos erant corporis custodes, certe praelium proximi circa regem inibant. Virtutis laus omnis in eo ponebatur, tutari regem, & suo ipsorum periculo defendere, publicae securitatis praesidium. Auxit prerogatiuam eorum BELA IV. Suum illi *Vice-Comitem*, habent, atque hic Iudicem nobilium, qui lites dirimat, et ceteras huius muneris partes, obeat. Consensio cum *Sede Maiori* mutua ipsis semper est: *Supremus Comes* idem. Sed enim, iura, quae habebant, et adhuc habent, reliqua exponemus, cum opportunum fuerit, nunc, locorum habebimus rationem, *Sedi* huic adscriptorum.

Sedis Decem Lanceatorum origo.

Prerogativa et muneris rationes.

§. II.

Sunt eadem numero XIV. ac in his:

1. *Abrahamsfalva*, Germanis *Abrahamsdorff*, Slauis *Abrahamovcze*, inter primos sedis huius pagos merito censendus: nam et frequens est, et ea fertilitate agri, quae paucis contigit. Aetate superiori erat familiae *Abrahamovvsky*, nunc accisis eius opibus, ad *Töke*, *Nemesány*, et *Záborzsky* pertinet. Loca, quae ad eam pertinent.
2. *Leukótz*, Germ. *Ladensdorff*, viculus tenuis, a modica plebe, eaque paupere, cultus. Est familiae *Görgey*.
3. *Pikkótz*, Germ. *Pickensdorff*, aequae tenuis pagus, *Görgey*orum, *Zaborzskyorum*, et familiae *Maukšch* possessio.
4. *Csentsitz*, Germ. *Ischenckensdorff*, constat aedibus et villis *Decem Lanceatorum*. Sed ius tamen haereditarium habent familiae *Záborzsky*, *Vitális* et *Horuáth Gecsek*.
5. *Machálfalva*, Germ. *Machlsdorff*, nihil praeter *Decem Lanceatorum* aedificia, habet.
6. *Komarócz*, familiae *Sváby*, decrevit adeo, ut vnica admodum libertini cuiusdam domus superstit, quae nomen vici vix ac ne vix quidem tuetur. Gaudet acidulo fonte perquam salubri.
7. *Horka*, vicus est, cum eleganti familiae *Budahazyana* castello. Hic quoque pluribus locis acidulae scatent.
8. *Szent András*, nobilium e *Decem Lanceatis* peropportuna sedes, acidis fontibus praedita.
9. *Kiszócz*, *Görgeyana* familiae secessus, cum aliquot *Decem Lanceatorum* aedibus. Acidulae, quae hic saluunt, lapidescentis sunt naturae.
10. *Hozeletz*, altera sui parte; nam altera *Processui secundo* accensetur. Constat aliquot *Decem Lanceatorum* domiciliis.

- 11. *Lánótz*, parte itidem media, Sedi Decem Lanceatorum adscriptus. Est *Okolitsányorum* ditio.
- 12. *Philitz*, insignis vicus familiae *Töke* et *Okolitsány*.
- 13. *Bethlehemfalva*, olim inter titulos *TVRZONVM* relata; iam familiae *Faigel* et *Görgey* obnoxia.
- 14. *Hadusfalva*, Germ. *Hadersdorff*, Slavis, *Hadussorvetz*, colitur ab ipsis *Decem Lanceatis*.

§. III.

*Familia Sedis huius praecipua.* Praecipuae Sedis Decem Lanceatorum familiae sunt: *Aczelly*: *Bencik*: *Budaházy*: *Faigel*: *Görgey*, lineae *Bethlehemfalvensis*: *Hadbávnny*: *Horváth Gecsek*: *Kurtha*: *Nemesány*: *Okolitsány*: *Szent Andrásy*: *Szent Ivány*: *Vitális*: *Záborsky*, cetera.

Tabula Itineraria  
Terrae Scepusiensis.

<p>I. VIA REGIA cursoris publici, ex Comitatu <i>Liptouienſi</i>, per Terram <i>Scepuſienſem</i> in Comitatum <i>Sároſienſem</i>, tendens:</p> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. <i>Lutſivna</i>,</li> <li>2. <i>Svábótz</i>, <i>milliaria</i> - - - 2</li> <li>3. <i>Leütsóvia</i>, <i>m.</i> - - - 2</li> <li>4. <i>Korotnok</i>, <i>m.</i> - - - 2</li> </ul> <p>Difficillimo hinc itinere, <i>Mons Bransko</i> superandus est, dum ad vicum Comitatus <i>Sároſienſis</i>.</p> <ul style="list-style-type: none"> <li>5. <i>Siroká</i>, ac per</li> <li>6. <i>Friſchovetz</i>, <i>Hedvikótz</i>,</li> <li>7. <i>Bertotovam</i>, <i>m.</i> - - - 2</li> </ul> <p>atque hinc</p> <ul style="list-style-type: none"> <li>8. <i>Eperjeſinum</i>, <i>perueniatur. m.</i> 2</li> </ul> <p>II. ITINERA alia ad eundem Comitatum <i>Sároſienſem</i> ducentia.</p> <p>Primum. I. <i>Leütfovia</i>.</p> <ul style="list-style-type: none"> <li>2. <i>Várallya m.</i> - - - 1</li> <li>3. <i>Alsö Szalók Comit. Sároſienſis vicus, m.</i> 1</li> <li>4. <i>Tartza, m.</i> - - - 1</li> <li>5. <i>Cibinium m.</i> - - - 2</li> <li>6. <i>Eperjeſinum m.</i> - - - 2</li> </ul> <p>Secundum. I. <i>Leutſchouia</i></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>2. <i>Vloza: Brutocz. m.</i> - - - 1</li> <li>3. <i>Felső Szalók. m.</i> - - - 1</li> <li>4. <i>Cibinium. m.</i> - - - 2</li> </ul> <p>Tertium. I. <i>Leutſchouia</i></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>2. <i>Kesmarkinum, m.</i> - - - 2</li> <li>3. <i>Neer: Bela: Buſótz, m.</i> - - - 1</li> <li>4. <i>Podolintz: Alſódrusbach</i></li> </ul>	<ul style="list-style-type: none"> <li>5. <i>Gnyafzdo: Lublyó. m.</i> 2</li> <li>6. <i>Hobgard</i></li> <li>7. <i>Palócſa, Com. Sarof. m.</i> - - - 1</li> </ul> <p>Quartum. I. <i>Leutſchouia</i></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>2. <i>Olafzy. mill.</i> - - - 1</li> <li>3. <i>Krompach. m.</i> - - - 1</li> <li>4. <i>Kluckno m.</i> - - - 1</li> <li>5. <i>Hrabka, in Comitatu Sáros. m.</i> 1</li> <li>6. <i>Kereſztfalva: Svinya. m.</i> - - - 1</li> <li>7. <i>Eperjeſinum, m.</i> - - - 1</li> </ul> <p>III. ITINERA, quæ ad Comitatum <i>Gömörienſem</i> deducunt.</p> <p>Primum. I. <i>Leutſchouia</i>.</p> <ul style="list-style-type: none"> <li>2. <i>Iglouia m.</i> - - - 1</li> <li>3. <i>Zavadka: Wagendrüffel m.</i> - 1</li> <li>4. <i>Trans editos, atque latrociniis infames montes Wolovvecz, Tfutſom, Com. Gömörienſ. m.</i> - - - 2</li> <li>5. <i>Rofnauiam. m.</i> - - - 1</li> </ul> <p>Secundum. I. <i>Leutſchouia</i></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>2. <i>Csötörtökhely, m.</i> - - - 1</li> <li>3. <i>Gränitz, m.</i> - - - 1</li> <li>4. <i>Vernerd Com. Gömör, poſt ſuperatas pilas. m.</i> - - - 1</li> <li>5. <i>Telgard m.</i> - - - 1</li> </ul> <p>IV. ITER in Poloniam tendens,</p> <ul style="list-style-type: none"> <li>1. <i>Leutſchouia</i></li> <li>2. <i>Kesmarkinum m.</i> - - - 2</li> <li>3. <i>Trans montem Magura, ó Falu, m.</i> 2</li> <li>4. <i>Transmiſſo Dunavetz amne in Poloniam, m.</i> - - - 1</li> </ul>
--	--







С. ПЕТЕРБУРГ  
ИЗДАТЕЛЬСТВО  
С. ПЕТЕРБУРГ  
С. ПЕТЕРБУРГ

# HUNGARIAE NOVAE LIBER TERTIVS PHYSICVS.

## CAPVT I.

### De Coeli et Soli Hungarici Natura.

#### *Synopsis.*

**P**HYSICVM adpellamus, Tertium, HUNGARIAE NOVAE, Librum, quod eo, *naturalem historiam*, complecti animus est. Accusant exteri coeli Hungarici inclementiam, nos eam, sicuti est, describimus, non tam nostris, quam auctorum, qui ea de re commentati sunt, verbis vsi. Ad demus non pauca, quæ de solo Hungarico, eius fertilitate et qualitatibus reliquis, dici poterunt, ea semper adhibita circumspectione, ne quid adferamus, quod seu iusto minus sit, seu nimium.

## CAPVT II.

### De Fluuiis Hungariæ.

#### *Synopsis.*

**F**luuiorum Hungariæ, ea dignitas est, vt locum iis Regni insignia præbuerint. Sunt autem Hungariæ Fluuii, vel apud exteros orti, ac patriam nostram irrigantes, vel intra domesticos fines nati absorptique. Inter illos eminent fluminum Europæ pater, DANVBIVS, post hunc SAVVS, DRAVVS, LEITHA, atque ARABO, vicinis Germanis, Carnis, Carinthiis atque Styriis, apud quos fontes habent, et prima incrementa, satis noti. Ad posteriores referuntur, TIBISCVS, VAGVS, GRANVS, ARVA, THVROTZ, IPOLA, RIMA, SAJÓ, BODROGH, ZADGYVA, MARISIVS, SIVÓ, SÁRVIZ, TEMES, ceteri, qui omnes in sinu Hungariæ nati, et varie secum permixti, partim DANVBIO, partim TIBISCO hauriuntur. Est et fluuius, qui ex Hungaria in Septentrionem decurrit, POPRADVS Scepusiorum. In his describendis id præcipue dabimus operam, vt indagatis singulorum fontibus, quo cursum teneant, quos vel interfluant, vel alluant Comitatus, vrbes, oppida, arces, probe definiamus. Erit hic agendi locus de singulorum fluminum piscibus: quorum indolem ex historia naturali describemus. Piscationis

raciones postea excutiemus. In primis ANTACEORVM, *Huzones* vocant, capturam explicuisse iuuabit, adpersis, quæ de inusitato hoc piscis genere ex antiquitate promi poterunt. Huc et ea referemus, quæ obseruatu videbuntur necessaria, de nauigatione fluuiatili, siue ea fiat nauibus, siue ratibus, et annon ea expeditior commodiorque reddi possit?

## CAPVT III.

## De Lacubus Hungariæ.

*Synopsis.*

**S**ed nec Lacus desunt Hungariæ. Principem hic locum obtinent, Lacus BALATON, Germanis *Platten-See*, et Lacus PEISONIS, Germanis *Einsiedler-See*, Hungaris FÖRTO. Inquirimus in antiqua eorum nomina, situm, amplitudinem, et quos pisces animaliaue alant: vbi et de piscatione lacustri, qualis æstatis non minus, quam brumæ temporibus institui, consuevit. Mentionem hic et illorum lacuum fieri oportebit, quos mirando naturæ opificio, montes Carpatici habent: horum iucundam exhibebimus descriptionem, ab *αὐτόπτοις* concinnatam. Stagna, et paludes, iuuabit saltem non siluisse.

## CAPVT IV.

## De admirandis Hungariæ Aquis.

*Synopsis.*

**A** quarum Hungariæ miracula narraturis, multa se offerunt, quæ vti relatu digna sunt, ita difficilem habent indagationem: enimvero natura benignior, iis Hungariam nostram, non modo muneribus cumulauit, sed nobilitauit etiam prodigiis, quæ frustra alibi quæsiueris. Sed ne in tanta *Admirandarum Aquarum* copia, iuxta et varietate fluctuemus, ita caput hoc partimur, vt *Salutares* aquas primo loco; inde *Letiferas*; *Metallicas* postea, atque *Lapidescentes*; mox *Coloratas*; et *Salsas*; denique illas, quæ sunt æstate *glaciales*, commemoremus. SALVTARES aquas *vulgares* partim, partim *medicatas* habemus. *Illas* vehunt *Fluuii*, quos recensemus, atque fontes, passim locorum scatentes: has autem præbent *Thermæ*, ac *Fontes* cum dulces, tum acidi. Aquas LETIFERAS vulgò creditas, complures numeramus, quales charonea illa scrobs ad vicum *Ribár*, in *Comitatu Zoliensi*, eructat; de quibus quidem proluxa commentatione agemus, vt de reliquis huius generis fontibus eo queamus iudicare expeditius. Inter METALLICAS eminent *Neosolienses*, toto orbe celebres, quæ sunt in Fodina, quam *Vallis Dominorum*, IV. mille, ab vrbe in septentrionem, passibus, habet: eam metallici germanico vocabulo *Zimment-Wasser*, vocant: habetque miram efficaciam, vt arroso, quod ei iniicitur, ferro, æs nobilissimum deponat. In huius naturam artis Chymicæ beneficio, inquirendum voluimus.

Huc et *Szomolnokenses* aquas, naturæ confimilis, referimus. *SALSAS*, *Sárosinum*; *COLORATAS*, fodinæ Vallis Minorum, exhibent, ex quibus viride pigmenti genus, in alucis ac cadis, ad id factis, subsidens extrahitur. *LAPIDESCENTES*, passim in antris quin et Thermis sunt obuiæ: *GLACIALES*, in *Comitatu Tornensi*, ad vicum *Szilicze*, in retruso quodam antro, nec non in *Scepusiensi*, deprehenduntur, quæ immutato quasi naturæ ordine, dum æstas feruet, glaciem, tepidas contra aquas præbent, dum extra gelu rigent omnia.

## CAPVT V.

## De Thermis Hungariæ.

*Synopsis.*

**S**UNT THERMÆ ingens naturæ beneficium, quibus abundat Hungaria nostra. Nouem Celeb. *KIRCHERVS*, iunctis simul regionibus vicinis; frequentiores alii, numerant. Sed multo sunt plures. Enim vero, si eas saltem velis supputare, quæ plurimum frequentantur, geminandus erit numerus: Sunt namque *Agrienses*, *Budenses*, *Baynoczienses*, *Beliczenses*, *Eisenbachenses*, quas et *Vihnenses* dicunt, *Luts-kenses*, *Miskoltzienses*, *Pistenses*, *Ribarienses*, *Raitzenses*, *Sklenen-ses*, *Stubnenses*, *Strigonienses*, *Szent Iuanenses*, *Tatenses*, *Trenschinienses*, *Varadienses*, *Scepusienses*. Sed Thermæ Hungariæ, vel natura calidæ sunt, quales iam enumerauimus; vel ignis beneficio calefiunt, quorum innumeros fontes sulphureos retuleris. horum insigniores *Heffeleimenses*, *Sz. Volfenses*, *Sz. Georgyenses*, ceteri. In describendis utrisque, celeberrimorum patriæ nostræ Medicorum opera nobis succurritur, neque nos aliud agimus, quam ut eorum lucubrationes, dictione, quæ vniuerso operi respondeat, inuestiamus. Sigillatim vero tria tractationis membra constituuntur: Primum *HISTORICVM* est, quo origo, et fata Thermarum expromuntur; Secundum *PHYSICVM*, quod de natura Thermarum agit; Tertium denique, *MEDICVM*, quod vsum et effectum Thermarum describit. Dabimus huius operæ specimen, in Thermis *SKLE-NENSIBVS* et *VIHNENSIBVS*.



## I.

## De Thermis Sklenensibus.

## MEMBRUM I.

## HISTORICVM.

## De origine et fati Thermarum Sklenensium.

## Synopsis.

*Auſtorum de Thermis Sklenensibus testimonia. §. I.*

*Earum nomen unde? situs amœniſſimus: BROWNII et TOLLII de fodinis loci huius, verba. §. II.*

*Thermarum lauacra quot? ſcaturigines diuerſe. §. III.*

*Feruos earum nimbo imminutus: tractus iſtius indoles. §. IV.*

*Mira templi ac cœmeterii natura: eadem cum cœmeterio Pariſienſi et Roſtochi-enſi, conſertur; rei illius cauſſa. §. V.*

*Specus ſudatoria a natura facta: VERNHERI, BROWNII et TOLLII verbis deſcribitur. §. VI.*

*Auſtoris de ea narratio. §. VII.*

*Plenior eiſdem deſcriptio. §. VIII.*

## §. I.

*Auſto-  
rum de  
Thermis  
Sklenen-  
ſibus te-  
ſtimonia.*

**N**ullum eſt dubium, Thermas SKLENENSES, de quibus iam acturi ſumus, priſcis temporibus, et cum primum Saxones tractus iſtos montium Carpathicorum inſiderunt, cognitae uſurpatasque fuiſſe. Sed, quæ eſt Hungariæ noſtræ infelicitas, quod ipſa ſuarum opum ignara eſt, vix aliquam earum mentionem apud ſcriptores reperias. Primus, quod equidem ſciam, VERNHERVS a) thermarum noſtrarum meminit: *Non diſſimilis, inquit, ſunt hiſ (de Stubnenſibus calidis dixerat) inter Cremniciam et Schemniciam, quæ ſunt duo præcipua oppida inter montana, de quibus ſupra dixi. Manant ex rupe ſic nata, ut lauantiſ tectum et umbram præbeant. Nec tantum ipſæ pro ſalutaribus habentur, ſed etiam canum earum, quod PLINIVS quoque inter calidarum utilitates retulit, medicam vim creditur obtinere. Itaque in eo quidam, ulceroſi, præſertim, ibi prope, qua fluunt, volutari ſolent. Hæc VERNHERVS; ſed thermarum nomine, forte quia id ignorabat, haud expreſſo. Plura ex BROWNII, hominis Angli, itinerario diſcas. Non dubium eſt enim, niſi pleraque diuerſis in locis obſeruâſſent, et litteris mandâſſent, homines externi, quin ea indigenarum negligentia nunc luce, ſuique memoria et admiratione, carerent, quemadmodum recte obſeruat b) HERBERSTEINIVS. Ita vero laudatus BROWNIVS: c) *Frequen-tatur locus hic (Glaſhütten Germanis, Slauiſ Sklenuo) a multis, ob calidarum, quæ hic ſcaturiunt, ſalubritatem. Harum quinque ſunt lauacra, ad quæ gradibus deſcenditur, laxiſ beneque altiſ tectiſ, aduerſus tempeſtatum iniurias munita. Ipſa calidarum ſcaturigo limpi-da eſt, ſed quod in fundo deponit ſedimentum, rubrum id quidem atque viride; Tigna ſca-mnaque, lapidea quadam obducuntur materie, et argentum, quod iſ inſertur, adſcito colore, aurum mentitur. Hactenus ille. Elegans et Clar. IACOBI TOLLII de Thermis noſtris d) locus eſt: Itaque vix, inquit, ac ne vix quidem, diuelli ab amicis, et Schemnitzio diſcedere poteram, ita me illorum proluxa humanitas, et indagatarum in fodinis rerum dulcedo inefſcarat. Tandem tamen triſti vale dicto, Cremnitzium iter inchoaui. Medio fere itinere Therma me remorata ſunt, et ut ibi ſuſſiterem, effecerunt. Nomen huic loco a thermis eſt Hungaricum Tepliz, ab officiniſ vitriariſ, Germanicum eſt Glaſhütten. Fontes hic XXX. circiter aut XL. e terra paſſim ebulliunt, admirabili natura bene-**

a) De Admirandis Hungariæ Aquis.

b) In Epistoſa ad Vernherum, tractatuſ de admirandis Hung. Aquis, præmiſſa.

c) Itinerarii Lib. II. Parte II. c. IV. p. 173.

d) Epistoſa Itineraria V. p. 169.

beneficio. Hos ea cum voluptate spectavi, et eorum exultationem, procursum, incrustationem diuersicolore marginum, viridemque his adhaerentem muscum, et qua id genus alia, ut cibi potusque obliuiscerer, et a famulo ad reficiendum corpus reuocari necessum haberem. Ita de thermis nostris scriptor elegantissimus, et naturæ scrutator eximius. Plura, quæ exteri adnotauissent, iam non succurrunt, neque nostra interest, cum scriptorum istam lacunam ipsi nunc explere connitamur.

## §. II.

Sunt vero Thermæ nostræ, milliari vno ab vrbe Schemnitzensi, aquilonem versus, trans præruptos montes, eo itinere sitæ, quo itur Cremnitzium. BROWNIVS septem milliaria Anglicana interponit. Vicus, a quo nomen acceperunt, Comitatus Barsiensis adscriptus est, Germanis Glashütten, Slaus Sklenno, dictus. quod nomen et apud Hungaros retinet; ut adeo fallatur Cl. TOLLIVS, ignoratione linguæ Hungaricæ, cum, nomen, inquit, huic loco a thermis est Hungaricum Tepliz; ab officinis vitriariis, Germanicum est Glashütten. Tepliz enim Slaucum est vocabulum, et Thermas notat promiscue omnes. Situm is ex flexa quodammodo in gyrum valle, montibus adhæc, qui cum circumsepiunt, atque opacis siluis, longe nactus est amœnissimum: quem oculis lectorum, icone affabre facta, subiicimus.

Earum  
nomen  
unde?

Situs  
amœnis-  
simus.

Thermæ Sklenenses



i Lauacrum digniorum    z Lauacrum rusticorum    3 Sudatorium natura factum    4 Diuersorium

Nominis ratio arguit, olim vitriariam illic officinam extitisse. BROWNIVS e) profecto, fodinas auri vico huic nostro adscripsit. Verba eius latine facta audiamus: *Erant olim hoc loco auri venæ, quas tamen inde ab impressione GABRIELIS BETHLEHEM, ita temporum iniuria oblitteravit, ut earum puteos atque cuniculos accola cogantur ignorare. Possessorem enim venarum istarum aditus cum cura obturauisse aiunt, feramentorum, quibus metalla effodiuntur, signis, arborum corticibus incisis, ut essent indicio, haud procul inde fodinas abesse.*

K k

e) Loco, quem iam citauimus.

esse. Illud pro certo habent, sicubi lapis, humana insignitus facie, erutus fuerit, non procul inde fodinarum aditus, grandioris obiectu lapidis, praeclusos inquiri debere. Non ambigo, montes hos auri, argentiue venas habere, tota enim hac regio metallifera est, et venis pyritæ, *Kies* Germani vocant, referta; sed quæ de obturatis fodinarum aditibus narrat BROWNIVS, a vulgo id eum accepisse crediderim: neque enim fodinarum, sicuti fyrorum, obturari possunt aditus, quin, a rerum pericis, indagari possint referarique. Hodie, vstrinam locus hic habet, qua metalla regia, *Schemnitzio* huc aduecta, liquantur; fœdinarum autem, quas priscis temporibus Saxones coluerunt, vestigia tantum supersunt. Notauit ea diligentissimus f) TOLLIVS: Et hic, inquit, ductum subterraneum ingressus sum, auro eruendo inchoatum. in eo lapidis venas vidi tanta albissimi candoris venustate, a reliquo saxo distinctas, ut iucundius viderim nihil. Abstuli igitur et hinc particulam: vt argui possit fabula, quam ex BROWNIO recitauimus, de cuniculorum obturato aditu.

## §. III.

Thermarum lauacra quot?

Scaturigines diuersæ.

Si porro BROWNIO fidem habeamus, ætate illa, qua is Hungariam nostram perlustrauit, quinque diuersa lauacra, tot enim memorat, existisse hic oportuit: verum secutis temporibus, credo ciuiliū bellorum, omnia depascentium, iniuria factum est, ut tria \*) admodum superessent. Postea redituum *Ladomeriensium* procurator regius, *prouisorem* vocant, ædes nouas, solido opere, in quadrum exædificauit, g) vt haberent ægri, vbi commode lauare non minus, quam diuertere possent, Ad thermarum fontes, quod adinet, non ii in ipsis lauacris, sicuti *Ribarienses*, sed extus in colle ad occidentem vergente, quatuor h) scaturiginibus erumpunt, ac tabulatis coerciti, per canales apertos partim, partim tectos, ad vetera illa balnea, spatio passuum plus minus centum, deducuntur: Sed in lauacrum recentius, ex aliis duobus fontibus, qui in obiecta colli huic planitie, prope ad eum riuum, qui vicum interfluit, scaturiunt, deriuantur. Horum fontium alter, atque is propior balneo, feruidissimus est; alter nempe remotior, aquas habet temperatiores. vtrumque miscent, qui calidiori balneo delectantur; contra, quibus gratius est, temperate lauare, fonte illo feruidiore, aliorum deriuato, aquas ex altero isto lauacro immittunt.

## §. IV.

Feruor earum nimbo imminutus.

Tractus istius indoles.

Scaturigo, de qua diximus, calidior illa, tanti est feruoris, vt anseres atque galli immerfi, opinione celerius, fiant deplumes: atque eundem \*) hunc calorem, et reliquæ illæ, quas in colle existere diximus, æmulantur. A vici huius incolis relatum accepi, olim multis modis eosdem hos calidarum fontes existisse feruidiores; sed ante annos circiter XXX. tempestate coorta, nimbo denfiore, ita fuisse inundatos dilutosque, vt multum postea a pristino illo calore deferbuerint. Ceterum totus hic collis tractus, quem diximus, calidis scater, vt subinde in rusticorum etiam ædiculis erumpere eas contingat. Sane vel leui scrobe effossa, aut cæso tophaceo ac calcario lapide, ex quo collis hic constat, aquæ calidæ erumpunt illico. Hinc est, quod vicus in eo colle situs, cellariis, et id genus frigidioribus receptaculis, carere cogitur: adeo nimirum, quod alio loco ingens naturæ futurum erat beneficium, oneri est, vicum hunc incolentibus.

## §. V.

f) Ibidem p. 170.

\*) Sunt omnino in ipsis rusticorum arcibus aliquot lauacra, quibus illi, tamquam peculiari suo beneficio, cum domesticis vtuntur. Sed tertium illud lauacrum, quod in ea vici parte situm est, qua is vallem ad orientem spectantem habet, negligentius colitur, collapsurum, nisi breui instauretur.

g) Factum id est anno 1701.

h) Triginta, aut Quadraginta dicit

suo tempore fuisse TOLLIVS, credo, quod nondum coercitæ fuerint tabulatis, nam passim scaturiunt.

\*) Cum Anno 1722. Mense Maio, experundæ specus sudatoriæ causâ ex Thermis *Vihmensibus*, huc digressus fuisset, oua gallinacea duo, fontium vni, qui in colle scaturiunt, immisi, quæ septem circiter spatio *minutarum*, semicocta euaserunt, elixanda penitus, nisi is, qui ei opellæ erat præfectus, moræ fuisset impatiens.

## §. V.

In editiore collis eiusdem parte, templum, non spernendo opere, exædificatum est; quod æstiuo, iuxta et brumali tempore, vapores, qui ex tophacea et calcaria humo exhalant, non secus \*\*) calefaciunt, quam si id fornacis ope fieret. Profecto cœmeterium, quo templi ædes, ex more, ambiuntur, terram ita feruidam habet, ut sepulta illic cadauera, solito celerius, hoc est, *semestri*, quin *trimestri* etiam spatio, in cineres abeant: quod ut cauerent quodammodo incolæ, largam humum ex proximis montibus huc congefserunt, rati, fore, uti ea ratione, sepulchra euadant temperatiora; qua tamen re nihil profecerunt, præterquam, quod sepulchra, quæ antehac ob lapides tophaceos, minus profunde agi poterant, nunc ex adsciticia humo euadant altiora. Parile est, quod ZEILERS I) de cœmeterio *Parisiensi*, vulgo *des Innocens* dicto, memoriæ prodidit, cadauera nimirum illic humata, nouem spatio dierum, penitus consumi. Oportune hic animum subit recordari, trium *Alchymistarum*, qui ætate BORELLI, viri k) celeberrimi, Parisiis artem exercuere suam. Persuaserant hi sibi firmissime, terram cœmeterii huius, quippe *astrali* præditam virtute, materiam fore, ex qua *lapis ille Philosophorum*, parari queat. Igitur rudimentum hoc, sicuti rebantur, auri, ex artis præscripto, *cucurbita* infarciunt, diuque *digestioni* (ut vocant) eius intenti, felices successus, auare sibi pollicentur; sed cum exspectationis laborisque præmium sperant certissimum, en spectrum in cucurbita apparet, insanæ mentis homines, pannico terrore percellit, et ab auaro isthoc proposito, deterret. Neque tacendum est, quod laudatus ZEILERS I) scribit de cœmeterio, ad urbem Megapolitanam *Rostochium*, eo loco et Rostochienfi confer-tur. fito, ubi olim ædes *Gertruda* sacra fuit. Huius enim humum eius indolis perhibet esse, ut interuallo semestri, quicquid cadauerum illic inhumetur, id omne in terram redeat, nullo vel \*\*\*) ossium etiam vestigio relicto. Placuit hæc adscripsisse, quippe loci natura monitis, ut constaret, quemadmodum communis illa parens, magnis sæpe locorum disiuncta interuallis, eosdem mirandos effectus, consueuerit prodere. Ceterum vnde hæc humo isti sit efficacia, nemo non videt. Calor nimirum ille subterraneus, multis mineralium principiorum halitibus comitatus, ea, quæ ex se sunt corruptioni obnoxia, inuadit ac dissipat, idque eo celerius, quo maior halituum istiusmodi copia e penetralibus terræ exspirauerit. Reliqua profequamur.

## §. VI.

In medio fere mirandi collis illius, specus quædam natura concamerata se aperit, quam ab usu, quem præstat, vulgo, SPECVM SVDATORIAM, Germani *Schvvitloch*, Slavi *Parenicza*, adpellant. De hac verba VERNHERI, m) capiendacenseo: *Manant*, inquit, *colida ex rupe, sic nata, ut lauandibus tectum et umbram præbeant*. Meminit eius BROWNIUS n) quoque. *Memoratu*, inquit, *cum primis inter balnea hæc, dignum est illud, quod sudatorium vocant, et cuius scaturigo per accliuia collis defluit, excipiturque balneo ad id facto*. Ad huius partem extimio-rem, cum scandendo ascendissem, ad specum delatus sum, quæ ad modum conclauis facta, et natiuo thermarum astu, ita calefacta fuit, ut qui eam subibant, pro loci, quem altiorem depressioremue eligeabant, indole, sudare commode et calore isthoc pro lubitu potuerint perfrui. Antri siue spelunca huius latera atque anguli, ex guttarum continenter destillantium aquis, rubra, alba et viridi quadam materie sunt incrustati, quod sane oculis ac-ceptum

K k 2

\*\*) Idem An. 1722. mense, uti dixi, Maio expertus sum.

i) Topographia Gallia.

k) Vide PETRI BORELLI Hist. et Observ. Medico-Physicas, Cent. IV. obseru. LXII.

l) Topographia Germaniæ. Lege, quæ de

*Sarcophago* lapide memorat PLINIVS, Lib. XXXVI. c. XVII.

\*\*) in cœmeterio nostro, quæ a putredine residua manent ossa, rubigine sunt atrofa, et nigris passim maculis deformia.

m) Loco supra citato.

n) Ibidem.

et Tollii  
verbis  
describitur.

ceptum præbet spectaculum. Omnium vero iucundissime specum hanc nostram, laudatus iam o) TOLLIVS, descripsit: *Nec, inquit, diu cunctatus, non preparata ex his arte balnea insilui; sordebat enim ars, in tanto natura miraculo; sed vno eodemque tempore ac momento ad siccum et humidum me balneum contuli. Aderat enim specus ingenuus, in quo per latentes meatus, adeo calentes exspirabant halitus, ut copiosissimum e toto corpore \*) sudorem elicerent; suberatque his meatibus aqua calidissima, quæ cum ingredienti feruida videretur, mox ab halitibus illis concalescens, pro frigida erat. Locus autem arte rustica ac lenicula, iniecto asserculo vno et item altero, ita erat adaptatus, ut considentibus humeros et medium corpus halitus afflarent, inferiora aqua tegerentur. Huius ego natura beneficii admirabilem varietatem, et intuitus et expertus, non poteram, quin incolarum aliorumque ingratum ac stupore plenum stupidissimo, damnarem detestarerque animum, his deliciis uti fruique aut nescientium, aut nolentium. Nam si tantillum modo artem hic natura haberet adiutricem, poterat ipsam Baiarum amœnitatem locus superare. Sed quid agas his hominibus, nil nisi aurum appetentibus et cogitantibus? Indolui sane genio loci; nec bene precari potui frustra ibidem aurum quærentibus metallurgis. Utinam aduerterent animum nostri, et quid de sua illa focordia, qua munificentissimam parentem naturam offendunt, exteri sentiant, penitius existimarent. Ista ergo peregrini notauerunt. nos iam ea, quæ ipsi vidimus, commemoremus.*

## §. VII.

Auctoris  
de ea  
narratio.

Est igitur Specus hæc nostra, naturæ beneficio sic exesa, ut balneolo manu facto haud absimilis videatur. Superiori ætate angustior fuisse perhibetur, ut paucissimos caperet sudatores, eo quod in longum protensa, arctius habuerit spatium. Comes postea VESELENIUS, Hungariæ tunc Palatinus, latiore eam fieri curauit, scamnis in lateribus spelunçæ, topheo incisus, ut iam sudatoribus fere quindecim locum queat præbere: quin et aditum antea habuit angustum, et ita factum, ut inclinato corpore subiri debuerit. Ipsa specus concameratio, quæ tota e lapide topheo est, quin parietes etiam, aquas exsulant, tepidas eas quidem ac limpidas, sed subalbicantes tamen, et instar aquæ communis, inspidas, quæ partim destillant guttatim, partim manant etiam, et in fundo spelunçæ, exciso ad id lauacro, excipiuntur. Illud obseruari consuevit, cum guttis tepidis, gelidas subinde mixtim decidere, eo magis admirando temperamento, quo minus vilitatum est, eandem scaturiginem frigidam simul fundere calidamque. Stillantes ita aquæ, scamna topheo lapide, albicantis iuxta et subrubri coloris, large inuestiunt, manifesto indicio, aquam hanc omnem lapidescentem esse, facileque in tophum abire. Congruenter iterum p) TOLLIVS: *In specu isto, passim e lateribus aqua calens exstillabat, totumque subalbidum parietem, ut ita loquar, viridi, cæruleo, flavo, nigricante, mediisque inter hos coloribus, gratissima varietate, distinguebat. Dolet postea, quod pictorem secum non habuerit, qui mirificum isthoc naturæ opificium adumbrasset. Temperabantur, inquit, hæ voluptates mea, vnico illo, qui me toto itinere male habuit, dolore, quod pictore carerem, qui singula suis coloribus exprimeret; sed erit spero corrigendo, cum in has, fauente numine, oras reuertar, errori locus. Quod quia non præstitit TOLLIVS, quippe morte præuentus, et vero iucundior lectoribus rerum istiusmodi contemplatio euadit, si expressam earum imaginem conueri possint, specus illius, qualis \*) iam est, obrutum, hic inferere placuit.*

Sed


o) Eadem Epistola p. 170.

\*) Mihi profecto, cum specum hanc auidus ingrederer, idem euenit, ut metuentum fuerit, ne homuli instar, ex cera ficti, colliquecerem, ita sudoribus totum dimanabat corpus.

p) Eodem loco.

\*) Obtutus hic is est, qualem se præbuit spectandum, antequam ædícula illa, de qua infra Memb. III. §. 5. exædificata fuisset: interiora autem specus haud æque a pictore oculis poterunt subiici.

## Specus sudatoria



1. Scala in aquas descendens. 2. Abitus ad feruidissimam sudatorii regionem. 3. Scamnum superius. 4. Scamnum inferius.

Sed tophum, ex destillante aqua parietibus hærescentem, rustici cum cura colligunt, ut ritu suo, medicinam faciant. Contritum namque vulneribus inueteratis et putrescentibus, inspergunt, atque cum radice *Symphiti*, et pinguedine porcina mixtum, fracturis ossium, plerumque successu, ad miraculum usque felici, circumponunt. Qua rusticorum industria fit, ut scamna illa, quæ alioquin hebdomadibus singulis, ab adcrecente lapide liberari oporteret, pura sint, nec facile topho obducantur.

## §. VIII.

Porro tacendum haud est, in aditu spelunçæ huius, angusto admodum, sat nitri *plenior eius descriptio.* partim pulveris, partim crystalli specie, copiosius nasci. id quod in aliis quoque totius tophacei collis istius rimis obserues. Idem prunis cadentibus iniectum flammam illico concipit ac conflagrat. Ad eundem hunc spelunçæ aditum, in exacta scrobe, aqua colligitur, ex petra impendente destillans caloris valde temperati, cui albicans cuticula innatare consuevit, scilicet ex eadem tophacea et nitrosa materie enata. Proxime hinc ædicula abest, eo usus destinata, ut sudaturi in spelunca ista, vestes ponere, atque a sudatorio illo egressi, repetere iterum possint. Reuera ergo, specus hæc, a natura factum sudatorium est, calore adeo intenso præditum, quali vix balnea, cum maxime calent, nullo tamen apparente vel fumo, vel vapore. Ingressis enim, tametsi nudo sint corpore, sudorem copiosissimum celerrime elicit, qui toto corpore ita manare consuevit, quemadmodum si nunc ex aqua emerissent: miro et hic naturæ temperamento; subsellia enim infima, calorem habent remissiorem, feruentiorem media, at suprema longe feruidissimum, ut ab his etiam, qui corporis habitu sunt compactiore tolerari haud possit diutius horæ quadrante. Nempe naturam hic arti prælusisse, censendum est. habebant enim et apud Romanos publicæ balneæ tres regiones, siue domos. Superior aëris erat calidi, et *Laconicum* adpellabatur; media erat aquæ calidæ; infima autem aquæ frigidæ, sicuti *VITRUVIUS* q) auctor est. Adde, quod alibi r) idem, de sudatoriis istiusmodi, sed arte factis, habet: *In montibus Baianis, sunt loca sudationibus excavata.*

LI

MEM-

g) Lib. V. cap. 10.

r) Lib. II. cap. 6.

## MEMBRUM II.

## PHYSICVM.

## De natura Thermarum Sklenensium.

## Synopsis.

Regionis thermarum Sklenensium indoles :  
aqua ipsius natura. §. I.

Sedimentum thermarum quale? quas res temerent, quas minus? TOLLII ea de re observatio. §. II.

Eorum, quibus aqua nostra constant,

circa sedimentum, examen. §. III.

Liquoribus chymicis explorata, quas subeant mutationes? §. IV.

Participant ex nitro, sulphure, ferro et materia calcaria. §. V.

## §. I.

Regionis  
Therma-  
rum  
Sklenen-  
sium  
indoles.

**D**E regionis Thermarum nostrarum, indole, supra diximus quaedam. Nunc illud repetiisse iuvat: totam eam subterraneis caloribus foueri, ut nec cellaria fodi, nec scrobes aut putei queant agi, quin iis etiam locis, ubi calcarius ac tophaceus lapis nullus est, tepore partim, partim aquis calidis oppleantur omnia. Atque hinc est, quod niues celerius in colle isto diffugiant, saltem ea altitudine nequeant persistere, qualem in montibus reliquis aduertat. Ipsa fontium capita, e topho scaturiunt, placide quidem, et sine bullitione vehementiori, copiose tamen et perenniter. Aqua cum primis limpida est, ad scaturigines non minus, quam in lauacris, neque, siue limpiditatem, siue calorem ex tempestatum vicissitudinibus, mutat: sed refrigerata etiam, nec quidquam turbatur, atque omnibus anni temporibus semper sibi similis est. Saporem praefert *alcalinum*, seu subamarum, et adstringentem. Et licet ex scaturigine hausta, ita feruida sit, ut bibi haud possit, non tamen gingivas et fauces aduret, quemadmodum aqua simplex, si ea ignis ministerio efferuescat. Vasi aperto infusa, plus horae dimidio calorem natium retinet, nec refrigerata, notabilem ochram deponit. Odoris rationem si habeas, sulphureus quodammodo esse videtur, quem coctura magis prodat. In lauacro ad refrigerationem adseruata, neque commota a lauantibus superficiem tenui pellicula, eaque insipida, investit, quam vulgo, *Thermarum spumam*, vocant.

Aqua  
ipsius  
natura.

## §. II.

Sedimen-  
tum  
Therma-  
rum  
quale?

Canales praeterea, quibus in lauacra deriuantur, et per quos dimanant calidae nostrae, viridi, subrubro, flauoque colore tingunt, largiori tophaceo sedimento relicto. Constat id ex lamellis, compactius inuicem coherentibus, colorem aemulatur, exterius quidem castaneum, intus vero, qua canalibus adhæret, rubicundum flauumque, materia ipsa longe molliori existente, quam quae aëri exposita est, et continuo ab aquis lambitur. Idem hic tophus, largius canalibus iis adhæret, qui sunt congesta terra tecti, quam, qui sub dio, sine tegmine siti sunt; quin nec durus adeo est, superficiem habens viridi colore tinctam, quae tamen siccata, atque aëri exposita liberiori, non modo colorem viridem amittit profus, sed solida etiam, et alteri illi euadit consimilis. Atque hac re fit, ut canales istos frequentius perpurgari oporteat, quod nisi fieret, breui aquae lapidescentis accessione obturarentur penitus. Eadem hæc aqua lauacris immissa, parcius tophaceam materiam deponit, friabilem quidem illam albique coloris, eo maxime loco, ubi se lauacro infundit. Lintea, quorum in balneis usus est, fere intemerata relinquit; ferrum contra, temporis successu, corrodit penitus; vitrum friabile facit; sed nec corio parit: contra vasa glite inducta solida reddit, alboque colore illustrat. Peculiare est, quod laudatus semel iterumque TOLLIVS, de aquae huius efficacie adnotauit:

Quas res  
temerent,  
quas minus?

Dum,

Dum, inquit, lapidum fragmentis onustus, e ductu illo aurifero, in diuersorium reuertor, et balnea præteriens, limpidissima puritate traluentia, adtentius contemplor, ex-cidit forte in aquam lapis, breuique illo temporis spatio, quo ab adstante ianua puero ex-trahitur, ita ab aqua illa sulphurea erat emolitus, ut in minutula frustilla dilaberetur. Ostendi igitur diuersori meo, qui chirurgus erat, quam leui opera saxa diffringi possent, atque opera fossorum compendi fieri, subministrante natura aquam, ipso adhuc ferro potiore. Hæc ille de calidis; de cuniculi autem, quem subierat, aquis, addit porro: Notaueram itidem in fodina illa emanantem hinc inde aquam exedentem, cuius mihi color rubens, pauimentum obducens, certum erat indicium. Sunt autem aquæ hæc adeo acres et corrodescentes, ut quidquid lineæ laneæque vestis adtingant, corrumpant: neque quisquam est, qui dubitare possit, plurimum eas dissoluti in se continere vitrioli, cui sæpe, vel alumen, vel sal nitri sit admixtum. Hæc ille. Et profecto vetusti lauari muri ac parietes nitro, quasi incrustati sunt, quod pecora auide lambunt: neque nitrum istud differt ab eo, cuius supra ad os sudatorii illius, mentionem fecimus. utrobique autem ex vaporibus id thermarum, quos copiosissime exhalat, tametsi oculis vsurpari nequeant, nasci, non sine ratione existimamus.

Tolli ea de re obseruatio.

### §. III.

Iam si ochram ac tophum, quem calidæ nostræ in labris, quibus capita fontium continentur, canalibus præterea et lauacris ipsis deponunt, sollicitius examinauerimus, non vno indicio constabit, componi eum ex particulis, cum nitrosis et sulphureis, tum ferreis etiam atque calcariis. Namque tophacea hac materia in calcem primum redacta, atque in puluerem demum, sed crassiore, ad modum sabuli, contusa, magneti bene forti politoque, sicuti scobs ferri, adhæret, sparsaque circa eundem, polos eius, dimidiato circulo, sequitur. Idem pulueres, aqua modice madefacti, fœtorem spargunt sulphurosum. Porro si topho huic, nondum exusto, contuso tamen in puluerem, affundatur aqua communis, sapore eam nitroso tingit, crustula in superficie coalescente. Idem præterea lapis tophaceus siue calcarius, igne fortiori subactus seu calcinatus, colorem rutilantem amittit, cinereumque induit, et in exactissimam calcem viuam exurit, quæ, affusa aqua incalescit, atque more calcis promiscuæ efferuescens, quam ipsam sapore alcalino penitus imbuit, eiusque superficiem, salem, forma cuticulæ, non secus atque in infusione calcis viuæ cum aqua, inducit.

Eorum, quibus aquæ nostræ constant, circa sedimentum, examen.

### §. IV.

Nunc videamus, quales aquæ nostræ, a probatoriis, quos vocant, liquoribus, mutationes inducantur. Nimirum Oleo Tartari per deliquium instillato, valde turbatur, ac lactescit; inde paullatim sedimentum bene copiosum, instar magisterii albi, deponit, cuticula tenui in superficie efflorescente: quam eandem conuersionem et liquor nitri fixi, inducere ei consuevit. Gallarum puluere iniecto, cereuisiam turbidam adhuc et fœculentam, æmulatur; sed vbi frigefacta est, sedimentum deiicit instar lactis album, aqua interim ex rubro luteum colorem induente: sed a Spiritu Nitri ac Vitrioli, quin et a Solutione Mercurii sublimati, Salis communis, et Nitri, nec quidquam turbatur mutaturæ. Ab infusione Spiritus Salis Armoniaci lactescit, simileque sedimentum, sed parce tamen, deponit. Idem obserues et ab infusione Solutionis Sacchari Saturni, cum sedimento tamen subflauo, cuticula superficiem inducitur. A Solutione Vitrioli Veneris turbatur, et sensim ex albo caruleum deponit sedimentum. A Solutione Aluminis obpalescit quidem, sed post breuiorem moram transparens iterum redditur. A Vitriolo Martis turbatur, et viridescit, deiecto sedimento atro viridescente. A Solutione Lacmus, sine turbatione, in purpureum quasi colorem abit. A Solutione Luna, leviter, atque id sine sedimento, pallescit. A Solutione Vitrioli viridis, multum, sed sine ebullitione, turbatur, redditurque flaua, cum sedimento consimili. Atque hæc sunt, quæ instituto sollicitius examine, circa Thermarum nostrarum elementa, obseruauimus.

Liquoribus chemicis explorata, quas subeant mutationes?

## §. V.

Participant ex Nitro, Sulphure, Ferro et materia calcaria.

Porro, aqua siue destillata, siue ignis feruore in halitus abeunte, odorem leuiter sulphureum spargit. Quantumuis autem curatissime operas istas perficias, ex quinque tamen libris medicis, vnam solum drachmam sedimenti habebis residuam, subflaua terreo-salina materia constantis, nullo quidem odore, sapore tamen nitroso, et ferrum amulante. Et vestigia quidem Salis nitrosi, in tenues strias, ac fibrillas cuspidatas abeuntis, facile, nudo etiam oculo, in sedimento isthoc, quamuis parcius, notari poterunt: sicuti contra moleculas ferri, rariores licet, admotus magnes, specie delimitata scobis ferri, etiam sine prauia calcinatione ad se raptas, detegit omnino. Drachma hæc sedimenti illius, aquæ sufficienti immissa, Scrupulus vnus soluitur, duo vero in fundo subsident, nec aliud quidquam sunt, quam materia calcaria, cum rarioribus pyritæ particulis ferreis mixta, quod magnes admotus, iucundo iterum experimento, condocet. Atque hinc iam liquido constat, THERMAS SKLENENSIS, ex natiuo sale nitri soluto, ferreis item ac sulphureis pyritæ particulis, cum materia calcaria, sed quæ reliqua illa multis modis superet, compositas esse.

## MEMBRUM III.

## MEDICVM.

## De Virtute atque Efficacia Thermarum Sklenensium.

## Synopsis.

- Cur Therma nostra bibi salubriter nequeant? §. I. Eroso cutis, rarius hic obtinetur: in lauantes perperam, animaduerso. §. IV.
- Vsus earum in doloribus Ischiadicis: podagra: Rheumatismis. §. II. Specus sudatoria opportunitates, recens facta. §. V.
- Vtilitates, quas præstant, reliqua: in primis in sterilitate. §. III. Eiusdem efficacia varia. §. VI.

## §. I.

Cur Therma nostra salubriter bibi nequeant?

**T**hermarum elementis, vti decuit, sub examen vocatis, iam de virtute earum atque effectu, pro instituti ratione, quæ sunt necessaria, dicamus. Et hic quidem mirum videri posset, Thermas nostras, cum iisdem constant elementis, quibus calidæ salutare pleræque, internis tamen vrbibus, non æque adhiberi posse. Certum est enim exploratumque, Carolinas, et quæ cum iis contendere possunt, Bathonenses in Anglia, in Gallia Burbonenses, plurium seculorum decursu, potione potius, quam lotione corporis, tot profuisse hominum myriadibus: ecurr ergo a nostris hisce, non idem nobis polliceamur? Habet nimirum res illa causas in eo positas, quod Carolinarum, et quæ eis sunt similes, elementa, e quibus sunt compositæ, temperamentum natura indeptæ sunt, a nostris diuersum. Enimvero, cum efficacia earum fere omnis eo se prodat, quod e corpore humano noxios humores, nunc per aluum eiiciant, nunc excernant per vrinam, ac sudores, atque ea res a sufficiente Salis alcali, aut nitrosi copia, quo sunt calidæ istiusmodi impregnate, proueniat; facile est conicere, similes effectus, ab iis sperari haud posse, quæ rebus illis, quas iam nominauimus, aut plane non sunt præditæ, aut mensura et temperamento inæquali. Certe cum aquæ Carolinarum, et quas præterea indicauius, pondo quinque, sub examen chymicum vocatæ, Salis nitrosi, drachmas duas largius deponant, atque inde virtutem expurgandi corporis, sufficientem accipiant; nostræ hæ eadem mensura decoctæ, vix ac ne vix quidem drachmam dimidiam, nitrosi illius salis post se relinquunt. Atque hinc repetendum est,

est, cur potio nostrarum minus sit salubris, neque vel aluum reddat citam, vel vrinam prouocet, sudoresque eliciat, nempe: quod sale sufficiente, qui id queat efficere, sint destitutæ, contra vero materia *calcaria* valde abundant. Aduertit hoc suo iam tempore PLINIVS, a) cum de vtilitatibus calidarum: *Est, inquit, utilis, sulphurata neruis; aluminata, paralyticis, aut simili morbo solutis; bituminata aut nitrosa, qualis Cutilia, utilis est bibendo atque purgationibus.* Cui consentit VITRUVIVS b) *Bituminosi, inquit, fontes, interioris corporis vitia potionibus purgando solent mederi.*

## §. II.

Tametsi vero Thermarum nostrarum vsus, sola absoluitur lotione, multum tamen prodest, ad œconomiam sanitatis, siue conseruandam, siue instaurandam. Vulgo Thermis nostris nomen ab artubus, *Glieder-Bad*, inditum est, scilicet, quod iis morbis, qui solent artus occupare, longa annorum obseruatione, mederi eas certum sit exploratumque. Licet enim TYMEVS c) audaciter scribat; *se non vidisse podagricos, quibus thermæ conduxerint, quin potius rigidos et contractos reddiderint;* aliud nihilominus, frequens experientia, quippe in omni medicationum genere, magistra optima, circa nostras hæc Thermas condocet, *arthriticis* magno eas subinde solatio exstitisse. Et solent profecto cum fructu exoptato adhiberi, non modo ad corpus ab *arthriticis* adfectibus præseruandum, sed in *podagra* etiam declinatione, ad corroborandum partes lasas. Dissipant præterea *tumores* membrorum *particulares*, *flatuosa* item et *laxa crurum œdemata*: in primis, si vsus earum, diutius, hoc est, tribus quatuorue hebdomadibus, cum cura, continuetur. Neque inde mali pertimescendum aliquid est, quemadmodum in iis thermis, quæ sunt *vitriolica*, et *aluminosa* indole præditæ: materiam enim morbidam non modo non repellunt ad interna, quod in istis adfectibus exitiale est; sed resoluunt etiam, discutunt, ac penitus edomant. Recte VITRUVIVS d) *Sulphurosi fontes, neruorum labores rescipiunt, percalesfaciendo, exsugendoque caloribus, e corporibus humores vitiosos.*

## §. III.

Sed nec illud tacendum est, quod auxilii quidpiam spondeant, in feminarum sterilitate, si ea, non a partium *conformatione*, aut dispositione quadam hæreditaria, sed a *cacochimia*, atque vteri superflua humiditate, nec non laxitate nimia, oriatur. Insignis porro earum vsus est, in *fluore albo* et *gonorrhœa*, sed cum, vbi morbus in decremento est, præmissaque sunt *abstergentia*, interna et mundificantia, namque, partes eneruatas roborant, et humoris noxii adfluxum exsiccant. Conducunt porro in *procentia vteri*, cum primis, si ea sit cum dolore et humida excoaratione coniuncta; sed id quoque iusto tempore, et vsu modesto. Huc et immoderatum *mensum* fluxum, quin suppressionem etiam morbidam, (medicamentis tamen, quibus erat opus, adhibitis prius) referimus. Denique cutis morbos varios, ex se fœdos, et cum molæstissimo pruritu coniunctos, quales sunt, *scabies* in primis *ficca*, *impetigo*, manantia *ulcera*, et his similes, mundat, efficaciterque sanat. Neque silendum est, quod de efficacia Thermarum nostrarum VERNHERVS e) obseruauit: *Nec tantum ipsæ (Thermæ) pro salubribus habentur, sed etiam cœnum earum, quod Plinius quoque inter calidarum utilitates retulit, medicam vim creditur obtinere. Itaque in eo quidam, ulcerosi præsertim, ibi prope, qua fluunt, volutari solent.* Ita VERNHERVS. Locus, quem citat, PLINII, f) sic habet: *Vtuntur et cœno fontium ipsorum utiliter, sed ita, ut si illitum sole inarescat.* qua de re alibi pluribus.

## Mm

## §. IV.

a) Lib. XXXI. cap. 6.

b) Architect. Lib. VIII. 3. Confer omnino Germanorum *Plinium*, GEORGIVM AGRICOLAM, rerum naturalium longe peritissimum, in, *de Natura eorum, qua effluunt ex terra*, Lib.

II. p. m. 108. edit. Frobenianæ An. 1558.

c) In Epistolis p. 872.

d) loc. cit.

e) De admir. Hung. Aquis.

f) Lib. XXXI. c. VI.

## §. IV.

*Erosio  
cutis ra-  
rius hic  
obtine-  
tur:*

*in la-  
nantes  
perpe-  
ram ani-  
maduer-  
sio.*

Solet alioquin vsus Thermarum ad erosionem vsque cutis, Germanis *Ausschlag*, frequentari, sed quæ difficulter in *Sklenensibus* istis procuratur: quantumvis enim diutius iis laentur ægri, raro tamen admodum huiusmodi sequitur erosio; quin si appareat etiam, impetigini similior est, quam *pustulosa* illi cutis *efflorescentia*, nullo vehementiori pruritu, qui alias adfectui huic familiaris esse consuevit, stipata. Interim, qui sunt teneriori corporis habitu, atque temperamento calidiori, aquas istas molestius tolerant, id quod calori nimio adscribendum est. Et sane bene sibi consulere, lauantes, potissimum ii, quibus ex medici præscripto, diutius *Baiis* nostris innatandum est, si deferuescere prius nimium illum thermarum æstum sinerent, quam ad lauandum accederent: quod tamen secus fit, a plebeiis in primis: præterquam enim, quod feruidissimis istis aquis, toto subinde die, perluantur, vino profecto et cibo ita se ingurgitant subinde, ut non lauare eos, sed pergræcari, crederes. At enim vero, qui non auditoris consulit,

*Non profecturis littora bobus arat.*

## §. V.

*Specus  
sudato-  
ria, re-  
cens fa-  
cta op-  
portuni-  
tates.*

Ceterum, ne sua, his quoque desit oportunitas, qui ob teneriorem aut feruidiorem etiam temperamenti indolem, in calidiore balneo corpus lauare nequeunt, saltem non cum eo fructu, quem sibi a Thermis nostris pollicentur; laudabili cum cura effectum est annis proxime elapsis, ut scrobs illa, cuius supra, ad specum sudatorium, meminimus, amplior laxiorque, ad lauacri modum, cui aqua subduci, idemque perpurgari possit, excuaretur, atque tabulis sterneretur. Et sane quia destillantis huius aquæ calor optime temperatus est, possunt ea in lauando omnes uti, quibus exquisitior a natura sensus, atque corpusculi compages delicatior contingit. Accedit oportunitas quoque alia. Nimirum, quia g) lauacrum isthoc, ante ipsum *specus sudatoria* aditum, tectum et umbram lauancibus præbente naturæ beneficio sic facta rupe tophacea, situm est, poterunt in eo abluere corpus, sudoremque detergere, omnes, qui in specu sæpius memorata, largius sudarunt, posteaque sumere vestes eo commodius, quo tempestiuus in balneo isto ad se quasi quodammodo redeunt ac refocillantur.

## §. VI.

*Eiusdem  
efficaci-  
tas va-  
ria.*

Denique, ut de efficacitate specus huius sudatoriæ dicamus quidpiam, lauare in ea sudareque poterunt morbis, quos *chronicos* dicimus, adfecti, quique a *lymphæ* et feri vitiis ortum trahere consueuerunt: atque id quidem maiore cum fructu, quam si *diaphoreticis* vterentur. Calor enim iste perpetuus ac humidus, habitum corporis, quantumvis compactum relaxat, humores edomat colliquatque, aperit poros, et placidæ *diaphoresi* ita purgat, ut humores superflui et inutiles, sine insigni exagitatione *orgastica* et debilitatione, quin potius cum voluptatis quodam sensu, sub largi sudoris forma, expellantur. Ceteroquin omni cura prouidendum est iis, qui Laconico balneo isthoc, a natura facto, uti gestiunt, ut corpus per interna remedia legitime præparatum, humoresque adeo ad excretionem dispositos adferant; tum vero matutinis potius, quam post meridianis horis, specum subintrent, sudentque. Adfirmant incolæ aquam, quæ ex rupe cauernæ huius stillat, potam, valde prodesse his, qui calculo laborant, quippe quod comminuat eundem, ac fabulosæ materiæ forma, vrinæ beneficio euehat. Quod equidem, de minoribus calculis, iisque friabilibus intelligendum existimo, ad quorum expulsionem, aqua hæc, *nitroso im-*  
*pregna-*

g) Annis proximis, eorum prouidentia, ad quorum procuracionem Thermæ nostræ ex muneris ratione, pertinent, effectum est, ut ex colle isto, calidis scatente, per canales subterraneos, aquæ salutare in

lauacrum istud deriuarentur, ut iam, quoties lubet expurgari et recentibus aquis impleri queat. quod antea ex sola rupis destillatione difficiliter poterat obtineri.

*pregnata sale*, humorum massam diluendo, atque relaxando spasticos motus, quin præstare possit remedii quidpiam, nullus ambigo; sed nec diffiteor, experientia doctus, *calculosos confirmatos*, ex his et aliis thermis, *hecticos* subinde domum rediisse. Hæc de THERMIS SKLENENSIBVS sufficiant.

De

## Thermis Vihnenfibus.

MEMBRVM I.

## HISTORICVM.

De origine et fatis Thermarum Vihnenfium.

## Synopsis.

Nomen Thermarum nostrarum unde? VERNHERI de iis locus: FRÖLICHII haud excusandus error. §. I.

BROWNII Angli testimonium. §. II.

Auctoris de eadem re, et Thermarum origine, commentatio. §. III.

Thermarum scaturigines et ductus. §. IV.

Lauacra, et horum numerus. §. V.

Opportunitates, earum incommoda, victus ratio. §. VI.

Regionis ingenium: Situs amœnitas: prospectus aneis formis expressus. §. VII.

## §. I.

VEnimus ad Thermas VIHNNENSES, quæ uti Sklenensibus situ adfines, ita mendendi efficacitate longe sunt præstantiores. Nomen a vico habent, sito in Comitatu Barsiensi, ac huius tractu montano, quem Slavi a ferraria officina Vihne, Germani Eisenbach vocauerunt, a torrente, qui per vallem illam amœnus decurrit, ac e montibus egressus, pagum Szénás-falua interfluit, posteaque interiecto modico interuallo, Grano se miscet. VERNHERVS a) Roselinas vocat: Sunt, inquit, etiam Schemnitzia calida, quæ vocantur Roselina, in quibus canales, per quos fluunt, et sedilia ex lignis facta, sic sunt accreto lapide, ceu cortice tecta, ut prorsus lapidea videantur. Ita est, vocitatae sunt aliquamdiu Roselina, quam ipsis appellationem, a familia cognomine hæsisse accepimus. Erant quippe genti Roseliana, olim inter Schemnitzienfes haud postrema, pignori data, atque diutius ab ea possessæ; quod quidem nomen vna cum familia, pridem expirauit: Ut mirum sit, FRÖLICHIVM b) Hungariæ Mathematicum, non modo id nominis sua ætate thermis nostris adtribuisse adhuc; sed diuersas etiam ab Eisenbachensibus, nescio, quo malo errore, constituisse. Non procul, inquit, inde (Schemnitzio) dissita sunt thermæ Eisenbachenses, ut et alia ab officina vitriaria dicta, item Stubnensēs ac Roselina. Nimirum incautius, VERNHERVM exscripsit, eiusque aberrationem, nouo errore, locupletauit. Neque enim, ut VERNHERVS scribit, Schemnitzia sunt calida nostræ, sed milliari ab vrbe, trans editos montes, in occidentem dissitæ; sed nec ab Eisenbachensibus ideo discretæ, quod a VERNHERO Roselina sunt appellatæ: ne dicam, pessime FRÖLICHIVM Stubnensibus thermis, calidas Roselinas iunxisse, cum norint regionis gnari, quinque milliariibus Hungaricis, insigni profecto locorum diuortio, disiunctas esse. Atque hunc quidem scriptoris gentilicii errorem, haud mirum est, quod vulgus Geographorum sequatur, locorumque situs misceat: id quod eorum causa monendum omnino fuit.

Nomen Thermarum nostrarum unde?

Vernheri de iis locis.

Frölichii haud excusandus error.

M m 2

§. II.

a) In epistola sæpius citata, de admirandis Hungaria aquis.

b) Medulla Geographiæ practicæ p. 356.

## §. II.

Brownii  
Angli  
testimo-  
nium.

Inter exteros vix quisquam præter BROWNIVM Anglum, Thermarum nostrarum, meminit. Elegantissimus enim TOLLIVS, quod dolendum, huc non venit: Certe, quæ KIRCHERVS in *Mundo subterraneo* habet, lectorem æque ignarum, quam accesserat, dimittunt; saltem eius sitim non restinguunt. Ita vero BROWNIVS c) cuius verba latina fecimus: EISENBACH vicus, quatuor plus minus milliaribus Anglicis a Sklenensibus, Schemnitzio quinque aut sex distans, calidas et ipse habet. Materies, quæ in eis subsidit, sedimentum vocant, rubra est et lapidescens, cuius inde fragmenta tuli, vnius palmæ crassitie. quin grandius quoque lapidescentis huius aquæ frustum mecum habeo, e canali elisum, et decurrentis aquæ fluctus eleganter referens, qui canalisi tametsi ligneus fuerit, iuxta et diutius isto lapide inductus, intemeratus tamen permansit. Quidquid eius rei sit, tigna profecto, e quibus lauacri latera fuerunt exadificata, lapidem, quo incrustata erant, duritie aquabant, quæ vero proxime super aquas prominebant, prorsus in solidum lapidem, conuersa sunt. In primis spectatu haud iniucunda fuit, trabs quædam pinea, e qua artis atque naturæ mutuo beneficio, columnam lapideam efformatam fuisse aduertit. Et mox: Aquæ hæ feruidæ sunt, quarum vapores, sufficienter volatiles, aquis augefcentibus in altum adsurgunt. Postea d) lauacra ipsa sic describit: Sunt illic duo perquam commoda lauacra, quæ a promiscua multitudine videas frequentari: tertium vero, quod aquam ex prioribus illis effluentem accipit, serpentum balneum dicitur, ob multas serpentes, quæ in id irrepunt, atque illic, si lauacrum calida sit impletum, cum voluptate natate aduertuntur. Recte, quæ de aquæ ingenio et lauacrorum numero scibit BROWNIVS; at quæ de serpentum balneo addit, non satis sibi constant, quippe quum subinde et in duo illa, quæ memorauerat, lauacra, serpentes illabantur, adeoque thermæ hæ vniuersæ, eo nomine insigniri deberent: qua de re infra.

## §. III.

Auctoris  
de ea-  
dem re,

Ista de Thermis nostris homo alienigena, quæ adscribere haud piguit, vt commentatio nostra eo fit luculentior. Ad scaturigines earum, quod adinet, saliant ea in cuniculo, quem, ad passus centum in montem egerant metallici, vt ferri mineram, qua abundat montana hæc regio, eruerent. Enimuero, officinam hic olim extitisse ferrariam, Slauica vici proxime adiacentis, adpellatio condocet. *Vihne* namque *Slavis* tantundem est, quod Germanis *Eisen-hütten*, vel *Eisen-hammer*, hoc est, officina ferraria: atque hinc torrenti quoque ipsi, nomen Germanicum *Eisenbach*, enatum esse, nemo non videt. Neque mirum cuiquam videri debet, qui factum sit, quod pleraque isthic loca, denominationis originem e *Slauico* idiomate traxerint, quippe quum non priscis modo temporibus, totam istam regionem a *Slavis* cultam fuisse, sed et ante Saxonum aduentum, (quos primus fere ANDREAS Hierosolymitanus, Hungariæ Rex, ad eruenda metalla euocauerat) Slauos, rem metallicam, tenuiore licet prouentu arteque rudiore, quam id postea a *Saxonibus* factum est, in radicibus hisce *Carpathi*, tractavisse, certum sit. Postea, cum Saxones montes istos incepissent scrutari, acceptam a *Slavis* ferri fundendi occasionem, haud segniori studio sunt profecuti, cuius quidem diligentia vsque ad eam ætatem, qua gens *Roseliana* floruit, documenta heic obseruata fuisse referunt, qui id memoratum a maioribus suis audierunt. Idem vero eruendi ferri studium, thermis nostris originem dedisse, perhibent. Cum enim cuniculum illum, quem diximus, in montis latere, qua is ad meridiem vergit, agere incepissent metallici, vix ad passus centum continuauerant operas, cum in aquas inciderunt, non solum calidas, sed etiam feruentes: vt credere fas sit, obturato forte fortuna meatu subterraneo, quo antehac absorberi eas oportuit, in apricum prolectam fuisse scaturiginem saluberrimam. Proinde operis desertis, ne singulare isthoc naturæ beneficium

et origi-  
ne Ther-  
marum,  
commen-  
tatio.

c) Itinerarii sui Parte V. cap. V. p. m. 174.

d) Loco citato cap. VI. p. 176.

cium diffliueret inaniter, de e) thermis exædificandis cogitare occeperunt, ad quos ea cura pertinebat. Atque hæc inuentarum Thermarum occasio fuit.

## §. IV.

In hoc ergo, vti diximus, cuniculo, ex ipsa f) *Martis Minera*, tres salient sca-  
turigines, cum strepitu non inamœno. Media inter eas, vti copiosior est reliquis, sic  
et aquas eructat vehementius. Adeo vero feruentes in ipsis scaturiginibus sunt aquæ  
istæ, vt manu immissa, vix ac ne vix quidem, momento temporis, queant susti-  
neri. Inde ligneis canalibus, ingesta humo tectis, per montis accliuum, ad passus  
circiter CCCL. deriuantur, et lauacris duobus, eo fine commode factis, atque dua-  
rum fere orgyarum spatio pariete ligneo disiunctis, immittuntur. Fit isto aquarum  
ductu, vt multum deferuescant Thermæ nostræ, atque ideo lauantibus, temperato  
ad salubritatem calore, gratiores iucundioresque euadant. Ne vero ad ipsa scaturi-  
ginum capita, saluberrimus Thermarum calor, tempestatum, quod fit, iniuria,  
facile vel diluatur, vel tepescat, multa humo, cuniculum integri præmunirique,  
necessum est. Quod si enim imbres cadant effusiores, et aquæ pluuiæ calidis se  
miscant, quemadmodum salubritas, sic et calor thermarum nostrarum notabili  
modo imminuitur. Sin vero, vti annis superioribus contigit, sicca sit tempestas,  
efficaciores calidioresque, sed nec ideo parciores, aquæ nostræ deprehenduntur,  
vt hoc quoque argumento esse possit, non aquas pluuias, verum perennes, et ex  
imis terræ visceribus salientes scaturigines, thermas constituere. Huc et illud per-  
tinet, quod frigida scaturiginem, quæ ad ipsa calidarum capita salit, summo stu-  
dio per canaliculum educi oportet, id quod Anno clō IcccXXII. Mense Maio, cum  
hic lauarem diutius, non sine iucunditate, aduerti, mirabarque, qui fieri posset, vt  
ex eodem cuniculo, frigida simul emanaret calidaque.

## §. V.

Ceterum lauacrorum alterum, ac id quidem maius, plebi promiscuæ, alterum  
honoratioribus viris iuxta et feminis, destinatum est: et istud quidem longitudine  
decem, latitudine autem passuum sex, ad eam altitudinem, quam viri, pedibus  
incedentis statura deposcit. Reliqua ad eum modum facta sunt, qui in extruendis  
balneis istiusmodi obseruari consuevit; vt aqua, quoties lubet, educi atque alucus  
ipse perpurgari possit. Quæ hinc effluunt aquæ, in aliud lauacrum, sed extra ædium  
tecta, colliguntur. Id illud est balneum, quod serpentum vocitari supra BROWN-  
NIVS dixerat. Totum illud iis permissum est, qui fœda quadam lue, aut vlcerebus  
adfecti sunt contagiosis. Alioquin non huc modo, sed cum primis in duo illa po-  
tiora lauacra, serpentes subinde illabi consueuerunt. Nimirum aquarum calore al-  
lectæ, passim in eo cuniculo, vnde thermas nostras manare diximus, oua ponunt,  
quæ vbi exclusa sunt, iamque g) recentes fœtus adolescere cœperunt, ab aquis ab-  
reptæ per canales subterraneos deferuntur ad thermas; sed nulla cum lauantium no-  
xa; præterquam enim quod ex calore aquarum elanguidæ fiunt, certe in ipso lauacro  
necantur opinione celerius, atque fundum petunt, hinc vero demum in vicinum il-  
lud balneum eiiciuntur emortuæ; vt difficile sit coniectare, quomodo BROWNIVS  
serpentes in eo ludentes potuerit obseruare.

Nn

§. VI.

e) Prima Thermarum ædificia, haud procul a fontibus ipsis, exædificauerant, earum repertores; quæ postea, cum lauantibus incommoda essent, siue ob serpentes, lauacris promiscue illabentes, siue ob nimium aquæ feruorem, deserta, nouaque, ad montis radicem, excitata sunt: vt hodie, præter geminam scrobem, quibus accipiebantur calidæ, nihil amplius ruderrum supersit.

f) Cum anno clō Ibcxxi. cuniculos non minus, quam puteos, per quos fontium capita adeuntur, reparari oporteret, obseruarunt metallici, operis intenti, cum *Martis Minera*, *Venerem* quoque misceri.

g) Sed maiores subinde serpentes, vbi se in gyrum complicauerunt, canales obturant, et præcludunt aquas.

## §. VI.

Opportu-  
nitates  
earum.

Incom-  
moda.

Victus  
ratio.

Illud inter præcipuas thermarum nostrarum opportunitates referri meretur, quod ædes habeant bene capaces, radici montis inædificatas. In harum superiore parte, lauacra illa, quæ iam descripsimus, eo situ exstructa sunt, ut per gradus ascendendum ad ea sit lavaturis. Sed dantur cubicula thermis quoque ipsi contigua, quæ si pro aquarum salubri efficacitate, necessario apparatu instruerentur, vix vsquam commodius, quam in his Thermis, lavaretur. At enim, quæ est regionis atque hominum nostrorum infelicitas, an difficultas temporum, quod negliguntur ista, saltem, uti deceret, non procurantur, difficulter plures aduenæ in publicis istis ædibus hospitantur. Accedit duritas accolarum nonnullorum, qui peregrinos curandi corporis causa ad Thermas accedentes, non modo non accipiunt benigne, sed et contra leges humanitatis, subinde hospitali cubiculo exturbant, causam obtendentes, se indigenas esse, quibus potiora sint iura ad utendum domesticis naturæ beneficiis, quam aduenis. Atque id quidem plerumque ab impotente vulgo, raro ab his, qui et ipsi sub alieno sole vixerunt, fieri advertas. Utinam vero ii, ad quos Thermarum spectat procuratio, hanc morum insolentiam refrenarent: ea enim re, cum peregrinis consulerent, tum auerent quoque proventus suos, alicerentque exteros, ut *Baias* istas eo frequentarent lubentius. Ceteroquin victus ratio parabilis hic esse consuevit, cum obsonia, omnis generis, nullo negotio, ex vicina *Schemnitziensium* vrbe, haberi omnino possint; *Granus* præterea piscium ac cancrorum affatim suppeditet. Nisi hic quoque supina hominum agrestium negligentia, iure merito deberet accusari, qua fit apud nos, ut res, quas munifica parens natura, exiguo laboris impendio, liberaliter impertitur, raræ subinde euadant, et fere transmarinis similes.

## §. VII.

Regionis  
ingeni-  
um.

Situs  
amœni-  
tas.

Denique, quod ad regionis huius ingenium adinet, supra diximus, abundare eam *Minera Martis*, ex cuius indole quid Thermæ nostræ participant, eo loco patefcet, ubi ea de re ex instituto agemus. Ad scaturiginum caput, decem fere a cuniculo illo, in orientem passibus, *Lapis Specularis*, quem et *Glaciem Mariæ*, vocant, elegantissimus, digiti auricularis longitudine, sed crassitie fere pollicis, in argillacea terra, haud ita pridem inuentus est. Ibidem, ac cum primis super eo cuniculo, quem sapius memorauimus, saxorum quoddam genus visitur, specie haud absimile *Sali nitri*, et *aluminis*, quod igne vehementiore exustum, calcem præbet, hæc vero lixiuium longe acerrimum. Situs regionis, montanus totus est, eoque amœnior, quo elegantiore varietate, nunc in colles et prærupta iuga petrasque adsurgit, nunc vallibus passim depressis, in planitiem, discriminatur. Luci atque nemora, Thermis circumposita, secessus lauandibus præbent, sicuti oportunos, ita amœnissima tempe æmulantes.

*Accedit rapidus, montano flumine torrens,*

qui vallem eam facit irriguam, ac nocte in primis concubia, præcipiti sonoroque lapsu aquarum, obdormiscentium aures mirifice demulcet. Præter hunc torrentem alter quoque, sed is tamen placidior, a meridie Thermis nostris adlabitur, qui priore illo haustus, et in canales collectus, molam, exiguo inde intervallo, impellit. Sed nec scaturientes passim fonticulos desideres, quorum aquæ glaciale frigus æmulantur, adeo, ut recentes, vix bibi possint; sed ubi tepore aduentitio a frigore illo remiserunt, amarum quiddam sapiunt, eaque re indolem metallicam produnt: potui nihilominus et cocturæ perquam vtilis existunt. Erat antehac fons quoque acidularum centum passibus inter orientem atque meridiem a thermarum ædibus, in horto rustici situs, quem tamen ingratus ille homuncio, ut promiscuam

miscuam plebem, quæ e thermis egressa, circa fontem hunc castra quasi metari consueuerat, arceret, nequiter obturauit. Nunc eadem illa vena, in torrentis margine, sed extra hortum, salit, et ab accolis data, vt opinor, opera, ne cereuisiæ viniq; prouentus imminuerentur, quam negligentissime habetur, ranarumque est perfrugium. Sapor acidulus, satis prodit, pro regionis huius ingenio, aquam *Vitriolo Martis saturatam*, adeoque ad bibendum haud plane insalubrem esse. Jam oscinum cantus maxime vere adolescente, vix alibi vnquam audiri potest suauior; vt crederes h) *PHILOMELAM*, cum Deorum miseratione in auem conuersa fuisset, huc relegatam esse, vt dulcissimo cantu, desleret iniuriam, quam passa est, genusque propagaret suum. Naturam situs, aëris temperamentum sequitur, qui sicuti saluberrimus, ita pro regionis montanæ ingenio, frigidior est, quam in locis campestribus. At enim vero, longum foret, reliquas thermarum opportunitates, explicare. Igitur coronidis loco prospectum earum, scita manu descriptum, en L. B. Tecum communicamus, partes instituti ceteras persecuturi.

Prospe-  
ctus  
aneis  
formis  
expres-  
sus.

## Thermæ Vihnenses.



1. Aedes publicæ 2. Lauacrum pro accipiendis dignioribus 3. Lauacrum Rusticorum

N n 2

MEM.

b) OVIDIUS Metamorph. VI. 451. et 503.  
Adde et *Elegiam*: de *Philomela*,

quæ Libris OVIDII subnecti consue-  
uit.

MEMBRUM II.  
PHYSICVM.

De  
Thermarum Vihnenfium natura.

Synopsis.

- Indoles regionis Thermarum recognoscitur.* Earundem ἀνάλυσις accuratior. §. IV.  
 §. I. Experimenta liquoribus probatoriis instituta. §. V.  
*Tophus earum describitur.* §. II.  
*Aqua ipsius limpiditas; calor, odor, sapor:* Elementa Thermarum nostrarum qualia?  
*Vestes balneanas, quo colore tingant?* §. VI.  
 §. III.

§. I.

*Indoles  
regionis  
Therma-  
rum re-  
cognosci-  
tur.*

**E**xplicatis, quæ ad historiam Thermarum pertinere videbantur, iam de natura earum et temperamento, quæ sunt necessaria, dicamus. Et de regionis quidem indole supra notauimus, abundare eam *Minera Martis*, cum qua, pro more, lapis *Magnetis* consociatur: est enim cum alias semper, tum in ipsis quoque natalibus, mira *Magnetis* cum ferro, concordia, ut ubi ferrum, illic plerumque *Magnes* eruatur. Atque propterea, iam tum priscis temporibus, officinas ferrarias hic extitisse, diximus. Et visuntur sane passim complura fodinarum ferri vestigia, sed vetustate obsoleta, si cuniculum eum excipias, in quo scaturiginum sunt capita: quippe qui calidarum, quas suppeditat, gratia, inter eos habetur, quorum cultura, secuturis temporibus, consentiente magistratu metallico, a) referuata est. Repetendum propterea hic est, præter lapidem *calcarium*, terram quoque argillaceam passim, lapidem autem *specularem*, eo loco reperiri, ubi calidæ nostræ scaturiunt.

§. II.

*Tophus  
earum  
describi-  
tur.*

Tale cum sit soli ac regionis ingenium, facile erit de aquarum natura existimare. Nimirum uti ex lapide *calcario-Martis* scaturiunt, ita in ipsis fontibus, obuia quæque *ochra* tingunt, sublutea et *croco Martis* haud absimili; quæ demum cum in ductibus subterraneis, tum in ipsis etiam lauacrorum alueis, in tophum coalescit largissimum, qui totus ex b) lamellis, sed inæqualibus, et quæ labentis stagnantisque fluctus aquæ quodammodo referunt, compositus est: qua quidem re differt, a topho *Carolinarum*, quippe lamellis constante, arte quasi quadam expolitis. Idem hic calidarum nostrarum lapis, extus quidem *croceus* apparet, intus vero *castanearum* colorem æmulatur, ac sparsis hinc inde scintillulis, radiat. Ad fontem ipsum, parciorem gigni videas, sed solidum tamen adeo, ut chalybis ope, ignis ex eo, non secus, quam ex pyrite consuevit, elici queat. Quo præterea propior est ad fontem, colores, quos diximus, eo refert exquisitius, obscurius contra, quo est inde remotior, ubi et largior gignitur, sed fragilior tamen, quin extrema sui parte plane friabi-

a) Germani vocabulo suo *Fristen*, dicunt.  
 b) Lamellarum istarum compagem discolorum (aliæ enim *castaneum*, aliæ *rutilantem*, iterumque aliæ *croceum*, referunt) cum aduentus, anno, quem dixi MDCCXII. contemplerer, inque eius rationes sollicitius inquirerem, relatum mihi est a *chirurgo*, therma-

rum curatore, nouas, easque diuersi coloris, topho illi, lamellas adnasci, quoties calidæ aliorum deriuantur, ut a topho canalium quædam pars liberari queat. Tunc enim immissa denuo canalibus, lamellas nouas adgerunt, colore, hic quidem *castaneo*, alibi *croceo*, alioue, adscito.

friabilis. Tanta vero copia tophus hic canalibus increſcit, vt facile aquæ ductus menſibus ſingulis obturaret, niſi recluſis frequentius meatibus, elideretur. Certe lauacri parietes, ſcamna atque pauimentum ſic incruſtat, vt magni ſape res ſit laboris, ea, adſcitiſto iſto cortice, liberare: quod enim ſolidius tignis adhæreſcit, igne composito edomari eum oportet; ita enim ſubactus, facilius diffilit, neque c) operas æque fatigat.

## §. III.

Thermæ ipſæ limpidae ſunt, ac ita pellucidae, vt nummum in pauimento ſitum, non ſecus referant, quam transparentis vitri obiectu. Sed color tamen earum albus quodammodo eſt; odor, qui notari poſſet, fere nullus; ſapor contra ſubaciduſculus et adſtringens. Caloris, quo pollent, temperies, naturæ humanæ longe accomodatiffima eſt, eoque *Sklenenſibus* potior; atque id cum primis verno ac æſtuo anni tempore. Enimvero, frigore ingraueſcente nimium tepescunt, eoque ad lauandum ſi non inuiles ſiunt, minus tamen ſunt iucunda. Quod ſi autem primo vere, vel autumnio in hyemem inclinante, cum aura frigidior eſſe conſuevit, lauandum ſit, thermæ exinaniuntur frequentius, atque immiſſis aquis recentibus, ne diutius ſtagnando tepescant, quodammodo prouidetur: quo enim recentiores ſunt aquæ, eo calor earum intenſior eſt, remiſſior contra, quo d) diutius lauacro continentur; licet ſine ceſſatione affluant diffuantque. Vestes balnearias, colore ex albo quodammodo flauoſcente, tingunt penitiſſime, qui demum nullo ſiue lixiuio, ſiue ſmegmate, ſed lactis fero, ſi id feruidum affundatur, eoque probe eluantur, abſtergi poteſt: in cuius rei cauſas, inquirent alii.

Aquæ  
ipſius  
limpidi-  
tas: ca-  
lor, odor,  
ſapor.

Veſtes  
balnea-  
rias, quo  
colore  
tingant.

## §. IV.

Porro, ſi quis accuratam calidarum noſtrarum ἀνάλυσιν requirat, longa obſeruatione atque experientia haud fallax, ſequentia nos docuit. Hauſta e fontibus aut balneo, atque reſoſita aliquantisper, ſuperfici ei cuticulam inducit longe tenerrimam, eamque albicantem, ſed ochram notabilem haud deponit. *Deſtillata*, vel ignis ardore in vapores acta, nullum odorem peculiarem ſpirat, nec quinque librarum ponderis medici, plus ſedimenti præbet, quam ſcrupulos duos. Eſt illud puluis ex albo flauoſcens, qui cum acidis mixtus, parumper ebullit, eſtque ſaporis falſi ſubadſtringentis, qui vix tertia ſui parte in aqua ſoluitur. Eadem ſolutio, ad ſiccitatem euaporata, ſal ſiſtit acido amaricans et ſubadſtringens: quod calcinatum, et aqua ſolutum, ſedimentum deponit nigricans; cuius ſolutio, affuſo Oleo Tartari, lacteſcit, deponitque ſedimentum cretaceum bene copioſum, quod cum Spiritu Vitrioli pauillum efferueſcit. Ipſe lapis tophaceus, quem aquæ noſtræ gignunt, ſi crudus contundatur in pulueres, miſceaturque cum acidis, ebullit paulo fortius, ac odorem ſulphuroſum ſpargit. Sin vero igne in calcem ſubigatur, colorem induit ex nigro fuſcum, et ritu calcis communis, affuſa frigida, notabili modo efferueſcit, ſed et acre lixiuium præbet. Admotus pulueri huic *Magnes*, tenerrimas particulas, inſtar *limaturæ Martis* ſubtiliſſimæ, adtrahit quidem, ſed minus copioſe, minusque pertinaciter, quam id circa tophum calidarum *Sklenenſium* obſeruauimus: vt inde colligas, tophum hunc *Vihnenſem* non modo materie calcaria abundare, ſed lapide etiam magnetico permixtum eſſe.

Earum-  
dem  
ἀνάλυσις  
accura-  
tior.

O o

§. V.

c) Accidit forte, vt canalium illam partem, quæ proxime ab ædibus abeſt, eliſo topho perpuraret operarum iſtarum curator. Acceſſi ad hominem, miratiſſime ſum vitium illam contentionem, qua in laborem incumberebat, ratus, tenuiore brachio, rem illam confici poſſe. Igitur, claua arrepta, facio periculum; ſed adeo nihil proficio, vt plus minus iſtibus viginti, tametsi non ſim ita fractus et elumbis, vix ac ne vix quidem lapidem, vnius palmi magnitudine,

potuerim elidere. Relictis ergo operis, ſatis mihi erat, iſto conatu, lapidis aquatici duritiem, explorauiffe.

d) Sed lauantium aliqui aliter malunt: Nempe, quod lauacri parietes, calidis concalefactos, refrigerare credunt, ſi thermæ exinaniuntur ſæpius, iisdem aquis, ſubinde, tridui ſpatio, innatant, rati, ea ratione, cum calore thermarum, ipſam quoque ſalubritatem, conſeruari.

## §. V.


Experi-  
menta  
liquori-  
bus pro-  
batoriis  
institu-  
ta.

Reliqua experimenta, quæ liquoribus, quos probatorios vocant, instituimus, hæc fere sunt: ab infusione *solutionis Sacchari Saturni* perturbata lacteaque reddita, *magisterium album*, idque copiosum, post aliquot horas, deposuit: ab *Oleo Tartari* per *deliquium*, non tam intense lactescebat, similis tamen *sedimenti* albi ostendebat vestigia. *Solutio Lacmi* colorem aquis nostris inducebat rubrum, atque sanguini modice diluto, haud absimilem, ac post horas aliquot, pulverem caruleum, *Lacmus* referentem, præcipitavit ad fundum. *Solutio Aluminis* leuiter eam turbavit, *sedimento*, nubeculæ instar, deposito. *A Solutione Mercurii sublimati* turbata est ad modum feri lactis, et tenuem ac resplendentem, in superficie cuticulam, ostendit, atque interiecto XXIV. horarum spatio, pulverem album deposuit. *Infusio Spiritus Vitrioli*, ebullitionem in ea leuem et momentaneam excitavit; id quod infusionem quoque *solutionis Nitri* et *Salis communis* fecisse, obseruauimus. *A Syrupo Violarum*, instar graminis viridescebat. *Liquor Nitri Fixi* turbavit eam quidem, sed leuiter,posito modico admodum *sedimento*, inductaque superficiæ tenera et rutilante membranula. *A Pulvere Gallarum* turbata, primo fuscum colorem, siue ex rubro in atrum vergentem, deinde cuticulam densam et radiantem, induit, præcipitavitque *sedimentum* copiosum, atque id quidem in fundo atrum, sed superiore sui parte albicans. *A Solutione Vitrioli Veneris* turbata, mox caruleum adsciscebatur colorem, atque *sedimentum* consimile, sub specie floccorum, deposuit, membranulam tenuem in superficie referens. *Infusa Solutione Vitrioli Viridis communis*, multum perturbata, flauum quasi colorem adsciuuit, atque cuticula induta crassiore, *sedimentum* flauum deposuit. *Solutio Vitrioli Martis* non solum aquam valde turbavit reddiditque viridescentem, sed floccos etiam similes ad fundum sensim præcipitavit, et quæ fuerunt reliqua.

## §. VI.

Elemen-  
ta Ther-  
marum  
nostra-  
rum  
qualia?

Capi ex his omnibus, argumentum posse arbitror, inter ea, ex quibus mirifico naturæ opificio, constitutæ sunt aquæ nostræ, præualere *Martialem* atque *calcariam* materiam. Videlicet, totus iste tractus, quod dictum est supra, *Marte*, quem *Magnes* comitatur, iuxta et *calcario* lapide abundat. Hos istiusmodi meatus subterraneos cum per varios anfractus transeunt calidæ nostræ, non possunt non quidpiam istarum rerum secum trahere, quæ deinceps natiuo illo feruore et efficacitate salium solutæ, aquis se miscent, earumque naturam, eo modo constituunt, quem nunc descripsimus. Proinde perpetua illa materiæ *trophaceo-ferruginosæ* in canalibus ac balneis accretio, nequiquam noua quædam lapidis generatio censeretur debet; sed assidua tantum *precipitatio* particularum istiusmodi, quas aquæ per intima montium penetralia labentes, secum rapuerunt, atque caloris et salium beneficio ita soluerunt, vt in naturam quasi earum transire debuerint. Enimuero calore illo aquarum, quem eo intensiorem esse oportet, quo eæ manant profundius, sensim deseruescente, necesse est, vt particulæ istiusmodi, quæ ab euanidis vaporibus nequeunt abripi, subsidant, et mutuo quasi connubio quodam reduniantur, lapidemque constituent, et solidum, et grauitate ferrum æmulantem. His quæ iam commemorauimus, accedit *Sal* quoque *alcalico-aluminosus*. Indicium eius, cum multis aliis, tum hoc potissimum documento deprehendi, quod aquæ sapor subacidiusculus sit, et adstringens. Adeo vero parce eum admixtum credimus, vt vix tertiam eorum, e quibus thermæ nostræ constant, partem constituere credamus. Hactenus de natura Thermarum nostrarum.



MEMBRUM III.  
MEDICVM.

De  
Virtute, et Efficacia Thermarum  
Vihnensium.

Synopsis.

Thermis nostris vsuris, quid factu opus? tempus lotionis quale? modus quomodo seruandus? §. I.

In lauandis quomodo efficacitatem exerant? cutis erosio: quomodo tractanda. §. II.  
Aduersus quos morbos opem spondeant? §. III.

Vilitates earum reliqua. §. IV.

Metallicis quid prestent? iusta aduersus eos querela. §. V.

Vsus Thermarum nostrarum externus tantum est: cur salubriter bibi nequeant? veterinariorum medicina. §. VI.

§. I.

**A**ccessuris ad Thermas nostras in id maxime incumbendum est, vt, *Vniuersalibus*, quæ dicimus, hoc est *euacuantibus*, ac si opus sit, *Vena* etiam *sectione*, præmissis, bene præparati veniant; ne corpus nociuis oppletum humoribus, aut thermarum efficaciam eludat, aut morbis aliis reddatur obnoxium: nisi forte quis non tam curandi, quam abluendi corporis causa eas adire constituerit. Tum et temporis habenda ratio est. Verum certe et autumnale, cum ad lauandum commodius est, tum maioris etiam efficacitatis: quod tunc et subterranei halitus illi, e quibus thermæ nostræ vim medicam accipiunt, intensiores sunt purioresque, et corpus humanum recipiendæ salubritati aptius: hyeme enim, aut æstate adulta, lauare, sicuti ex se molestum, illic frigore, hic æstu ægros adfligentibus; ita vix boni fructus esse consuevit. Corpore, vti necessum erat, præparato, et delecto, quod maxime opportunum fuerit, tempore, sic vtendum erit thermis, vt sub initium quidem temperatius, largius postea, numquam tamen, nisi concoctione peracta, lauent; quem demum ordinem continuari oportet eoque, dum lauandi tempus ad summum progressum, sensim ad ea iterum spacia redierit, a quibus cœperat. qua quidem in re, medicorum consiliis oportebit vti hos, qui noluerint expectatione sua excidere.

Thermis nostris vsuris, quid factu opus.

Tempus lotionis quale?

Modus quomodo seruandus.

§. II.

Facto lauandi initio, plerique omnes, aluum acquirunt lubricam, et *spontaneas diarrheas*, notabili cum *euphoria*. Quin et cutis celerius hic, et largius, quam in thermis aliis consuevit, in pustulas efflorescit. Profecto, qui sunt spongiosi habitus, adeoque superfluis humoribus abundantes, si lotioni plusculum indulgeant, vlcera, in iis potissimum corporis partibus, indipiscuntur, quæ *glandulose* sunt, adeoque humorum affluxui obnoxia. Tametsi vero methodus hæc, Thermis, vsque ad cutis istiusmodi erosionem, vtendi, cum doloris sensu, exquisito satis, coniuncta sit, atque ab his, quibus cuticulæ potior, quam sanitatis, cura est, declinari soleat; certum nihilominus, exploratumque est; optime eam conducere *Phlegmatico-Sanguineis*, et qui abundantia corruptorum humorum, *lymphatico-serosorum*, laborant. Neque id temere quisquam negauerit, cum palam sit, ipsam quoque scabiem, si ea bene successerit, neque in humores præpostera medicatione, atque vnguentis, fuerit percussa, sanitatem post se relinquere solidam, et nullo facile medicationum beneficio, obtinendam. Interim, promiscue omnibus suadere nolim, vt tam diu, ac frequenter, lauent, dum cutis huiusmodi erosio, sequatur; nisi

In lauandis quomodo efficacitatem exerant? Cutis erosio.

quomodo  
tractan-  
da?

eam causæ graues, de quibus medicus dispiciet optime, suaserint. Illi vero, apud quos cutis erosa iam est, summa cum cura prouidebunt, ne ante a balneo se abstineant, quam ea sponte, et sine vnguentis, solo calidarum, sed moderato tamen, vsu, sanata prorsus fuerit: cum obseruatum sit crebrius, hanc istiusmodi incuriam, ob reuerberatos humores, quos ad *peripheriam* nitebatur excernere natura, graues ac obstinatos morbos fuisse consecutos.

### §. III.

Aduer-  
sus quos  
morbos  
opem  
sponde-  
ant?

Quia vero caloris aquarum nostrarum temperamentum, suaue est, atque ita factum, vt nec sanguis nimium ex eo concalescat, atque commoueatur, sed nec viscera humana, notabili quadam ratione, adficiantur, exacerbentur; quod, ex vsu calidarum, passim fieri obserues: procliuè erit ad colligendum, egregiam eas spondere medelam, in iis morbis, qui ab *infarctu* viscerum abdominis oriri consueuerunt. Et sane vsus nos docuit longior, cum experientia adtentiore coniunctus, *resoluentibus* et *euacuantibus*, quin et *Vena sectione* vti decuit, præmissis, in *Lienis*, *Hepatis*, item et *Glandularum Mesaraicarum infarctu*, morbis alioquin obstinatis, calidas nostras opem tulisse efficacissimam. Nec minus conducere eas obseruatum est, præmissa medicatione interna in *Chlorosi*, *suppressione* et *difficultate Mensium*, in *Anasarca* et *Tympanitide* incipiente, puta, si temperatius, et debita cum cura, adhibeantur, interponanturque subinde, interna *aperientia* et *euacuantia*. Quin et tumores, ex male tractato *Erysipelate* ortos, aut in declinatione *Podagræ* sese exferentes, feliciter discutunt tolluntque; edomant vlcera *phagedemica*, inueterata, rebellia, et quæ sunt difficilioris curationis; sed vsu thermarum, debito cum regimine, quatuor, quinque, immo pluribus etiam hebdomadibus, si opus sit, continuato.

### §. IV.

Vtilita-  
tes earum  
reliquæ.

Egregios præterea in *Fluore albo* Thermarum nostrarum effectus fuisse, non vno exemplo didici; quin obseruaui etiam, haud paucos *Rheumatico-artibriticis* affectibus laborantes, quibus callidæ istæ optime proderant, partium adfectarum doloribus pedetentim discussis. Quia vero adfectus isti facile redeunt, suadere soleo, vt Thermis nostris sæpius iterumque vtantur, qui habent, cur sibi ab istiusmodi morbis metuant: id quod optato semper successu multos fecisse hucusque, non sine voluptate recordor. Neque enim *curatiue* tantum, vt loquimur, efficacitatem suam in morbis recensitis exferunt calidæ nostræ, verum *præseruatiue* etiam, imminentes morbos illos, alioquin chronicos et rebelles futuros, tempestiue antevertunt.

### §. V.

Metallicis  
quid præ-  
stent?

In primis commemorari meretur Thermarum nostrarum utilitas, quam eas metallicis præstare certum est. Qui enim operosissimum hoc, et periculi plenissimum, vitæ genus sectantur, morbos plerumque colligunt; sicuti vix familiares aliis, ita ad curandum difficiles et refractarios. His vero, nescio, an efficacius obuiam iri possit, quam iuncto simul cum medicatione interna, Thermarum externo vsu, vt morbi, ab effluuiis mineralium orti, mineralium aquarum efficacitate rursus debellantur. Atque ideo opportune munifica parens natura, iis plerumque locis, de calidis prouidit, vbi metallorum ferax est regio. Nempe vt haberent medicinam gratuitam homines miseri, et medicationibus aliis præstandis impares. Idem circa *Vihnenses* has, quin *Sklenenses* etiam, obserues, quas cum primis eo fine hic a benigna parente, ex imis terræ visceribus eductas credere fas est, quo præsentissimum in iis auxilium metallicis impertiretur. Et fit profecto, vt gens pauperissima, id e thermarum istarum vsu sine sumptu referat, quod ditiores vix a celebratissimis magnoque parabilibus remediis poterunt expectare. Præterquam enim quod sordes ex labore subterraneo affatim collectas, et sudoribus, vt fit, largius per-

perfusas ac penitus hærescentes , egregie abluant , eaque ratione cutem , ad transmittenda noxia effluuia , quæ in cuniculis imbiberunt , peruiam reddant penetrabilemque ; certe membra neruosque , cum diurnis operis , tum maxime halitibus mineralibus labefactata , immo ad παραλυσιν quodammodo disposita , egregie corroborant , pristinoque vigori feliciter restitunt. Habent enim calidæ nostræ efficaciam *tonicam* , cum morbis aliis , tum his maxime vtilem , qui seu in membrorum resolutione consistunt , seu ab ea originem trahere censentur. Ossium præterea fracturas , quæ inter operas metallicas crebriores eueniunt , si medica manu sanata iam sint , egregie redintegrant consolidantque. Illud sine dolore nequeo recordari , quod beneficium isthoc naturæ , nullis non antefendum medicationibus , multa arte non minus , quam sumptu factis , gens metallicorum , oppido impotens , nepotabunda , et per lasciuiam turpiter prodigat. Atque id est , quod lauandis in thermis nostris , molestiam facit intolerabilem. Festis enim diebus , et cum sunt ab operis cessationes quædam , luna cum primis decrescente , integra metallicorum examina videas aduolare. Hi demum in omnem effusi licentiam , dies noctesque in lauacris transmittunt , et nisi adsint , quos reuereantur , obscenis canticis liberaque vociferatione implent omnia , neque digrediuntur prius , quam aut obsonia , quæ secum adferunt , eos defecerint , aut præstitutum tempus ad operas reuocauerit. Ita hebdomadis stipem , magno vitæ laborisque partam impendio , in calidis istis proterue decoquunt , vix habituri , quo secutura hebdomade , inter durissimos labores , vitam tolerant. Certe multi ad operas redeunt languidiores , quam ad thermas venerant. Siquidem

*Iusta de  
iisdem  
querela.*

*Balnea , vina , venus eneruat corpora nostra.*

Adeo nimirum , eminentia plerumque bona , in lasciuiam vertuntur.

## §. VI.

Ceterum , quæ de efficacia Thermarum nostrarum diximus , non quidem de interno earum vsu , qui potando fit , verum de eo accipi volumus , qui totus lotionem externa , sed debite tamen instituta , absoluitur. Enim vero , potui inutiles , saltem minus efficaces ideo futuras credimus , quod *sale nitroso* destitui videantur. Reliqua vt fusius prosequamur institui modus vetat. Istud silentio transmittendum haud est , quod nec lapis quidem , qui ex aquis nostris concreuit , medica virtute careat. Namque veterinarii iumentis pressura , siue iugi , siue ephippii læsis , egregiam ex eo lapide medicinam faciunt : qua in re hoc modo eos versari accepimus : lapidem nimirum , siue solidus sit , siue friabilis , conterunt in pulueres ; hos demum , vt eo sint tenuiores , per cribrum traiciunt , atque perpurgato iumentum vulnere , largiter ei veterinariam hanc medicinam adspargunt ; qua fit , vt vulnere semel iterumque eo modo tractato , durior quædam crusta , ex vulneris sanie et pulueribus increseat. qua detracta sæpius , continuatoque pulueris vsu , tandem vulnus exsiccat , et in cicatricem coire incipit. Ista veterinarii faciunt , haud quidem inepte , cum insit omnino *Marti* non minus , quam *calci* ( quæ in thermis nostris inesse diximus ) vis consolidandorum vulnerum , cum hæc quidem inimicos humores exsiccet , ille fibras in cicatricem con-

*Vfus  
Thermarum  
nostrarum  
externus  
tantum  
est.  
Cur salu-  
briter  
bibi ne-  
queant.  
Veteri-  
nario-  
rum me-  
dicina.*

trahat. Sed hæc sufficient. *Plura in*

*ipso opere.*



## CAPVT VI.

## De Acidulis Hungariæ.

*Synopsis.*

**P**ost Thermas ACIDVLAE nobis curæ sunt. Difficile est omnium earum numerum inire, hinc præcipuas tantum percensebimus, ac in his potissimum, quarum a Medicis, vsus et efficacia commendatur: eorum enim opera heic vnice proficimus.

## CAPVT VII.

## De Montibus et Siluis Hungariæ.

*Synopsis.*

**P**ræmissis, quæ de montium origine atque structura disputari inter doctos consueuerunt, MONTES HUNGARIÆ, pro diuerso eorum habitu, ita partimur, vt alii nobis sint INVSITATI; VULGARES alii. Ad illos referimus, montes in primis CARPATHICOS, cum PROPRIE dictos in Comitatu *Lyptouiensi*, ac *Scepusiensi*, horrenda adtollentes iuga; tum *communes*, qui orsi ad *Posonium*, inter *Morauiam*, *Silesiam*, *Poloniamque*, ad *Marmarusiam* vsque, quin vltcrius, procurrunr. Montibus *Carpathicis* vtrisque, radices tribuimus, ab illis iugis, per proximos *Comitatus* sparsas, et variis nominibus insignitas. Multum vero operæ collocamus, in describendis CARPATHI iugis, et prodigiis, quæ illic mirifica parens natura, produxit, in triplici, animalium, vegetabilium ac mineralium, regno. Quæ omnia, vt eo fiant luculentiora, ICONEM exhibemus, protensorum ad octo fere milliaria, montium Carpathi, affabre elaboratam, ac in quatuor diuisam regiones, ad quas in descriptione subinde prouocamus, vt digito quasi indice, eo dirigi queant Lectores, vbi prodigii quidpiam editum a natura est. Succedent montes *vulgares*, ac in his *Matra*, flexis per plures Comitatus iugis, protensus; *Bik*, *Vértes*, vt iam innumeros alios, quorum opportuna fiet mentio, taceamus. *Siluas* inde peragramus, sed insigniores tantum, quales sunt *Bakonenses*, *Tserhatenses*, reliquæ. Tunc ferarum percensebimus genera, et volatilium species, non eas tantum, quæ in montibus, ac siluis, sed quæ in campestribus quoque locis, reperiuntur. Atque hic de *Venatione*, et *Aucupio* quædem.



Explicatio Notarum

- a. Aditus orguias tres latus, altus circiter duas, et Mesafrico oppositus.
- b. Descensus ad viginti orguias lucidus, Subsolanum spectans.
- c. Aditus antri sinister adhuc lucidus.
- d. Eiusdem continuatio pavimento plano ex grandi constante petra, quae foci ad regulam facti speciem refert. Inde tenebrosus ac salubrosus est descensus, atque iterum ascensus, qui lucem accipit ab aditu.
- e. occidenti opposito.
- f. E regione specus d. angusta via ad dextram itur in specum.
- g. Vulturium prospicientem. Inde medias inter columnas ex lapidescente aqua eleganter coactas, in specum.
- h. Multis stiris insignem et columnis quasi suffultam.
- i. Vastissima specus versus.
- k. Qua ob praecipitium adiri nequit.
- l. Hiatus in spatiosissimum antrum inferius.
- m. Angustus idemque praecipuus descensus argyrorum circiter triginta, usque ad specum.
- n. Unde descenditur per saxa a sinistris Hippocirium versus, in antrum glaciale.
- o. Vbi lacus congelatus. Ascensus hinc aperitur tenebrosus et praeruptis saxis nimium impeditus qui posteaquam lucis nonnihil accepisset emergit ad.

Antri Cserna Maioris

- p. Obvidentem versus angusto admodum exitu. In glaciali hac specu, ingens Notolibicum versus hiatus videtur, in quem facile est prolabi ob lubricam quae in eum est glaciem.
- q. Lubricus et periculosus descensus ad antrum, s.
- r. Foramen fenestrae consimile.
- s. Antrum stiris glacialibus praeditum.
- t. Spatiosus meatus in specum glaciale.
- u. Ad templi modum eleganter excavatum.
- v. Hiatus in occidentali spelunca. u. latere, una supra glaciale pavimento, orguia ad apertus, in quo stiris lapideae atque pulvis farinae instar albus visitur.
- x. Lubricus ad antrum y. descensus quem stiris glaciales ceu speciosa instituta reddunt insignem.
- y. Specus glacialis, quae caminum miro naturae lusu, ex glacia factum, columnam item cauiam ambitu sesqui orguiarum ostendat. A latere sinistro auleum e lapide concretio, unius digiti crassitie visitur, quod si percutiatur modestius, instar tintinabuli sonum edit. Sed a latere dextro versus.
- z. Ingens dehiscit profunditas in antrum glaciale desinens.
- \* Angulus ad Mesocaciao vergens.

NB. Regio intra b. c. d. e. m. una eademque concameraatione ceu fornix quadam constat.



α. Introitus in antrum β. meridiem spectans. Ista quoque regio glacialis est et stiris elegantissimis passim distincta.

γ. Specus pavimento plano quod pulueribus albis conspersum est.

δ. Antrum fornice amplissima, et quasi arte statuarum facta, insignis, quippe quae botrorum, florum, aliarumque rerum a ludente natura productarum figuris, distincta est.

ε. Aditur trabe immissa. A dextro latere cellarium quasi quoddam habet, partim pendens stiris, partim enata subitus glacie, opulentum: cui a laeva spelunca opposita est, cistarum receptaculum, quae belli tempore huc inferebantur.

ζ. Specus ad meridiem vergens. Habet columnam ex aqua lapidescente, aliud praeter ea saxum porosum et formae inusitatae. A dextris ascensus praecipuus versus antrum. ι.

κ. Regio stiris lapidescentibus insignis, quae admirando naturae opificio, speciem organorum musicorum praesferunt.

λ. Sacellum aemulatur, quasi choro quodam, et coactis ad statuarum formam lapidibus, insigniter ornatum, quarum unam ex ebore factam crederes. Globulorum praeterea ex guttis aquae lapide

lapidescentis factor, niuea fere albedine, magna hic copia reperitur, unconsimili. Ad sinistram hiatus est ductus brevioris.

μ. Omnium altissima specus, cuius summam concamerationem lumine adhibito, visu adsequi nequeas. Parietum alter recta ad Subsolanum adspicit, et altera quidem parte chorum, altera organon muris adunatum, refert. In medio turricula adparet, quam naturae lapidescente, per eleganter coagmentavit.

ν. Ostendat columnam, eodem naturae opificio factam, parte uero suggestum ad artis imitationem mirifico celatum.

ξ. Specus situ depressiori, lapidem habet baptisterion referentem partem superiorem, aqua iugiter desulans in modum perapiarios mentitur.

ο. Ascensus orientem versus, inter conos ex aqua concretioriori a dextris hiatus habet inaccessum.

π. Varii hic quoque lapidescentis aquae lusus, conu, candelae.

ρ. Statua germani praesferens speciem cuius caput galericum est, specus ipsa Mesaquilonem adspicit.

σ. Simulacra statuarum parili naturae lusu facta alba iuxta



cum arena  
 tedacum  
 igit.  
 um, ex  
 ex aqua  
 duersa  
 as, cuius  
 excauat  
 fauos  
 Parte su  
 ra, etc.  
 lo intedi  
 atra.  
 c. Qua

Quæ ad orientem spectat, globulos minutos, candelaborum formas, et simulacra statuarum, quarum una monachum refert, ostendit.  
 Angusta nimium specus, et in varios anfractus scissa, ut facili ad aberrandum sit via.  
 Pariet ex aqua lapidescente squamosus.  
 Stirax decidua, in crucis formam coalita, et alii naturæ lusus.  
 Elegans, et quasi manu facta concameratio.  
 Antrum longius pavimento cinereo, cuius parietes dexter, lacte petra abundat, molli hic et graui, quod in aerem protractum, indurescit sitque leue.  
 Cænofo pavimento, quod idem lac petrae sed subfuscum efficit. Transitus habet difficiles, et periculi plenos.  
 Ex antris g. et u. ductus se aperit in meridiem procurrens.  
 Continua versus c. specus Euroaustrium procurrens.  
 Albicante puluere conspersa specus, cum statuarum simulacris.  
 Machina altaris instar ex aqua lapidescente coalita.  
 Antrum glaciale, ductum habens versus g. inaccessum, adeoque inexploratum.

**Explicatio Notarum  
 Antri Cærna Minoris.**

- a. Aditus, orgijas tres latus, qui lucem specui adfundit.
- b. Descensus, qui pedetentim in maiorem abiit latitudinem.
- c. Grande saxum in interiori descensus parte.
- d. Regio antri saxosa, et sinistris lubrica.
- e. Stirax glaciales ingentis molis, ac plerumque in ambitu duas orgijas crassæ: a dextris, aqua destilans in glaciem concreuit.
- f. Descensus inter orientem et meridiem, tenebrosus et saxis impeditus, atque ex destillante aqua lubricus. Forix huius regionis passim foraminibus caua, et ita concamerata, ut arte factam crederes.

AN TRA  
 NFALVEN SIA  
 DMIRANDA  
 comitatu Liptoviensi  
 GIVS BVCHHOLTZ  
 Junior  
 ac fideliter delineavit  
 MDCCLXIX. d. III. Julii  
 adit  
 MATTHIAS BEL.



a. Quæ ad orientem spectat, globulos minutos, candelabrorum for-  
 mas, et simulacra statuarum, quarum una monachum refert,  
 ostendit.  
 b. Angusta nimium specus, et in varios anfractus scissa, ut facilis  
 ad aberrandum sit via.  
 c. Paries ex aqua lapidescente squamosus.  
 d. Stirax decidua in crucis formam coalita, et alii naturæ lusus.  
 e. Elegans, et quasi manu facta concameratio.  
 f. Antrum longius pavimento cinereo, cuius paries dexter, lacte  
 petrae abundat, molli hic et graui, quod in aerem protractum, in-  
 dure sit sitque leue.  
 g. Cænofo pavimento, quod idem lac petrae sed subsuscum  
 efficit. Transitus habet difficiles, et periculi plenos.  
 h. Ex antris g. et v. ductus se aperit in meridiem procurrens.  
 i. Continua versus c. specus Euroaistrum procurrens.  
 k. Albicante puluere conspersa specus, cum statuarum simulacris.  
 l. Machina altaris instar ex aqua lapidescente coalita.  
 m. Antrum glaciate, ductum habens versus g. inaccessum, adeoque  
 inexploratum.

Explicatio Notarum  
 Antri Cerna Minoris.

a. Aditus, orgijas tres latus qui lucem specui adfundit.  
 b. Descensus, qui pedetentim in maiorem abit latitudinem.  
 c. Grande saxum in interiori descensus parte.  
 d. Regio antri saxosa, et sinistris lubrica.  
 e. Stirax glaciales ingentis molis, ac plerumque in ambitu  
 duas orgijas crassæ: a dextris aqua desilans in gla-  
 ciem concreuit.  
 f. Descensus inter orientem et meridiem, tenebrosus  
 et saxis impeditus, atque ex desillante aqua lubri-  
 cus. Forix huius regionis passim foraminibus ca-  
 ua, et ita concamerata, ut arte factam crederes.

S. Mikoviny sc. Norib.

CAPVT VIII.

De Antris et Specubus Hungariæ.

Synopsis.

**L**Ulstratis montibus, et visis, quæ extus sunt, miraculis, ad intima eorum viscera pernoscenda, descendimus. Neque enim montes contextu vbiq̃ue solido, sed multis partibus cauo, sunt compositi, vnde *specus* enascuntur, et vastissima *antra*. Multa ea sunt, variaque in nostra Hungaria, negligentius hucusque habita, saltem non omnibus observata. Vt adeo præclare de rerum naturalium curiosis meritis sit, amicorum a) non nemo, quod rogatu meo, antra complura adiit, miracula eorum obseruauit, et ad leges Mathematicas, quam scitissime, delineauit. Dabimus ergo, ex eius recensione, Antra Draconum *Deminfaluensia*, *Cserna* maius et minus, *Okno* vtrumque; et *Dwere* cum prodigiosis *ossibus*, quæ illinc sunt extracta. Luculentiorẽ commentationem hanc omnem reddent b). **ICONES**, cum prodigiis suis, æri inscribendæ. Sequentur antra *Szent-Iuanensia*, prioribus consimilia; antrum item glaciale *Sziliczense*, in Comitatu *Tornensi*. Sunt et aliæ per Hungariam *specus*, apud *Thuroczienses*, et *Gömorienses*, sed a nemine, quod quidem sciam, cum cura perlustratæ, in quibus potentia diuinæ, exstantissima deprehendas vestigia. Recte **SENECA**: c) *Crede infra, quidquid supra vides: Sunt enim illic specus vasti, sunt ingentes recessus, ac spatia, suspensis hinc inde montibus saxa, sunt abrupti in infinitum hiatus.*

CAPVT IX.

De Metallis et Fodinis Hungariæ.

Synopsis.

**A**B antris, quæ natura formauit, ad ea venimus, quæ sunt manu et industria excauata, vt inde metalla, humanæ societati profutura, eruerentur: *Fodinas*, vulgo nominamus. Præmittimus, quæ generatim de *metallis* disputari consueuerunt, nempe, de eorum *Principiis*, *Generatione*, *Venis*, *Gnomonica*. Partimur inde *Metalla*, in *Perfecta*, quorsum referimus **AVRVM** et **ARGENTVM**; et *Imperfecta*, vbi expendimus *Cuprum*, *Ferrum*, *Stannum*, *Plumbum*: a quibus simul tractationem specialem de *Metallis* exordimur, *fodinas* singularum specierum, et harum historiam, percensentes. Effodiuntur autem **AVRVM**

P p 2

RVM

a) Est is Cl. GEORGIUS BVCHOLTZ junior, vir, pro eruditionis ratione, fortuna meliore dignissimus.

b) Exhibemus hic Lectori beneuolo, Antri *Deminfaluensis* maximi icona, accurate, qua fieri potuit, maxima, de-

lineatam, cuius plenam historiam in operis progressu, cum reliquis, percensibimus. Nunc imaginem vnicam expressisse sufficiat.

c) Natural. Quæst. Lib. III. c. 16.

RVM *Cremnitzii* et *Botza*, ARGENTVM et AVRVM *Schemnitzii*, *Vj Bánye*, *Béla Bánye*, *Baka Bánye* et *Nagy Bánye*: CUPRVM, *Neosolii*, *Libetha*, *Szomolnokii*, et vicinis locis: FERRVM *Dobschina*, *Csetnekii*, *Taxouie*, et illic locorum passim. *Botza*, et toto illo montium tractu, qui *Carpatho* connexus est, variae *Minerae Antimoniales*, Aurum, Argentum, Cuprum et Ferrum complexae, reperiuntur, quas tamen ob separandi modum, hucusque ignotum, negligi videas. *Stanni* nulla nobis *Minera* est, credo, quod nondum detecta: *Plumbi* copiosior, *Schemnitzii*, *Poinikii*, et alibi; sed quae, partim, si aut nullum, aut certe paucum habeat aurum vel argentum, negligitur; partim, si *Antimonialis* sit, auro licet et argento maritata, ob ignorantiam *processus*, sicuti in *Ieszena*, deferitur. Sequuntur inde, quae sunt *Metallis adfinia*, puta: *Mercurius*, *Cinnabaris*, *Antimonium*, *Magnes*, *Vitriolum*, *Auripigmentum*, *Marcasita*, cetera. *Limos* deinde, qui metallorum venas investigant, examinabimus, et quales pro diuersitate loci et coloris eorundem, metallicae minerae, arte obstetricante, produci ex iis possint, dispiciemus. Addimus non iniucundam dissertationem de *Lapidibus*, quos habet Hungaria, cum *pretiosis*: *Carbunculo*, *Adamante*, *Topazio*, *Opalo*, *Rubino*, *Granato*, *Crystallo*, aliisque; tum non *vbique obuiis*; Nimirum *Asbesto*, *Marmore*, *Alabaastro*, *Pumice*, reliquis. Tum de *Arena Danubii*, et reliquorum Hungariae *Fluuiorum*, solliciti erimus, vbi de *Lotura* quoque *Auri*, cum fructu instituenda dicemus. Et hoc quidem caput, *Chymicorum* industriae, et qui rei metallicae scientia pollent, dabimus elaboratum, iuncta, si fieri potuerit, *Ichnographia* fodinarum omnium.

## CAPVT X.

## De Salinis Hungariae.

*Synopsis.*

**L**apidum summe necessarius, SAL est. de quo naturae parens Deus O. M. vberime prouidit Hungariae. Est vero *Sal Hungaricus*, vel *fontanus*, qui ex aqua salugine *impregnata*, excoquitur; vel *fossilis*, seu *sal gemmae*, qui e terrae visceribus eruitur. Ille in *Comitatu Sarosiensi*, eo loco, cui nomen dedit, *SÓVÁR*, praeparatur; hic vero in *Comitatu Marmarosiensi*, magno prouentu, effoditur: ea praestantia, vt merito, optimo Europae sali, si non praeferi, saltem aequiparari possit.

## CAPVT XI.

## De Vineis et Vino Hungariae.

*Synopsis.*

**H**UNGARIA, vini prouentu celebris, tota fere vitifera est, si *Comitatus* aliquot, qui ad Septentriones vergunt, et in *Carpathi* radicibus siti sunt, excipias. Quando vineae in Hungaria coli coeptae

coeptæ sint, vulgi ea de re fabulæ, et historicorum monimenta. An id primum PROBI Imperatoris temporibus factum? auctoris ea de re iudicium. Citius in Pannonia, quæ hodie *Hungaria est trans Danubium*, quam siue apud Iazyges, siue altius, ad Tibisci ripas, vineæ cultæ sunt. Auctorum, de VINEIS et VINO Hungarico, silentium. Prima vinearum mentio apud BONFINIVM, in rebus CAROLI I. Hodie studiosissime vites colunt Hungari, neque ea re gentibus aliis cedunt. Vites in Hungaria subinde aurum sibi habent innexum: scriptorum ea de re testimonium: auctoris de iis, quæ in hoc genere \*) vidit, narratio, iuxta et icon.



Causæ eius rei excussæ, et an grana vis quandoque adnata, sint aurum? experimentum chymicum. His ita præmissis, varias vini Hungarici classes constituimus. Sunt enim vel vina *Sulphureo - Aromatica*, seu *primæ notæ*; vel *Sulphureo - Volatilia*, seu *secundæ notæ*; vel *Tartarea*, seu *tertiæ*

Q q

\*) Auream hanc virgam, viti adnatam *Tokaiensi*, annis superioribus, amicorum nonnemo, adtulerat. Aequabat pondus eius nummos aureos quindecim,

sed auri præstantia ipsum quoque obryzum gradibus duobus superabat. Historiam eius pleniorẽ suo loco exhibebimus.

*tertia notæ*; vel denique *calcinosa*; quæ si *minus* habent *calcis*, vinis *tertia notæ*, vtcunque poterunt adnumerari, sin plus, merito ad Vina referuntur vulgaria. Atque hoc ordine, vniuersa Hungariæ vina describere animus est. Agimus nempe Capituli huius *parte prima*, de *vinis notæ primæ*, atque huc referimus: *Tokajensia*, *Tarczalensia*, *Zomboriensia*, *Madensia*, *Tóltsvaiensia*, *Tállyaiensia*, *Bényensia*, *Szegiensia*, *Kereszturiensia*, *Sadamiensia*, *Liszkaiensia*, *Vámos Vjfalusiensia*, *Olasziensia*, *Ondiensia*, *Horuáthiensia*, *Vjhelyiensia*, *Szántoiensia*, reliqua. *Parte secunda* expendimus *vina notæ secundæ*, vbi recensemus: *Vina Semproniensia*, cum adiacentibus; *Miskolzensia*, cum proximis; *Szegszárdiensia*; *Szent-Györgyensia*, *Rétsensia* cum confinibus, *Posoniensi*, *Prátsensi*, *Básingensi*, *Modrensi*, ceteris. Denique *parte tertiæ* agimus de *vinis tertiæ notæ*: huc pertinere credimus, *vina potissimum Comitatus Nagy-Hontensis*, *Budensia* et *Agriensia rubella*, *Gyöngyösiensia*, reliqua. Singularum autem classium vina, vt eo expendi possint commodius accuratiusque, tractationem nostram in *tria* iterum *membra* dispescimus. PRIMVM *Historico-Chorographicum* est; SECUNDVM *Oeconomicum*; TERTIVM *Physico-Medicum*. Membro *Historico-Chorographico*, de origine, fati et situ *Vinearum*, nec non de *cœli solique natura*, agimus. Membro *Oeconomico*, rationem conferendarum colendarumque *Vinearum*, quæ in singulis locis obtinet, accurate explicamus, a prima *passinatione* exorssi, delinquentesque in *vindemiatione*, et adseruandorum *vinorum* cura. Membro denique *Physico-Medico*, naturam *vini*, artis *chymicæ* beneficio, examinari curamus, in *colorem*, *odorem*, *saporem* et *effectum*, seu *virtutes medicas*, inquirimus, et quæ sunt *contemplationis* huius reliqua. Vt vero *Lector Beneuolus* huius quoque *opellæ* nostræ *documentum* aliquod habeat, SEMPRONIENSE VINVM, inter ea, quæ sunt *notæ secundæ*, suo merito princeps, quomocunque illustratum, exhibemus.



DE

# VINEIS ET VINO SEMPRONIENSI.

MEMBRVM I.

HISTORICO - CHOROGRAPHICVM.

De

## Origine, Fatis, Situ et Conditione Vinearum Sempronienfium.

Synopsis.

*De prima vinearum conftitione, cum in agro Sempronienfi, tum in Pannonia uniuerfa, coniectura verofimiles. §. I.*

*CLAVDIANI, pro ea coniectura, locus, illuftratur. §. II.*

*Vinetorum Sempronienfium, et totius Pannonia, fata. §. III.*

*Vino Sempronienfi, triplici via parta celebritas: Prima eft, Vinearum Sirmienfium iactura. §. IV.*

*Secunda: natiua vini preftantia. §. V.*

*Tertia: fitus natura et ingenium. §. VI.*

*Eius laudes reliqua. §. VII.*

*Soli Vinetorum noftrorum triplex fpecies:*

*Prima fabulo et lapidibus intertexta. PLINII et VIRGILII verbis laudatur. §. VIII.*

*Altera, glareae et meliore gleba permixta: PLINII de eo fententia; ex VIRGILIO emendatur. §. IX.*

*Tertia, argillacea et terra pinguioris: vituperatur a PLINIO: fed perperam. §. X.*

*Indoles fecunda fpeciei, recognofcitur: natiuum collium noftrorum sulphur, viti mirum in modum conducit. §. XI.*

*Caeli, circa vineta noftra, ingenium: montium Caciorum aduerfus Aquilones, munita. Aquilonia hyemes, quando viti- bus, vtilis fint, ex PLINIO docetur. §. XII.*

*Opportunitates caeli reliqua: Corus, cur non fit noxius vineis noftris? Nothus temperatior, atque eius rei cauffa: Vulcanus folito fecundior, ob lacum Peifonem. §. XIII.*

*Lacus Peifonis quid porro vinetis noftris praeftet commodi? CL. KOMAROMII inanis πέρυωσις. §. XIV.*

*Eius examen et contraria rationes: aquae fubterranea in collibus viniferis quid portendant? §. XV.*

*Caeli Sempronienfis iniuria, Maio et Iunio menfibus, a Fauonio potiffimum orientes: eius temperamentum laudat PLINIVS: quod contra fe habet in Hungaria. §. XVI.*

*Quid ab infectis ferant incommodi vineta noftra? CONVOLVVLVS viti inimiciffimus: de eo ex instituto. §. XVII.*

*Unde tanta ipum illuuias: ex THEOPHRASTO docetur: generantur Auftris tepidioribus. §. XVIII.*

*Natura et artis aduerfus Ipes praefidia: Aquilonibus quando necentur? PLINII varia remedia, apud noftros haud obtinenda: tutiffima eorum aueruncandorum ratio. §. XIX.*

*Sturni, alterum calamitatis genus: eorum globos nocentiffimos, miram aftutiam praefens fpectabat auctor: quibus modis depellebantur fturni. §. XX.*

*Eorum multitudo vnde? Sturnorum plenior hiftoria. §. XXI.*

*Singulare aucupii genus, quo Sturnos intercipiunt Sempronienfes. §. XXII.*

*Calamitofi anni frequentiores apud noftros, quam vberes: quando optimum gignatur vinum? et qua vinetorum parte? §. XXIII.*

## §. I.

De prima vinearum consitione, cum in agro Sempronienſi, tum in Pannonia uniuersa, coniectura vero similes.



**D**E Vinearum SEMPRONIENSIVM, et quæ sunt confines, prima consitione, non habeo, quod certo adfirmem, cum in ea re explicanda, historiæ deficiant; neque ex auorum traditione, quod factis sibi constet, adferri omnino potest. Supra, cum generatim de vineis Hungariæ dixissemus, vitem in Pannonia, PROBI Imperatoris temporibus, conferi permissam, militumque operas eo fini adhibitas, ex historicorum monumentis adnotauimus. Nescio vero, an vinetorum Sempronienſium prima consitio ad illam ætatem

seu possit, seu debeat referri: quod palam profiteantur scriptores, apud SIRMIVM, urbem olim Pannoniæ inferioris, longe nobilissimam, vineaticas istas operas, in monte *Almo*, fuisse susceptas: tamen nihil obstare videam, quominus, in superiore quoque Pannonia, ubi SEMPRONIUM situm est, locis a natura commode ad eam rem factis, idem ille conferendarum vinearum labor, suscipi potuerit. Diserte enim EVTROPIVS: *vineas Gallos et Pannonios habere permisit. vt procliue sit colligere, de vtrisque Pannoniis loqui historicum.* Quicquid huius rei sit, mihi profecto altius vinetorum *Sempronienſium* primordia videntur repeti oportere. Cum enim constat, oram hanc Pannoniæ superioris, non modo cultissimam, iam ante Romanorum in has terras, aduentum, existisse; sed postea etiam crebris legionum hybernis, fuisse frequentatam, ita existimo, iam tum AVGVSTI temporibus, quinimo prius, vitium colendarum studium, inter præcipuos rei rusticæ labores habuisse, priscos superioris Pannoniæ inquilinos. Accedebat urbium frequentia, sicuti aliunde copiosarum, ita Cæsarum hospitio celebrium. Nempe, cingebant oram lacus Peisonis, hinc CARNVNTVM, vrbs potentissima; illinc SCARABANTIA, SABARIA, reliquæ. inter quarum opportunitates alias, quin vini quoque prouentus sit referendus, eo minus ambigo, quo magis constat, primos urbium conditores, has istiusmodi opportunitates subinde fuisse consecratos. Quod idem, vt hic quoque facerent prisca illi homines, poterat eos inuitauisse loci situsque natura, de quo mox ex instituto.

## §. II.

CLAVDIANI, pro ea coniectura, locus illustratur.

Hæc, quæ diximus, coniecturæ sunt, sicuti non improbabiles, ita multum lucis foeneraturæ ab iis, quæ iam sumus dicturi. Memorat in laudibus STILICONIS sui, CLAVDIANVS, liberatam ab eo Pannoniam hucusque male a *Quadis et Marcomannis* habitam, vineas recoluisse. Ita vero ille:

- - *Hinc obsidione solutus.*  
*Pannonius, potorque Sauri, qui clausa tot annis*  
*Oppida, laxatis ausus iam pandere portis,*  
*Rursum cote nouat, nigras rubigine falces,*  
*Exesosque situ cogit splendere ligones.*  
*Agnoscitque casas et collibus oscula notis*  
*Figit, et impresso glebis non cedit aratro.*  
*Exsectis inculta dabant, quas secula siluis,*  
*Restituit terras, et opacum vitibus Istrum*  
*Conferit, et patrium vectigal soluere gaudet*  
*Immunis qui clade fuit.* - - -

Luculentus iste locus est, pro antiquitate vinetorum, non inferioris tantum, sed superioris etiam Pannoniæ. Quod enim *Pannonios*, et potores *Sauri*, qui et ipsi *Pannonii* erant, discriminatim nominat CLAVDIANVS, indicio est, his quidem inferiorem,

rem, illis vero ſuperiorem Pannoniam, indicare eum voluiſſe. Vtrique enim, et ſuperiori quidem Pannoniæ cumprimis, graues ſubinde fuerunt *Quadi* et *Marcomanni*, quippe aduerſam Danubii ripam tenentes; vnde quoties lubido erat, opimam regionem, inceſſebant; vt neceſſum habuerint Imperatores, cum vniuerſo exercitu, iſthic, non hybernare tantum, ſed perennare etiam. **VELLEIUS PATERCVLVS**, a) de **TIBERII** Cæſaris expeditione in Marcomannos: *Iſſe a Carnunto, qui locus Norici Regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt.* In primis diutius hic ſubſtitit **MARCVS ANTONIVS**. de quo auctor *Miſcellæ*: b) *Ingenti ergo labore et moderatione, cum apud Carnuntum iugi triennio perſeuerafſet, Marcomannicum bellum conſecit.* Atque horum iam temporibus vicem exſtitiſſe in Peiſonis regione, Carnunto proxima, fas eſt exiſtimare. Præterquam enim, quod diutius graues Pannoniis erant *Quadi* et *Marcomanni*; Iſtrum certe iam ante eorum impreſſiones, opacum vitibus dicit **CLAVDIANVS**:

*Exſectis inculta dabant, quas ſecula ſyluis  
Reſtituit terras, et opacum vitibus Iſtrum  
Conſerit.*

Nempe, vt vinetorum loco, ſylvæ ſuccreſcant, longiore temporum lapſu opus eſt. Sicuti enim

*Non annosa vno quercus deciditur icſtu,*

Ita ſane:

*Non excelsa vno quercus producitur anno.*

### §. III.

Veſtigia hæc ſunt antiquitatis vinearum, non Sempronienſium modo, ſed reliquæ etiam Pannoniæ. Quæ inde belli pacisque temporibus eaſdem fata manſerint conuerſionesque, facile eſt colligere ex eorum temporum indole. Scilicet, poſt adiectas Romano Imperio Pannonias, et plurium ſeculorum interuallo, varia ſubinde fortuna, a barbarorum incurſionibus quomodocunque deſenſas, oportuit omnino vineta quoque noſtra, eadem cum regione, fata experiri, hoc eſt, nunc latius latiusque effloreſcere, nunc iterum in opaca nemora lucosque abire: donec redactis ad incitas *Quadis* atque *Marcomannis*, iterum,

*Vineto-  
rum Sem-  
pronien-  
ſium, et  
totius  
Panno-  
niæ fata.*

*Hæc omnis largo pubeſcit vinea fætu.*

Poſtea, cum *Longobardi*, *Gothi*, atque *Hunni*, peſſum dediffent Pannonias, peſſum quoque iere colles viniferi. Erat quippe hoc in more poſitum Barbaris, vt non cum incolis modo opimarum regionum, ſed cum frugibus etiam, ac manſueta vite, \*) bellum gererent. Neque latior ſecutis temporibus, vel Pannoniarum, vel vinetorum quoque fuit conditio, nefandis bellis, omnia depaſcentibus. In primis adflixerunt Pannoniam, *Abarum* bella, cum *Constantinopolitanis* partim, partim cum Romanis, varie geſta. Neque prius calamitas hæc terminata fuit, quam firmatis Hungarorum in Pannonia rebus. Tunc enim, non Hungari modo, humanitatis cultu mitioris facti, rem facere ruſticam occeperunt; ſed adiectis etiam aliunde incolis, operarum agreſtium peritis, rus ſuum colendum permiferunt.

### §. IV.

Hæc fuiſſe vinetorum Pannoniæ vtriuſque fata, ex illorum temporum conuerſionibus colligimus:

*Vino  
Sempro-  
nienſi,*

Rr

Quippe

a) Lib. II. c. 109.

b) Paullus Diaconus Lib. X. c. 16.

\*) Iudith. II. 17.

triplici  
via par-  
ta cele-  
britas:  
Prima est  
vinearum  
Sirmien-  
sium ia-  
ctura.

Quippe ubi fas versum atque nefas : tot bella per orbem  
Tam multa scelerum facies : non ullus aratro  
Dignus honos : squalent abductis arua colonis,  
Et curuae rigidum falces constantur in ensem,

quemadmodum queritur VIRGILIUS c). Iam si queras, quando vino Sempronienfium tanta fit parta celebritas, quam suo merito obtinet apud omnes, vix facilius est reperire, quam ipsa vinetorum exordia. Coniectationibus ergo et hac in parte opus est. Triplici vero id via factum esse credimus. Nimirum, occupata per Turcas opima Sirmii regione, quæ vinum gignebat generosissimum, ne tanto beneficio carere necessum haberet Hungaria, cura huius rei, ad reliquam Pannoniæ partem, recidit. Vix vero oportunior se offerebat regio, quam, quæ ad Peisonis lacum, orienti soli obiecta est; hoc est, SEMPRONIENSIVM atque RVSTENSIVM ager; partim, ob cœli solique benignitatem; partim, quod Hungariæ iste angulus, non æque, sicuti regionis intima, hostis vagabundi, impressionibus erat peruius. Sunt enim Turcæ, inimici vinearum, quod religionem suam vini vsu temerari existiment. Vnde fit, vt quas sibi cunque regiones subiecerint, vitem iis vel adimant prorsus, vel non æque liberaliter colendam permittant. Cuius rei causam sciscitanti BVSBEQVIO hanc Turcæ narrauere fabulam: d) incidisse Mahumeti iter ad amicum. in eo itinere sub meridiem divertisse ad hospitem, apud quem nuptiale conuiuium frequentabatur: a quo inuitatum cum reliquis accubuisse: in primis admiratum fuisse, summam conuiuarum hilaritatem, plurima non ficta benevolentia signa, dextrarum coniunctiones, complexus, oscula. Tum quaesita ex hospite causa, didicisse, vinum hos habitus animorum facere: atque eum abeuntem propterea benedixisse ei liquori, quo tanta caritate homines iungerentur. Ceterum redeunti postridie idem subisse reatum, longe aliam faciem rerum occurrisse, atrocis vbique pugnae vestigia, sanguine tetro solum infectum, disiecta membra, hic brachium, ibi pedem, aliosque alibi iacentes truncos, artus; percunctantem vero, vnde tantum mali? auduisse, conuiuas, quos pridie viderat, postquam se vino ingurgitassent, actos in rabiem, in mutuum pernitium sauisse, et magnam patrasse cadem. Qua de causa, mutata sententia, Mahumetem vini vsum execratum, eoque suis in perpetuum interdixisse. Hæc ideo placuit interserere, vt constet, cur e dittonibus Turcarum, nouo scelere tunc in Hungaria partis, missa sit in exilium, mansueta alioquin vitis, vt nouo traduce, sedibus fere nouis, germinare habuerit necessum.

## §. V.

Secunda:  
natiua  
vini præ-  
stantia.

Poterant ergo hæc vitis fata, vino vinetisque Sempronienfibus, celebre nomen conciliare, cum vineta Pannoniæ longe nobilissima in tyranni potestatem concederent, ne ipsa quidem excepta Buda, vini proventu, tamen non æque generosi, alioquin diuite. Accedebat natiua vini præstantia, quam vinitorum industria, mirum in modum adauxit. Sunt enim, ne quid indictum relinquamus, ii Sempronienfium mores, vt et vineta sua, summa cum cura colant, neque in vineaticis istis operis, temere, quid seu occipiant, seu negligant, et collectum vinum, mira industria fideque, adferuent. Huc potissimum illud iure prope suo retuleris, quod vuas passas, non, vt alibi consuevit, seorsim excerptant, atque vinum illud generosissimum, quod passum, a passulis latine, germanice *Ausbruch*, quasi excerptum dicimus, ignorent. Fit enim vuarum hoc optimæ notæ ac succi iactura, vinum tenue, acidulumque, si non plane austerum. Hæc vero res conciliauit pedetentim vino Sempronienfi, et vicinorum famam, quæ regionum vicinarum homines, Silesios potissimum ad mercatum liberaliter inuitauit. Fit enim, vt, quoties merces Prussicæ, Polonicæ atque Moscouiticæ, Wratislauia, Vindobonam deuehuntur, iidem illi currus, vino Sempronienfi redeant onusti. Tametsi per temporum difficultatem,

c) Lib. I. Georg. v. 504.

d) De rebus Turcicis Epist. III. p. 302.

tem, quæ pluribus annis inualuit, rarius id, neque tanta mercatorum frequentia, euenire iam confueuerit.

## §. VI.

Ceterum fruſtraneus fuiſſet omnis in concilianda vino Sempronienſi, celebri-  
tate, labor, quem nunc laudauimus, vineaticus, et adſeruandorum vinorum cura  
atque prouidentia, niſi natura parens eum vinetis ſitum largita fuiſſet, qui ad eam  
rem maxime idoneus eſt atque opportunus. Quicquid enim ad ſitus vinetorum  
commoditatem requiſiueris, omne id in agrum Sempronienſem contuliſſe naturam  
aduertes. Ea fere ſunt, cœli ſolique indoles benignior, plagæ adhæc obiectus, ſo-  
lis tepori recipiendo commodus: quibus, ſi conferendæ colendæque vitis acceſſerit  
peritia, iuxta et industria, næ illic mihi vinum generoſiſſimum gignatur, neceſſe  
eſt. Atque hæc ſunt, quæ iam circa vineta Sempronienſium excutienda ſunt peni-  
tius. Et ad cœli quidem partes, quas ſpectant vineta noſtra, quod adtinet, ſolem  
ea orientem et meridianum obiectum habent: cuius ideò calore, quem toto die ex-  
cipiunt iugiter, fouentur animanturque. Hic vero ſitus ille eſt, qui maxime congruit  
vineis, noſtro potiſſimum ſub climate, vbi caloris et frigoris temporatæ ſunt viciffi-  
tudines: nam alibi occaſus et ſeptentrio vtiliores ſunt viti, nempe vbi æſtu perpe-  
tuo torrentur omnia. Audiendus hac in re PLINIVS, e) *Connexa, inquit, et ſitus  
vinearum, arbuſtorumque ratio eſt, quas in oras debeant ſpectare. Virgilius ad occaſus  
ſeri damnauit, f) Aliqui ſic maluerunt, quam in exortu, a pluribus meridiem probari ad-  
uerto: nec arbitror perpetuum quidquam præcipi in hoc poſſe. Ad ſoli naturam, ad loci  
ingenium, ad cœli cuiusque mores, dirigenda ſolertia eſt. In Africa meridiem vineas  
ſpectare, et ſi viti inutile, colono ſalubre eſt, quoniam ipſa meridiana ſubiacet plaga:  
quapropter, qui ibi in occaſum aut ſeptentriones conſeret, optime miſcebit ſolum cœlo,  
cum Virgilius occaſus improbet. Nec de ſeptentrione relinqui dubitatio videtur. atque in  
Cis-Alpina Italia, magna ex parte vineis ita poſitis, compertum eſt nullas eſſe fertiliores.*  
Ita ſane eſt, ſequendum ea in re cœli ſolique ingenium: nobis autem, quod dixi-  
mus, vinearum ille ſitus commodiſſimus eſt, qui orienti atque meridiei oppoſitus,  
eo quod et minus iniuriarum metuendum ab hyeme eſt, et ſolis iſtiusmodi calor,  
haud temere diffluens, vuas ſubigit efficacius, vinum poſtea daturas generoſum  
probumque.

Tertia:  
Situs na-  
tura et  
ingeni-  
um.

## §. VII.

Hoc ergo ſitu cum luxurient vineta Sempronienſia, non eſt, cur de vini præ-  
ſtantia dubites. Tametiſi vero ex æquo, oriente et meridiano ſole fruantur, ma-  
iorem tamen vim æſtus, cum meridies eſt, experiuntur. Tunc enim Peiſonis lacus,  
radiis ſolis percalefactus, ita vniuerſam illam oram accendit, vt ſudatorium crede-  
res, quo vuæ ex industria quaſi ſubigantur. Accedit protenſa longe lateque in  
orientem non minus, quam meridiem, planicies, ſicuti ex ſe amoena, ita non ini-  
mica vinetis noſtris. In primis vero ad laudem ſitus vinearum noſtrarum pertinet,  
quod in collibus neque altis, ſed nec humilibus, atque his ita conuexis ſint conſer-  
tæ, vt radios non ſecus queant concipere, quam id in vitris cauſticis fieri aduertim-  
us. Hos vero ſitus antiqui iam ſcriptores dillaudarunt. Ita VIRGILIUS: g)

Eius  
laudes  
reliqua.

*Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt  
Fluminibus ſalices, craſſisque paludibus alni  
Nascuntur: ſteriles faxoſis montibus orni,  
Litora myrtetis lætiſſima: denique apertos  
Bacchus amat colles: aquilonem et frigora Taxi.*

R r 2

Et

e) Lib. XVII. c. 11.

f) De eo Virgilius Georgicor. Lib. II.  
v. 298.Nunc tibi ad ſolem vergant vineta  
cadentem.

g) Georg. Lib. II. v. 109.

Et postea : h)

*Collibus an plano melius sit ponere vitem?*

*Quære prius.*

Certe, quæ in æquoribus seruntur vineæ, quantumvis fertiles, ob soli pinguedinem, vinum tamen fundunt asperum austerumque, saltem mox fugitium. Sed illud quoque ad rem facit, quod proximum, ut diximus, vineta hæc lacum habeant, cuius tepore non minus fouentur, quam cæli locique natura. Hoc vero erat, quod insularum vina, quale fuit, *Thasium, Chium, Lesbium, Cyprium, Coum, Rhodium*, cetera, generosa fecit celebriaque. Nimirum, allecti ex alto vapores, et calore solis in vineas adacti, non irrigabant modo vuas, sed excoquebant etiam. Fit namque, ut vuarum vtriculi, si nebulis macerentur, atque inde solis excoquantur calore, tenuiores euadant, succumque indipiscantur meraciorem.

### § VIII.

*Soli vineorum nostrorum triplex species. Prima sabulo et lapidibus intertextæ. PLINII et VIRGILII verbis laudatur.*

Hæc de situs vineorum nostrorum ratione: consentaneum est nunc de soli natura dicere. Triplex id obseruarunt rerum periti. Partim enim e lapidibus, sabulo ac pingui terra; partim e sabulo tantum et meliore gleba; vel ex argilla, glareæ permixta; partim denique ex terra communi, sed limo subacta, compositum est. Primi generis vineta, hoc est, quæ intertextam lapidibus sabuloque humum habent, vinum gignunt, si anni temperies respondeat, neque aut humida nimis sit, aut iusto sicciior, sicuti generosum, ita vetustatem laturum. Atque hoc solum conferendis vincis aptissimum iudicarunt rei rusticæ scriptores. Ita PLINIUS, i) *Tophus scaber, natura friabilis, expetitur quoque ab auctoribus. Virgilius, et quæ silicem ferat, non improbat vitibus. nec colles opere nudantur, si quis perite fodiat.* Hæc ille, qui, quod VIRGILIVM aduocat, dabimus eius versus: k)

*At quæ pinguis humus, dulcique vligine læta  
Quique frequens herbis, et fertilis vberem campus  
Qualem sæpe caua, montis conuallæ solemus  
Despicere: huc summis liquuntur rupibus amnes  
Felicemque trahunt limum: quique editus austro  
Et silicem curuis inuisam pascit aratris:  
Hic tibi præualidas olim multoque fluentes  
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis vna  
Hic laticis qualem pateris libamus et auro.*

Duplicem hoc loco vinearum situm describit VIRGILIUS, alterum campestem, cliuosum alterum: illic pinguem humum vberemque, hic, quæ silice aut lapide quocunque alio impedita est, laudat. Atque tale vineorum nostraticum, quæ sunt optima, ingenium est.

### § IX.

*Alteræ, glareæ et meliore glebæ permixta.*

Alteræ soli species, quæ sabulo permixta est, ac glebæ meliore, quæque humum habet argilla glareosa subactam, prouentu quidem vini haud deterior, si vbertatem requiras, sed quod priori illo exilius quodammodo est, neque ætatem facile laturum; suo nihilominus merito, inter meliora Hungariæ vina referendum. De hoc vineorum genere accipiendus est PLINIUS, cum loco eodem, quem nunc diximus,

h) Ibidem v. 273.  
i) Lib. VI. c. IV.

k) Georgicorum Lib. II. v. 124.

mus, nec pulla, inquit, qualem habet Campania, ubique optima vitibus: aut quæ tenuis exhalat nebulas: nec rubrica multis laudata. Atque perpetua hæc Campaniæ, apud auctores laus eſt, quod regio fuerit, vini generoſioris fertiliffima. Ipſe PLINIVS: l) hinc, felix, inquit, illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles et temulentia nobilis, ſucco per omnes terras inchyto, atque, ut veteres dixerunt, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. Proinde, vel ſoli illud ingenium, quale deſcripſit PLINIVS, non plane vitibus inimicum exiſtimari debet, vel eſt hic quædam auctoris optimi hallucinatio; niſi id præſidio ei ſit, quod humum illam non ubique optimam vitibus adſerat. Quidquid dicat PLINIVS, certe VIRGILIUS amicam vitibus glareoſam tellurem in Georgicis decantat: m)

PLINII  
de ea  
ſenten-  
tia ex  
VIRGILIO  
emenda-  
tur.

*Nam ieiuna quidem cliuofi glarea ruris  
Vix humiles apibus caſias roremque miniſtrat.  
Et tophus ſcaber, et nigris exefa chelydris  
Creta, negant alios æque Serpentibus agros  
Dulcem ferre cibum et curuas præbere latebras:  
Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres:  
Et bibit humorem, et cum vult, ex ſe ipſa remittit:  
Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit:  
Nec ſcabiæ, et ſalfa lædit rubigine ferrum:  
Illa tibi lætis intexet vitibus vltimos:  
Illa ferax oleæ eſt: illam experiere colendo.*

## §. X.

Superſt vltimi generis ſolum, quod habent vineæ noſtræ. Illud fere eſt argillaceum, quodque de pinguiore humo partem capit, ſicuti vitibus non valde commodum, ita vnam ferens, ſaporis quidem ſubacti, ſed quæ vinum fundit haud æque mite ac dulce. Vituperavit eam ſoli naturam PLINIVS, n) in Ticinenſium, quæ hodie Papia eſt, collibus: Inuicem, inquit, ſabulum album in Ticinenſi, multisque locis nigrum, itemque rubrum etiam pingui terra permixtum, infæcundum eſt. Ita accipiendum exiſtimo PLINIVM, vt, cum infæcundum ſoli hoc genus dicit, non iſtius ſeu de vitis propaginibus, ſeu racemorum vbertate loquatur. Vſus enim et experientia docuerunt, hanc quoque terram, vites benigne alere et vuarum prouentu mirum in modum luxuriare: de vini ergo præſtantia ſermo ei eſt, quæ cur priori illi, alteriue ſpeciei, haud reſpondeat, iam diſputabimus. Et primi quidem generis ſolum, quod e lapidibus, ſabulo ac pingui terra contextum diximus, cur vinum gignat generoſius, in promptu cauſſa eſt. Quia enim amant vites ſiccam tellurem, et quæ aquas imbrum facile ſorbeat, non omnino poteſt opportunius gignendo vino, ſolum exiſtere, quam quod frequenti lapide impeditum quaſi quodammodo, atque pinguiori ſabulo intertextum eſt. Fit enim ex hac telluris ſtructura, vt, neque humor natius, quem ex imbribus lapides hi ſcabri ac friabiles concipiunt; neque tepor, quo alantur prouocenturque, deſit vitibus. Ad telluris hoc beneficium, ſi opportuni ſoles imbresque tempeſtium accedant, non poteſt non vitis læta effloſcere, et radices quoque latiffime agere, rimis ſaxorum, et peruia ubique ſabuli congerie, viam ex facili adaperientibus: inprimis, ſi fulcis ſcrobibusque fimus, qui ſæcundandis iſdem ſufficiat, opportune fuerit adgeſtus. Tunc enim,

Tertia,  
argilla-  
cea et  
terra  
pingui-  
oris  
vitupe-  
ratur a  
PLINIO  
Sed per-  
peram.

*- - Nec metuit ſurgentes pampinus auctros,  
Aut actum cælo magnis aquilonibus imbrem;  
Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.*

S s

Donec

l) Lib. III. c. 5.

m) Lib. II. v. 212.

n) loco citato.

Donec post superatas anni vicissitudines calamitatesque

*Et Varios ponit fetus autumnus, et alte  
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.*

Recte vero *saxis vindemiam* coqui dicit VIRGILIUS. Sunt enim ea excipiendo foli aptissima, quo semel calefacta, vnam perpetuo quasi fotu alunt, faciuntque ita mitem, ut et gustatu suavis sit, et mustum fundat dulce feruidumque, quod demum in vinum abit generosum ac potens, et vbi vetustatem tulit, longe suavisimum.

### §. XI.

*Indoles  
secundae  
speciei,  
recognos-  
citur.*

Eccur vero solum illud, quod secundo loco diximus, *argillaceum ac glareosum* et modica *terra pinguiore* permixtum, vinum fert exsilius? Eius equidem rei causas, inde repeti oportere crediderim, quod solidior ista humus, vitem alat iniquius. Imbrium certe aquas diutius retinet, vitique adeo succum ministrat, vberem quidem, sed qui subactus minus, minusque probus est, et qui vitem potius, quam fructus alit. Hinc etiam fit, ut, quia vitis isto conferta loco luxuriat, racemos plerumque habeat altiore sui parte enatos; cum tamen tanto potentius alatur vna, quanto propior fuerit terrae, quod praeter PLINII o) observationem vsus condocet vinitores. Quod si autem annus incidit, pluuiarum parcus, ac nimis ardoribus solis obnoxius, sicuti vitis a luxurie cohibetur, sic vvas fert mitiores, vinumque adeo laudatius. Facile hinc est existimare, quid de tertio soli genere, sit sentiendum. Alioquin singulis, quas enumerauimus, terrae speciebus, mirum in modum velificat, innatum collibus nostris sulphur, vel, si mauis, pyrites sulphureus, qui, glarearum passim immixtus, deprehenditur. Indicia eius, cum ex ipso vini sapore odoreque capi poterunt, tum eo se maxime produnt, quod optima vinetorum nostratium regio, quae ad vicum St. WOLFFI est, aquis sulphureis scateat: quarum fons alter ad collium radices, quae sunt lacui Peisonis propiores salit, et acidularum vice a pastinatoribus bibitur; alter in conuexa vinetorum valle, centum plus minus a vico, quem diximus, in occidentem passibus, erumpit, et balneis longe saluberrimis, in aedibus ad eum finem excitatis, magno vndique agrorum concursu, adhibetur. Hoc ergo sulphure impregnati colles nostri, non possunt non solis et pluuiarum mutuis vicissitudinibus, eum viti vuisque succum ingenerare, qui gignendo vino generosissimo longe sit conuenientissimus. Certe enim sulphureosi istiusmodi tractus, vel modico solis tepore, mirum in modum vigescunt; nam et radios eius recipiunt promptius tenaciusque, et vites ipsas animant efficacius, ut succum botris sufficient aromatis quasi temperatum.

*Nati-  
uum col-  
lium no-  
strorum  
sulphur,  
viti mi-  
rum in  
modum  
conducit.*

### §. XII.

*Caeli, cir-  
ca vine-  
ta no-  
stra, in-  
genium.*

Soli haec, quam ita considerauimus, natura fuit: connexa ei caeli ratio est, quam ideo nunc contemplabimur; commoda eius primo loco, incommoda postea, iniuriasque, visuri. Ad vtrumque enim adtentam esse oportet diligentiam nostram, ne quid intactum relinquamus. Supra, cum de situ vinetorum nostrorum egissemus, sole ea foueri oriente iuxta et meridiano, diximus: qui caeli obiectus, quod sit viniferis collibus, in primis in Hungaria, natura maxime opportunus, nihil adinet recognoscere. Est vero caeli nostratis temperamentum, si annus sibi constet, neque tempestatibus solito vehementioribus, sit obnoxius, vitibus longe amicissimum. Enimuero, prouidit ei natura benignior, ne flatibus noxiis austerum facile reddatur infestumque. Nam ab *Aquilone* eiusque iniuriis tuta faciunt vinea nostra montium *Caciorum*, protensa in longum iuga, quae hodie ab adlabente *Leutha* fluuio, *Leyth-gebürg*, vocamus. Istic enim illisi, aut mitescunt, et naturam quasi mutant, aut flexi aliorsum, oram nostram relinquunt intemeratam. Grande hoc naturae beneficium est, eo quod exposita *Aquilonibus* vinea, facile pessunden-

*Montium  
CAECIO-  
RVM ad-  
uersus  
AQUILO-  
NES, mu-  
nimenta.*

tur, ſaltem vinum gignant auſterum, minusque excoctum. In primis ſauas hyemes oportet pati colles, qui ſunt *Aquilonibus* peruii: euenit enim, vt diſiectis deſiſque niuibus, nudatam ita humum altius exurat gelu, vitiumque radices perſtringat atque percellat, qua re fit, vt vel emoriantur penitus, vel ſi ad ſe redeant, agre id fiat, neque niſi cum inſigni vuarum, et ſucci melioris, detrimento: quod demum in plures annos propagatur, dum vires colligat vitis, vberesque ac probos fructus ferre iterum occipiat. Tametiſi enim Aquiloniam eſſe hyemem, arboribus iuxta et vitibus vtiliſſimam dicat **PLINIVS**, illud tamen tunc crediderim, cum altae ſunt niues, ac diutine fedent. Qua de re iterum **PLINIVS**, p) *Vota*, inquit, arborum (ad has vites quoque retulit) frugumque communia ſunt, niues diutinas federe. Cauſſa, non ſolum, quia animam terra, euaneſcentem exhalatione, includunt et compriment, retroque agunt, in vires frugum atque radices: verum, quod et liquorem ſenſim præbent, purum præterea leuiſſimumque, quando nix aquarum caeleſtium ſpuma eſt. Ergo humor ex his non vniuerſus ingurgitans diluensque, ſed quodammodo ſititur diſtillans, velut ex vberibus alit omnia, qua non inundat. Tellus quoque illo modo fermenteſcit. Poterat, et iure quidem, inter vtilitates, quas præſtant niues, id quoque connumerare **PLINIVS**, quod humum integant puluinaris inſtar, et non foueant modo, ſed defendant etiam a frigore, altius alioquin penetraturis, depaſturisque omnia.

*Aquilonia hyemes, quando vitibus vtilis, ex PLINIO docetur.*

## §. XIII.

Par et illa cæli noſtri felicitas eſt, quod procurrentes in occidentem, iidem Cæcii montes, a frequenti et diutina niue, *Schneberge*, dicti, *Corum* a vineis noſtris arceant, ſaltem caueant, ne facile noxium quid adflare iis poſſit. Nam et hic, non minus quam *Aquilo* iniquus viti eſt. Audiendus de eo **PLINIVS**: ex aduerſo *Vulturini*, flabit *Corus*; ab occaſu ſolſtitiali, et occidentali latere ſeptentrionis, *Gracis* dictus, *Argestes*, frigidiffimus et ipſe ſicuti omnes, qui a ſeptentrione ſpirant. Hic et grandines infert, cauendus et ipſe, non ſecus ac ſeptentrio. Huc porro retuleris, quod *Notus*, cui ſunt oppoſiti colles noſtri, non æque hic, ſicuti alibi ætuoſus ac humidus eſt, vitemque depaſcens: nam et hoc in vitiis *Auſtri* cenſent ſcriptores, deferueſcit enim, cum per planitiem illam fertur, quam late in *Auſtrum* diſfundi ſupra diximus, et ex contagio montium *Styria*, niue pene perpetua rigentium, ſic temperatur, vt, neque adurat vitem, neque vuas, niſi feruidiffimus ſit æſtus, ad maturitatem præcipiter. Sed nec *Vulturinus* iniquus oræ noſtræ eſſe poteſt: tametiſi enim ficcior tepidiorque ſit, multum nihilominus fœcundæ humiditatis ſecum trahit, ex lacu *Peiſone*, et paludibus, quæ illic per aliquot milliaria continuantur. Ea enim *Peiſonis* natura eſt, vt *Nitrum* habeat copioſius, quo et nebulae, quas ſubinde eructat, referre ſunt. Has vbi *Vulturinus* ſub lucis ortum, per vineas noſtras ſparſit, atque ſol demum apricus, ſubegit, irrorantur iidem vuæ, et ad matureſcendum, iſthoc temperamento, mirum in modum inuitantur.

*Opportunitates cæli reliqua.*

*Corus, cur non ſit noxius vineis noſtris. Notus temperatior, atque eius rei cauſa.*

*Vulturinus, ſolitofœcundior, ob lacum Peiſonem.*

## §. XIV.

Sed quia mentionem lacus *Peiſonis* habuimus, dicendum porro eſt, quid ſiue commodi, ſiue calamitatis ab eo vinea noſtra capiant. **Cl. IOH. PETRVS KOMAROMY**, hæc de lacu iſthoc adnotauit, q) Porro, inquit, ceu aliquid ſingulare notandum venit, quod lacus *Neſidlenſis* (*Peiſo* dictus **PLINIO**), vtut ſuas aquas, in nullum inde prodeuntem fluium effundat, nihilominus per certa anni temporum intervalla, mox increſcere, mox iterum decreſcere obſeruetur, ita ſi ille diu in incremento perduret, vinum eodem anno et melius et copioſius proueniat, quemadmodum id *Sopronii* ciues, vicinaque telluris incolæ, longa experientia edocti, certo inde concludunt, atque pro inſallibili ſigno, magni vuarum prouentus æſtimant, ſtagnantis illius aque augmentum. E contrario autem ſicubi eadem lacus aqua vere et æſtate magis in decremento,

*Lacus Peiſonis quid porro vineis noſtris præſtet comodi? Cl. Komarii inanis*

S s 2

quam

p) Lib. XVII. c. 2.

q) In Diſſertatione, de *Vino Sempronienſi Hungarico*, quam, pro lummis in

arte medica honoribus in perantiqua et celeberrima Rauracorum Academia, diſputaturus, edidit, p. 7. §. VII.

quam in incremento ut plurimum conspiciantur, tum copiose diuitisque vindemia spem omnem incola ex longa annorum obseruatione, deponunt. Posthac rei huius causas ita reddidit: Huius autem Phænomeni rationem si quis desideret, eam sapientiores in patria Phisici, seu maxime probabilem esse crediderunt, quod aqua in lacu stagnante, augmentum capientes et exundantes, montium viniferorum, proxime adiacentium, et quingentos circiter passus, a lacu remotorum, radicibus adpropinguent, unde tellus vitibus obsita, atque a continuo solis ardore agitata, tanquam sitiens, aquas in vapores continuos eleuatos sorbet, auideque imbibit. Accedunt dein radii solares, et superficies lacus iugiter et continue versus vineas reflexi, magnumque calorem adducentes: ita ut, quo maior est adpropinquatio aqua, eo efficacior etiam radiorum congeries, insigniorque feruoris effectus producat. At vero lacus idem, si in decrescencia manet, adeoque etiam a montibus remotior conspicitur, debita pro humectando solo rigandisque vitibus aquositas denegatur, radiique solares tam confertim tamque efficaciter e lacu remotiore ad fruges vinetorum fouendas non reflectuntur, unde minor uarum prouentus gigni quoque debet, tantaque vini præstantia non semper speranda. E quibus nunc sine dubio quisque concludere facile potest, quam efficax quamque copiosum quotannis vinum ob rationes modo recensitas in montibus viniferis, circa lacum Neosidensem sperari et expectari queat. Hactenus ille.

## §. XV.

Eius  
examen  
et con-  
traria  
rationes.

Ad speciem veri hæc ita dicuntur, cum se tamen prorsus contra habeant. Ut ergo lectorem erroris periculo eximamus, notasse iuuat, non ita stagnare Peisonis nostri aquas, quin se per lacunosos meatus, locis primum palustribus, ad miliaria duo longe lateque protensis, insinuet, postea vero in *Rabam* fluuium palam exoneret: id quod mappam nostram Geographicam consulenti patebit. Tum vero non incrementa, quæ Cl. KOMAROMYVS dicit, sed decrementsa aquarum *Peisonis* vindemiæ diuitis sunt prænumcia. Enimvero, quoties ea anni est temperies, ut aqua lacus solito magis diffundantur, spes pertenuis ostenditur vberis vindemiæ. Causæ ostenti huius in eo sunt positæ, quod tunc, subterranei aquarum riui, colles viniferos pererrantes, non modo lacui se misceant, copiosioremq; efficiant; sed humore etiam superuacuo, vitem onerent, et quod plerumque fit, adducta, noctium intempestiuus frigoribus, vredine, teneros adhuc, nouellosque vitium palmites, quin flores etiam, irreparabili damno, consumant. Quodsi vero subterraneæ collium aqua, parciores sunt, sicuti lacum nequeunt augere, sic neque vitibus noxiæ esse poterunt: amant enim vites, humum aridam magis, quam humidam. Ceterum, has istiusmodi aquarum subterranearum illuiones, statis temporibus redire, longa aduersum est obseruatione. Post singulos annos septem, vulgo redire credunt, quo temporis interuallo vinearum quoque solent metiri vicissitudines. Enim vero, si calamitosos, saltem non æque fecundos, annos septem, numerauerint, confidentia, ad superstitionem vsque peruicaci, sibi ipsi persuadet vulgus vinitorum, fore, ut septem alii succedant anni, vini prouentu, diuites. Sed quemadmodum septennales illæ aquarum subterranearum vicissitudines, non plane sunt extra dubietatem positæ, ita vix sperare possis, continua totidem annorum serie, ita mite semper atque benignum fore cælum, ut sine vlla noxa, viti indulgeat. Profecto enim prouidit Deus, O. M. ut neque luxuriet temere, sed nec seipsam deserat, natura. Nimirum sicuti non semper

pampineo gravidus auctumno  
Floret ager; spumat plenis vindemia labris.

Ita neque semper

metuendus Iupiter vis.

## §. XVI.

Cæli Sem-  
pronien-  
sis  
iniuriæ.

Erant hæc cæli vinetorum nostrorum opportunitates; iniurias nunc, si quæ sunt, excutiamus. Et primo quidem, quantumuis natura prouiderit, ne quid noxii adflari vinetis

vinetis noſtris queat ; accidit tamen ſubinde, vt iuga illa , quæ memorauimus , Styria , collectos intra ſe imbres , in agrum hunc noſtrum , effundant. Fit hoc fere Maio et Junio menſibus. *Menſe Maio* , rarius *Iunio* : tunc enim niuibus , quæ iſthic iuſto ſolent eſſe altiores , diffugientibus , pluuium ſubinde cælum , noſtra regione , eſſe conſuevit. quod plerumque , aut gelu poſt ſe relinquit , aut pruinam , quæ teneras adhuc vites , in primis quæ ſunt depreſſo ſitu , ingenti vinetorum damno , penitus exurit. Hanc ego calamitatem , *Fauonio* , illos perflanti montes , haud iniuria , adſcriperim. Firmat ſententiam a Fauonio poſſimumoriens : peramentum laudat Plinius. *PLINIVS* , qui ita de eo præcipit : r) *FAVONIUS* ab æquinoctiali occaſu , *Zephyrus Græcis nominatus*. In hunc ſpectare oliueta , Cato iuſſit. Hic ver inchoat , aperitque terras , tenui frigore ſaluber. Hic vites putandi , frugesque curandi , arbores ſerendi , poma inferendi , oleas tractandi , ius dabit , afflatuque nutritium exercebit. Præclare de eo promittit *PLINIVS* , ſed quæ Italiae ſuæ melius , quam Hungariae noſtræ , conueniunt. Tales enim plerumque ſunt venti , qualia conſueuerunt eſſe loca , quæ perflare eos contingit. Non ergo fallit *PLINIVS* , cum ita virtutes *Zephyri* , in ſua Italia , commemorat. Namque , dum ſe Italiae inſinuet , maria ille tepida , regionesque , permeat. In noſtram contra Hungariam , in primis in Sempronienſium agrum , per montes , multa obſitos niue , irrupit : ex quorum habitu , frigus ſecum trahit , cuius adflatu , non iam nutritium vitis , ſed vaſtatores , ſe gerit. Ab his iisdem montibus , diræ tempeſtates , eaque ſubinde grandinoſæ , vinetis noſtris , imminere conſueuerunt , flante cum primis *Coro* , de quo iam ſupra diximus , præcunte *PLINIO* : Hic , inquit , et grandines infert , cauendus eſt ipſe , non ſecus ac ſeptentrio. Iſta de cæli iniuriis.

## §. XVII.

Indigniores longe ſunt , quæ ab infectis inferuntur. Cæli enim inclementiam , vel bruta animantia , ferunt patienter ; ſed infectorum morſus , remordent iterum. Nempe , fatali naturæ lege conſtitutum eſt , vt ſui cuique hoſtes , ſua aduerſus eum arma ſint. Vitis ſola fere eſt , quæ ſicuti fulcro indiget adſciticio , ita iniuriis expoſita eſt , non aëris modo , ac tempeſtatum , ſed viliffimorum etiam infectorum. Conuoluulum hoc loco nominat ſufficiat , inimiciſſimum vitibus vermiculum. Hoc vero genus exile , ac contemptum , ita ſubinde vineta Sempronienſia depaſcit , vt calamitas illa , in plures annos , propageretur. Sed de eo dicamus ex inſtituto. Nimirum , hæc illa calamitas eſt , qua ſe vaſtaturum vineas populi ſui , DEVS olim interminatus eſt , ſi legem migrauerint ſuam. Ita enim habet diuiniſſimus Scriptor MOSES : s) כרמים תטע ועבדתי ויין לא תשתה ולני תאגר כי האכלנו התלעו. Quæ *SEBASTIANVS CASTELLIO* , latiniffimus interpres , ſic reddidit : *Vineas conſerretis coletisque ; ſed vinum , neque bibetis , neque condetis , utpote a vermibus conſumptum.* Sed quinam iſti vermes ? *MOSES* vititur vocabulo generali , התלעו , quo vermes indicantur , qui depaſcunt fructus ; quomodo et *ſeptuaginta* interpretati ſunt : ἀμπελώνα φυτεύετε , καὶ κατεργάζεσθε , καὶ οἶνον ἔπιεσθε , ἐπὶ δὲ ἐφραθήσῃ ἐξ αὐτῆς , ὅτι καταφάγεται αὐτὰ ὁ σκόληξ : quia deuorabit ea vermis. Sed habent Græci peculiare vocabulum , quo vermium hoc genus , notant , Ἰπας enim , et *Iokum* dialecto , Ἰπας dicunt , ἀπὸ τοῦ ἵπτειν , quod ledere et nocere eſt. Proinde *HESYCHIUS* : Ἰξ , θηρίδιον τι ἀμπέλων ἐσθίων : *IK* , animalculum quoddam , vites arrodens. Atque ſic *AMMONIVS* , r) quoque : Ἰκας ( λέγονται ) τὰ διαδρόντα τὰς ὀφθαλμοὺς τῶν ἀμπελών. *IKES* dicuntur animalcula , quæ oculos vitium comedunt. Idem iſtud vermium u) genus , Inuoluulum quoque Latini vocant , etymi ratione , eo relata , quod in pampinii folio , intortum ſeſe implicet. Audi *PLAVIVM* : v)

L.A. Imitatur nequam beſtiam , et damnificam :

P.H. Sed quam nam amabo ?

L.A. Inuoluulum , quæ in pampini folio intorta implicat ſeſe.

Tt

Volu-

r) Lib. XVIII. c. 34.

s) Deut. XXVIII. v. 39.

t) in libello de ſimilibus.

u) vid. BOCHARTI Hieroz. Lib. IV. c. 27.

v) Cistellaria Actus IV. Scen. II.

*Volucrum* dixerē alii; sed *PLAVTINVM* illud, *PLINIO* etiam, et *FESTO*, magis se probavit. Ab isto bestioarum vocabulo, *HERCVLEM IPOCTONVM* fuisse dictum, *STRABO* memorat, x) *Ἡρακλῆα Ἰποκτόνον παρ' Ἐρυθραίοις τοῖς τὸν Μελιῦντα οἰκῶσιν· ὅτι Φθάρτιος τῶν ἀμπελοφάγων ἰπῶν· καὶ δὴ παρ' ἐκείνοις μόνους τῶν Ἐρυθραίων τὸ θύριον τῆτο μὴ γενέσθαι.* Hoc est: *Herculem IPOCTONVM Erythraei ad Meliunta accolentes colunt; quia IPES (vermes sunt, a quibus vitēs arroduntur) exciderit. nam apud selos Erythraeos ea pestis non nascitur.* Hoc ergo beneficio, *Ipoctonus* dici meruit, *Hercules*. Sed an alibi gentium, hoc nomine cultus vnquam fuerit, non habeo dicere.

## §. XVIII.

Vnde tanta  
Ipsum il-  
lumines?  
ex Theo-  
phrassto  
docetur.

generan-  
tur Au-  
stris tepi-  
dioribus.

Nunc, si quis in causas inquirat, cur in vinetis nostris frequentes adeo sint *IPES* isti damnifici, dicet pro nobis *THEOPHRASTVS*: γ) *παραπλήσιον δ' ἐ τὸ συμβαῖνόν ἐστι καὶ τῆ ἀμπελῶ· καὶ γὰρ ἐν ταύτῃ τοῖς νοτίαις οἱ ἴπες γίνονται.* Hoc est: *Huic proximum, quod et vitibus contingit; in his enim, Austro potissimum, Ipses generantur.* Supra meminimus, oppositos *Austro* esse colles nostros, neque facile ex eius afflatu, quidquam labis capere. Iam *THEOPHRASTO* monente, iuuat notare, *IPVM* hanc luem, tum progenerari, quum vernos imbres, soles fecundi, atque *Austri* tepidiores, excipiunt. Hoc enim quasi focu quodam, pampinis innasci, dirum hoc vermium genus, certum est et exploratum. Contra ea, si vere iam adulto, folis atque imbrum, æqua sit vicissitudo, neque iusto, aut frequentior, aut tepidior *Natus* adspiret, minus a peste hac viti metuendum incommodi est. Sic enim iterum *THEOPHRASTVS*: *ἐνιαχῆ δ' ἐ γίνονται τὸ ὄλον ἴπες· ὅταν εὐπνεῖς τε καὶ εὐεργος μὴ εὐτροφος ὁ τόπος ὑπάρχη.* Id est: *Ipes alicubi prorsus non generantur: nempe ubi lenes spirant venti, neque humidus et pinguis locus est.* Vides pinguia humidaque loca, cum ventis tepidis, *Ipi*bus generandis idonea esse; tamen ne illud quidem perpetuum; aduersum est enim, et vbi lenes spirant venti, neque humidus, aut pinguis locus est, *Ipes* nonnunquam grassari; credo non tam, seu loci, seu ventorum vitio, quam contagio aëris. Et ex his quidem proclive est iudicare, cur *Ipi*bus tam sint obnoxia vineta nostra.

## §. XIX.

Natura  
et artis  
aduersus  
ipes præ-  
sidia: A-  
quilonib'  
quando  
necen-  
tur?  
Plinii  
varia  
remedia.  
Apud no-  
stros haud  
obtinenda.

Nonne vero aduersus *Ipsum* hanc calamitatem, siue a natura, siue ab arte, præsidii quidpiam expectari potest? Sunt, qui credant, *Aquilonum* flatu eos necari; id tamen tunc fieri existimauerim, cum tenerum adhuc bestioarum istud genus est, neque satis confirmatum: nam vbi inualuit, aduersus omnes aëris iniurias, facile perdurat, neque decedit prius, quam stragem vitium ediderit, prorsus irreparabilem. Si artis præsidia requiras, liberaliter pollicetur *PLINIUS*; z) quinque enim memorat: Primo loco: *Simili modo, inquit, ne conuoluulus fiat in vinea, aa) amurca congios duos, decoctos in crassitudinem mellis, rursusque cum bituminis tertia parte, et sulphuris quarta, sub dio coqui, nam exardescit sub tecto, hoc vitēs circa capita et brachia ungi. Ita non fore conuoluulum.* Foret hoc quidem ingens pretium operæ, sed labor, tam frequente vite, qualis in *Sempronensium* agro est, pene inexsuperabilis. Quis enim, quæso, vitium singularum non capita modo, hoc est, eam regionem, quæ a radice proxime abest, sed brachia etiam, seu palmitum e vite exordia, singulim inungere occipiet? vt taceam non iam congios *amurcæ*, sed vastos lacus, quin bituminis quoque, et sulphuris, immensam vim, misceri debere: quæ quidem *PLINIANA*, immo *CATONIS* est mistura, facile, vini prouentum, quantumuis diuitem, vel æquaret, vel superaret. Expediior ea ratio est, quam addit porro *PLINIUS*: *Quidam contenti sunt, fumo huius mistura, suffire vineas, secundo flatu, con-*

tinuo

x) Lib. XIII. p. m. 422. 9.

y) Lib. III. de causis cap. XXVII.

z) Lib. XVII. c. 28.

aa) *Amurca est humor aquatilis, et re-  
trimentum ex olea expressa, sicui*

habet *VARRO* de Re Rust. Lib. I. c. 64.  
congius vero mensura, quæ humoris  
alicuius pondo continebat decem.  
vide *SALMAS.* Exercit. Plin. in *Cassii  
Iulii Solini* Polyhist. p. 417. b. F.

*vinuo triduo.* Nam et noſtris vinitoribus obſeruatum eſt, necari beſtias nocentiſſimas, fumi cuiuſcunq; afflatu. Certe in iis vineis, quæ impendent pagis, rarius luem hanc advertas, eo quod fumo e focis agreſtibus ſurgente, et in vineta adacto, antequam inualeſcant, diſpereunt. Vt proinde credam, arceri abigique poſſe *Ipes*, fumo non ſecus, quam culices, quos ea ratione armentarii, ne ſint graues pecoribus, ſolent abigere. Tertiam inde viam auerucandorum voluocum monſtrat PLINIVS: *Plerique non minus auxilii, et alimenti arbitrantur in vrina, quam Cato, in amurca, addita modo aquæ pari portione, quoniam per ſe noceat.* Sed eſt et hic eadem, quam primo loco indicauimus, difficiliter. Tantum enim cogere vrinæ, quantum operis iſtis ſufficiat, nã illud VESPASIANVM alterum requirat; hoc eſt, hominem, qui ex vrinæ vectigali, tantum lucri faciat, quantum vix ex ipſo vini mercatu poſſis. Pergit quarto loco PLINIVS: *Alii voluocem adpellant, animal prærodens pubeſcentes vuas: quod ne accidat, falces, cum ſint exacute, fibrina pelle detergunt, atque ita putant. Aut ſanguine vrſino liniri volunt, poſt putationem earum.* Geminum in his verbis PLINIVS memorat remedium, quo voluoces a vite prius arceantur, quam naſci poſſint. Vtrumque, multum agreſtis habere ſuperſtitionis, credo, niſi contrarium docuerint vinitores. Quæ enim, amabo! pelli fibrinæ, ſi ea falces exacute abſtergantur, cum voluocibus conuenientia? aut quænam ſanguinis vrſini efficacitas, ſi alterutram eius guttam, falcibus vinitoriis, poſt putatas vites, adſpergas? Nempe vniuerſam *Mofcouiam* caſtoribus, vrſis *Poloniam*, exinaniri oportebit, ſi per Hungariam, his vrſibus, ſeu fibrinæ pelles, ſeu ſanguis vrſinus, ſufficere debeat. Proinde an medicinæ iſta genera, aut velint, aut poſſint adhibere, in poſterum, viti ſuæ, Sempronienſes, et horum vicini, merito ambigo. Melius vinetis conſulunt, qui operis conductis, *Ipes*, ante quam inualeſcant, tempeſtiue decerpunt, et exurunt: tametiſi hæc quoque ſolertia, non minus ſumptuum, quam temporis requirat; quippe quæ, vt procedat, ſingulis diebus, atque id ſæpius, per ſingulos vinearum tractus, iteranda eſt. Equidem ita exiſtimo, cum ſint *Ipes*, DEI, ſclerum vindicis, *Tutiſſima eorum aueruncandorum ratio.* vltio, haud expediorem poſſe iniri viam, aueruncandorum eorundem, quam, quæ a MOSE, eodem loco, qui ſupra citatus nobis eſt, præcipitur: *Quodſi, inquit, IEHOVÆ, Deo veſtro, dicto audientes fueritis, eiusque præceptis omnibus, quæ ego vobis hodie trado, parere curaueritis, ipſi vos viciffim ſupra omnes orbis terrarum nationes euehet; vobisq; accident, et euenient, omnes hæc felicitates, modo Iehoua Deo veſtro dicto audientes ſitis. Felices eritis in vrbe, felices ruri; felices erunt veſtrorum vterorum, ſoli, pecorum fructus, tum armentorum, tum gregum balantum, fætura: felicia caniſtra, et maïtra: felices eritis aduenientes, felices proficiſcentes.* Id vero eſt, quod penitus ad animum admiffiſſe, iuuat! Hæc de *Ipibus*.

## §. XX.

Superest, vt poſt *Ipes*, de *Sturnis* dicamus; nam et hi inter vinearum populatores, ſuo merito, referuntur: inſidiantur enim, non ſicuti voluoces, viti teneræ adhuc, et infirmæ; ſed

*Cum largos auibus prædam fert vna racemos.*

Hoc eſt, cum miteſcunt vuæ, et ad vindemiandum, ſolis tepore, excoquuntur. Tunc enim, factis agminibus, vineas inuolant, eaſque, dicto citius, depaſcunt: quippe globatim volare, ſturnorum proprium eſt. Ita PLINIVS: bb) *Sturnorum generi proprium, cateruatim volare, et quodam pilæ orbe, circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus.* Vidi ego, et miratus ſum, *Sturnorum* hos exercitus, cum data opera, Anno MDCCXVIII. vinetorum Sempronienſium naturam, præſens indagarem. Scilicet, ex arundinetis, quibus *Peiſo* cingitur, eruptione facta, nubium inſtar, flexo hinc inde volatu, vt fallerent depulſores, vineis imminebant: quibus, vbi ſemel inſiderunt, ita integros tractus depopulati ſunt, vt hoſtili id factum induſtria, crederes. Vuas enim, quas celeriter nequibant deglubere, de racemis de-

Miram  
astutiam  
presens  
spectabat  
auctor.

Quibus  
modis de-  
pelleban-  
tur Stur-  
ni.

pexas, humi spargebant, colligebantque postea eo securius, quo longius abesse no-  
uerant custodes. Est namque sturnus in auibus, quæ sunt maxime dociles, a PLI-  
NIO recensitus: cc) *Habebant et Casares sturnum, item lusciniæ, Græco atque Latino*  
*sermone dociles: præterea meditantés in diem, et assidue noua loquentes, longiore etiam*  
*contextu.* Hanc illi docilitatem, palam produnt, cum insidiantur vineis; simulato  
enim in aliam partem, volatu, illic se demittunt, vbi minime reris, falluntque adeo  
adtentissimos eiam custodes. Hos ergo sturnorum greges, vt arcerent ab vuis, varia  
excogitauerunt *υπομολυκία*, siue terricula: nam et simulacra humana, negligenter  
ex stramine contexta, et centonibus deformia, hastis suffigebant; et crepitacula,  
quæ ventus circumageret, passim disponebant. Additi erant frequentes custodes,  
qui obirent vineas, et volatui auium inimicissimarum, adtenderent impensius: quas  
simulatque e longinquo sunt conspicati, inconditum tollebant clamorem, quo, vi-  
cini custodes, audito, hi quidem crepitacula impellebant, raucum resonantia, illi di-  
splodebant *σχοπος*, tanquam hostem portis reiecturi. Scilicet:

*It clamor cælo, resonat plangoribus æther  
Non aliter quam si immixtis ruat hostibus omnis  
Carthago aut antiqua Tyros.*

Vidisses disposita passim, locis cum primis edictioribus, tormenta minutiora, fune in-  
cendiario adiacente, vt, si esset opus, a prætereuntibus displodi ea possent, et boatu  
illo, dissipari, sturnorum globi. Certe, e longinquo hunc audientes fragorem, caus-  
sæque ignari, facile sibi, aliisque persuasissent, præliantium illas voces barritumque  
esse. Sed sturni, adeo illa re non mouebantur, vt visi sint, auidius subinde, et quo  
loco maxime arcebantur, vuis inhiare: vt plane crediderim, prædabundas aues  
hasce, non secus, quam *Ipes* diximus, vindictæ Diuinæ administras, existisse, quod  
et optimæ vindemiæ spem diminuebant, et auium istiusmodi, illuuiò, tam atrox,  
tamque numerosa, longa retro ætate obseruata haud fuerit.

## §. XXI.

Eorum  
multitu-  
do vnde?

Sturno-  
rum ple-  
nior hi-  
storia.

Sed vnde quæso tanta hæc *Sturnorum* multitudo? Qui causas vbique venantur,  
a rerum natura petitas, varie se torquent; nunc enim veris tempestatem, fœtifi-  
candis iisdem, opportunam; nunc lacus *Peisonis* decremента, et commoda, in arun-  
dinetis, hospitia, accusant. Dicunt illi quidem, non plane nihil, sed an satis, me-  
rito ambigo. Enim vero, non sunt penitus domesticæ aues Sturni, quia absunt  
hybernis mensibus. De iis PLINIVS: *abeunt et merula, turdique, et Sturni, simili*  
*modo, in vicina.* Nobis, in auium nocentissimarum historiam inquiringibus follici-  
tius, relatum est, secedere eas, in proximos, quos habent, montes siluasque, et  
illic, non hyemare modo; sed pullos etiam excludere; credo, in arborum petra-  
rumque rimis. Bis autem fœtificare dicuntur: primo, cum ver adolescere, deinde  
cum inire æstas, occipit; hoc est, medio fere *Maiò*, et desinente *Iulio*. Singulis  
vero incubitibus, quinque, quin et sex pullos, excludere perhibent: qua re fit, vt  
genitura adeo fœcunda, crescant in immensum. Tandem, vbi confirmatam habent  
pullitiam, factis agminibus, primum in campestria aduolant, mox, cum iam mite-  
scunt vix, hoc est, ineunte *Augusto*, in eas regiones, vbi vineas dari, longa annorum  
prædatione, didicerunt. Isthic autem, diei partem maximam, in pratis aruisque, len-  
tis hinc inde volatibus, extrahunt, vermibus cicadisque insidiantes; qua esca saturati,  
ad depellendam sitim, vineas postea invadunt, neque prius decedunt, quam se nobi-  
lissimo vuarum succo, ingurgitauerint. Sed vbi dies ad occasum inclinare coepit, signo  
quasi edito, e longinquis locis, ad *Peisonis* arundineta, isthic pernoctaturi, turmatim  
conuolant, garritu sibi familiari, complentes omnia. Vix vero dies illuxit, cum,  
sublatis iterum signis, partisque exercitibus, vineis imminet: quas demum impres-  
siones ad horam vsque diei nonam decimamque, continuant; donec ad campestria,  
reuer-

reuertunt; redituræ iterum, lautitiis, quas diximus, exſaturatæ. Perdurat hæc peſtis, in ſerum vsque auctumnum, eo nequior aſtutiorque, quo ſunt vix dulciores. Sed, vbi noctes incidunt pruinofæ, non exſpectata vindemia, forte, quod ſuam ante coegerunt, in hyberna diſcedunt, vinitoribus, quod a præda reſiduum eſt, relinquentes, neque redituri prius, quam eos anni tempeſtas, et dulcis vuarum memoria, inuitauerit denuo.

## §. XXII.

Iſta de ſturnis: iam de eorum aucupio nonnihil moneamus. Nimirum, cum ad-<sup>Singula-</sup>uerterent *Sempronienſes*, et horum vicini, nihil terriculis, <sup>re aucu-</sup>*ſcloporumque* bombis aduer-<sup>pii ge-</sup>ſus pernicioſiſſimum hoſtem, profici, de captura cogitare cœperunt. Variæ, vti fit, <sup>nus, quo</sup>excogitatæ inſidiæ, ſed efficaciffimæ, quæ rētibz, ad eum factis finem, tendebantur. <sup>Sturnos</sup>Qua in re, ita verſatos fuiſſe meminimus: Arundinetorum eo loco, vbi numeroſiſſi-<sup>interci-</sup>mi ſturni conſueuerunt inſidere, retia, e palis ita ſuſpēdebant, vt iis regionem vi-<sup>piunt</sup>ginti plus minus paſſuum longam, ſed dimidio anguſtiorē, integerent. Antror-<sup>Sempro-</sup>ſum, grande iſthoc rete, ad modum ſacci capaciffimi, deſinebat, cuius os, ita factum <sup>niēſes.</sup>erat, quemadmodum ſcirpiculi diſcarii eſſe conſueuerunt; nempe, aditum præbebat ſacilem, ſed exitum negabat penitus. Tunc, vbi rite diſpoſita fuerunt omnia, iamque


*Nox erat et placidum carpebant membra ſoporem*

famuli, ad eam rem diſlocati, fune, arundinetorum illi oræ, vbi ſturni hoſpitaban-  
tur, prætenſo, et ab vtroque latere verſus retia, per capita arundinum pederentim  
tracto, quaſſabant eadem, ſibillis additis, qui terrent infauſtos hoſpites. Fluctuan-  
te ſic arundineto excitabantur ſturni, et caſſium ignari, inter medias arundines, im-  
minentem tergis funem, magna celeritate, fugiebant, donec retia penitus ſubirent:  
hoc vbi factum eſſe aduerterunt, qui in priore parte retium erant collocati vigiles, ſa-  
cibus accenſis, proliciebant porro imprudentes aues. Hæ vero lumine viſo, auroram  
eſſe ratæ, certatim, et tanto impetu in ſagenam illam incurrebant, vt mutuo ſe con-  
ficerent. Atque hoc quidem aucupii genere, multa ſæpe ſturnorum millia, interci-  
piebantur. Cum primum captura hæc ex animi ſententia, ſuccuſſiſſet, integris plau-  
ſtris ſturni in vrbe inuecti atque inter promiſcuam plebem, vti quemque ſors obii-  
ciebat, diſtributi ſunt. Et eſt ſane ſpes, fore, vt, vbi exercitatiores euaserint noſtri,  
in obeundis capturæ huius partibus, non facile inualicuri in poſterum ſint ſturni; ſal-  
tem damnum illaturi minus graue, minusque exitioſum.

## §. XXIII.

His excuſſis, pronum eſt iudicare, frequentiores, in Sempronienſi, vicinoque  
agro, annos calamitoſos exiſtere, quam, prouentu vini, vberes. Enimuero, ſi ma-  
xime ea ſit, cæli aëriſque, temperies, quam vitis requirat, facile tamen fit, vt ſiue  
Ipum illa contagio, ſiue Sturnorum multitudo, vindemiam, vel prærodat, vel depaſcat.  
Optimum interea vinum colles noſtri gignunt: cum *hyems* non extra modum aſpera,  
et niue prædita eſt ſufficiente; *Martius* præterea ſiccus; vuidus *Aprilis*; *Maius* partim  
pluuiis, partim frigidiorē aura, temperatus; *Iunius* et *Iulius*, debito calore, et imbri-  
bus placidis, interſtinctus: *Auguſtus* et *September*, calidus, et dum iſte exit, nebulis ob-  
noxius eſt. Enim vero, hæc cæli obſeruata ſemper fuit temperies, quoties generoſiora  
iſthic vina ſunt prognata. Eſt hoc quoque pro ſoli ſitusque vinearum diuerſitate. Si  
enim annus, iuſto ſit ſiccior calidiorque, vineæ, quarum pingue limoſumque ſolum  
eſt; ſin, frequentioribus pluuiis obnoxius, quæ ſaxis ſunt impeditæ, vinum  
gignunt generoſius. De his hætenus: nunc reli-  
qua perfequamur.

*Calami-  
toſi anni  
frequen-  
tiores  
apud no-  
ſtros,  
quam  
vberes:  
quando  
optimum  
gigna-  
tur vi-  
num?  
et qua  
vincto-  
rum par-  
te?*



## MEMBRUM II.

## OECONOMICVM.

De

## Confitione et Cultu Vinearum Sempronienſium.

## Synopsis.

- Dicendorum nexus : conferendarum vinearum tria genera : Viuiradix , Malleolus , Talea. §. I.*
- Viuiradices et Malleoli , auctumno ponuntur melius : Vere Talea : Taleas , cur varius ferant ? §. II.*
- Quali ſolo nouellent Sempronienſes ? §. III.*
- Opera , circa nouellandum : regula œconomica. §. IV.*
- Vitium , quas pangunt Sempronienſes , genera : prima nota Tumidulæ , et earum ingenium. §. V.*
- Secunda nota Albulæ , harum indoles. §. VI.*
- Tertia nota , Auguſtæ ; earumque natura : falſo ex iis paſſum fieri Cl. Komaromius dixit. §. VII.*
- Quarta nota : Subfuſcæ : Austerulæ : Spiſulæ : Lombardicæ : reliqua. §. VIII.*
- Vites ad eſcam : Duracinæ : Bumammæ : Apia , qua et Muſcatulæ. §. IX.*
- Turæ : Aegomaſti : Bumaſti : Coturnicæ : Cyribotri : Italicæ , a paucis hic coluntur : fructuum in ſingulis generibus varietas. §. X.*
- Vitium conſitarum per ſcrobis propagatio : vere commodius , quam auctumno , inſtituitur. §. XI.*
- Quaſi ad eam rem ſcrobe opus ? apparatus et opera reliquæ : §. XII.*
- Mergi , alterum propagationis genus , quomodo in nouella , ac veteri vinea , inſtitui debeat ? §. XIII.*
- Inſitionis modus. §. XIV.*
- Putationis tempus , atque operarum ratio. §. XV.*
- Diverſa vitium ſpecies , diuerſas amant putationes. §. XVI.*
- Paſtinationis labor triplex : primus Menſe Martio inſtituitur : regula œconomica. §. XVII.*
- Alter paſtinationis labor , et huius rationes : ultimus quando inſtituatur. §. XVIII.*
- Cura pedanda vinea. §. XIX.*
- Pampinationis opera , earumque modus. §. XX.*
- Adliganda vitis ratio , prima , et ſecunda. §. XXI.*
- Tertium , quando adligari ſoleat : runcatio et tonſura vinearum. §. XXII.*
- Vindemiationem , qua antecedant ? eius ſigna. §. XXIII.*
- Vaſa accipienda vindemia , qua et quomodo parentur. §. XXIV.*
- Labor , quo vindemia abſoluitur. §. XXV.*
- Vinum paſſum non faciunt Sempronienſes : quibus de cauſis. §. XXVI.*
- Cellaria , qualia amet vinum Sempronienſe : Muſti fermentatio. §. XXVII.*
- Vini Sempronienſis durabilitas , et contra vitium , remedia. §. XXVIII.*
- Mercatus vini Sempronienſis. §. XXIX.*
- Eius intra urbem conſumtio : priuilegia eo pertinentia. §. XXX.*

## §. I.

Dicendorum  
nexus:

**V**idimus , quæ ſeu antiquitas ac fata , ſeu cæli ſolique natura , quin et incommoda vinearum Sempronienſium fuerint : alterum nunc ſequitur commentationis noſtræ membrum , quo ea expromere animus eſt , quæ ſunt circa cultum vineaticum , digna obſeruatu. Exordiemur vero a conferendarum vinearum ſtudio , recensituri poſtea , ſingulas , anni totius , operas , vsquedum , in adſeruandi , vendendique vini cura , deſierimus. Et conferendarum quidem vitium rationem , ii , qui de re ruſtica præcepta dederunt , duobus fere generibus definiuerunt , *Viuiradice* puta , et *Malleolo*. Præter hæc ſagaciores agri Sempronienſis cultores,

res,

res, tertium quoddam uſurpare conſueuerunt. Nimirum, ſarmenta, inter putandum inutiliter abiecta, in faſciculos, centum plus minus ſagittarum, colligunt, eamque materiam, ſerendis vineis, ita deſtinant, ut illa parte, qua veteri ſarmento detracta erat, æqualibus terminis, ſed laxè, reuincant, atque poſtea, recta ſurſum verſus, ſub terram, alte palmam unam, defodiant: quam ubi teneriores radices, fibrarum villorumque inſtar, ex ſingulis craſſiorum finium geniculis protrufit, ſollicite eruunt, atque paſtinato emundatoque ſolo inferunt. Iſtud illi ſationis genus, *Stürtz-Reben*, Latini *taleas*, adpellant, idque a traducibus (*von denen Bögen*) et malleolis (*Knebel-Reben*) ita diſtinguere ſolent, ut malleolos quidem, e prioris anni flagello, in quo utrinque *malleoli* ſpeciem præbent, atque ideo etiam malleoli vocantur, enatos, reſecent, atque in diuerſos agros, in auctumno potiſſimum, transferant: *Traduces* vero, virgis in arcum flexis a matre, proximis ſororibus, paſtinationis tempore, committant, neque prius reſcindant, quam ſolo fuerint ſubmerſi, unde et *mergi* dicuntur: *Taleas* autem, non niſi menſe Martio, a vinitoribus deputatas, eodem temporis articulo, dum ſucco natiuo adhuc vigefcunt, in cellariis, vel hortis, defodiant, ſecuturo deinde tritici flore, in vineas translaturi. Tametſi vero vltima hæc vires ſerendi ratio, cum illa, quæ per traducés fieri ſolet, in eo maxime poteſt comparari, quod utraque viuis veluti radicibus conſtet, utraque præter ea, transferri in alium agrum ſoleat; *Viuiradices* tamen, præterquam quod certis vitiariis conſerantur, eo quoque a taleis differunt, quod longiores ſint, neque prius, quam radices in vitiario ſpargere cœperint, transportari conſueuerint: contra *talea*, nec vitiariis inferi, ſed ut dixi, ſub terram deponi ſolent; nec longiores cubito ſunt, nec denique firmioribus radicibus, quam quæ fibras æmulentur villosque, transferuntur. Ne quid addam, *taleas* noſtrates, ad *malleolos* magis accedere, quam ad *traduces*: tum, quod non ſecus, ac malleoli, referente HERESBACHIO a) et SACHSIO, b) inter deputata et abiecta ſarmenta, colligantur; tum, quod pari, cum malleolis longitudine, pangantur.

Conferendarum vinearum tria genera: viuiradices, malleoli, talea.

## §. II.

Quemadmodum vero, vineas conſerendi, tria ſunt, apud noſtros, genera, ita *Viuiradices* et *Malleolos*, in auctumno ponere, conſueuerunt vinitores; partim, quod hac anni parte, irriguo ſolo, haud ita facile exareſcunt; partim, quod alieno cælo ſoloque, in primis, ſi peregrina ſint ſemina, adueſcunt promptius: quorum neutrum verna tempeſtate, felici æque ſucceſſu, promittere ſibi audeat agricola, hinc ſolis æſtu, illinc ventorum flatibus, non terram modo, ſed poſitos etiam furculos, exſiccantibus: quamuis, neque tempus veris, proſus importunum ſit ſationi, ſi, aut pluuius cæli habitus eſt, aut ager pinguis, et vliginoſa planities; id quod eruditos agricolas, paſſim adnotaſſe, legimus. Interim, poſitionis dies, haud definitur; ſed pro cuiusuis arbitratu, vel nouo adhuc auctumno, vel adulto iam, prout ſe habet cæli ſtatus, deligitur. Quod autem ad *Taleas* adinet, harum translationem, ea veris parte inſtituunt noſtri, cum triticum effloreſcit; tunc enim, defoſſæ, ſub terra, ſagittæ, gemmis ſuperioribus, pubeſcere occipiunt, eaque re, tempus, quo tranſplantentur adeſſe, ſuapte indicant. Licet vero, hæc, *Taleis* conſerendarum vinearum ratio, haud omnino ſpernenda ſit; paucioribus ea nihilominus familiaris eſt, quippe plerisque *Viuiradicem* præferentibus. Hæc enim, cum minus interit, quia tempeſtatum viciffitudines fortius ſuſtinet; tum et adoleſcit maturius, euaditque fructibus edendis tempeſtiuor: cum contra *Taleæ*, ſæpius retorreſcant, nec, ſi adoleſcant etiam, prius, quam poſt triennium, rarius poſt biennium, ſpem fructuum faciant; qua ipſa tamen pariendi feſtinatione graciles fiunt ac emucidæ.

Viuiradices et Malleoli auctumno ponuntur melius.

Vere Taleæ:

Taleas cur rariſſime ſerantur?

## §. III.

Supra, cum de ſitu vinearum noſtrorum, egiſſemus, haud abs re, cum Poeta diſquiſiuimus:

Quali ſolo nouellent

Uu 2

Colli-

a) Lib. II. p. 316.

b) Lib. I. c. V. p. 29.

## Collibus an plano melius sit ponere vites?

Sempronienſes?

At Sempronienſes, ſi nouellandum ſit, nihil intereſſe putant, campone, an collibus vineta collocentur. Mox namque, rudem atque indigeſtum agrum deligunt, mox vacuum arboribus aruum, mox arbuſtum, filuaſque raras atque eminentes; ſed nec timent vineas referere, quæ ſitu exoleuerunt, licet radicibus impeditum habeant ſolum, neque virus illud, atque cariem vetuſtatis, amiſerint. Solis potiſſima ipsis ratio eſt, nempe, vt eius obiectus, oriens ſit, et ſine ceſſatione, meridianus. Ad ſoli ingenium, quod adinet, furculorum frequentia, quernearumque radicum profunditate, tophi præterea, carbunculi, filicis humentiſque et pinguis arenæ mixtura, futuram agri fertilitatem, metiuntur. Si præterea calidior terra ſit, quam frigidior; ficcior, quam humidior; rarior, quam denſior; arenofior, quam limofior, et quæ ſunt ſigna, his ſimilia, eam exiſtimant humum, vinetis maxime idoneam futuram.

## §. IV.

Opera circa nouellandum.

Regula œconomica.

Delecto ita ſolo, id primum ſedulo dat operam agricola, vt radicitus extirpetur, quidquid vel arborum, vel fruticum, vel herbarum, ſuapte natura natum eſt; maxime, ſi reſtibilem vineam faciat, quidquid eſt, antiquæ vitis reſiduum, extirpari debet. Deinde, totum ſolum fimo, aut alterius generis terra, quam fieri poteſt, fertiliſſima, perſpergatur, atque ita conuertatur, æqueturque, oportet. Solo, vti decuit, emundato, decuſſatim per iugera, fulci ducuntur, vnus orgyæ ſpatio, ſingulos inter ordines, omiſſo, vt latiora vacent interualla, per quæ poſtea, frequentes proluxæque materiæ, diffundantur. Hanc illi metationem ita conficiunt, vt tracto per repaſtinatum ſolum canone, ordines, iuſtis inuicem ſpatiis, deſignent; quos poſtea foſſor ſequitur, fulcumque, alternis, per ordinem, ſpatiis omiſſis, a ſiniſtro verſus dextram, aut vice verſa, iuxta canonem, vel tramitem factum, non minus altum latumque, quam duos pedes, refodit. Depreſſis in hanc profunditatem fulcis, *Talea*, *malleoli* et *Viuiradices*, reponuntur. In omniſi autem generis palmitibus, id potiſſimum ſator aduertere ſolet, vt, vel e capite vitis, ſtirpes legantur, vel e crure vicino radicibus, vel denique e duro. quod etſi in *taleis* obtineri nequit, quæ inter ſarmenta colliguntur, eo tempore, quo putantur vineæ; *malleoli* tamen, niſi e duro abſcindantur, decipiunt ſæpe, fertilitatis ſpecie. Neuter vero, *malleolus* ſit, vel *talea*, cubito longior breuiorue ſit, oportet; quod in traduce obſeruare neceſſum haud eſt. Sed antequam ſemina deponantur, vinitores, fulcorum fundos, vetuſto ſtercore, aut egeſta de vepribus humo, alte ſemipedem, perſpergunt, acceptaſque ſtirpes, prætorſo capite et iuxta foſſarum latera incuruato, velut in cubili conſternunt, duabusque gemmis, ſuper humum eminere paſſi, reliqua, pingui humo, ſollicite contegunt; quæ faciunt in eadem linea, intermiſſas totidem pedum interuallis, dum peragant ordinem: ſapius tamen, ſuperior tantum pars, neglecta inferiore, fimo aut ceſpite, contegitur. Nimirum, depoſitis, in vacua foſſarum, furculis, caudices cooperiuntur, deinde effoſſa terra, obruuntur in fulcis, lineis vnum admodum pedem altis relictis, vt imber penetrare humum, et radices ſeminum irrigare, poſſit. Verum, priuſquam hyems ingruat, ad ſummum coæquari debent, ne fortean importuno frigore, et gelicidiis, in ſemiplenis fulcis ſtagnantibus, viciantur.

## §. V.

Vitium, quæ pangunt Sempronienſes, genera.

Fuit hæc conferendarum vinearum ratio, ſequitur, vt vitium ſpecies, quas amat Sempronienſis ager, percenſeamus. Neque vero vnus ſunt generis, vites, quæ apud noſtros pangi ſolent; variant quippe ingenium earum, prout quiſque agricolarum, vel varietatis voluptate ducitur, vel exiſtimat etiam, diuerſum cæli ſolique habitum, diuerſis quoque ſeminibus coli oportere. Id enim inter ſerendum cumprimis dant operam, vt vnum quodque genus, pro temperamenti ſui ratione, loco ſibi maxime opportuno, deponatur; ne, quod humore proficit, ſiccio; quod gaudet ſiccitatibus, humido; humido et pruinoſo, quod non eſt patiens vredinis;

ſeu

ſeu feruente gremio, quod vapores non fert, contriſtetur. Et quum ad eſcam alia, alia ad fundendum multum magis faciant, inter eas, quibus vino conſulitur, cuiusmodi vites conſueuerunt eligi, quæ et fructu valent, et materia. Atque huc in primis referri poſſunt *Tumidula* illæ, quas vulgo *Zapffeten* vocamus. Has cur Cl. KOMAROMIVS, in ea diſſertatione, quam nominauimus, præterierit, eo magis miror, quo plus, tum ad reditus colonorum conferunt, tum ad ſtirpis præſtantiam. Ita vero eas incolæ nominarunt, a ſimilitudine rei, quod acini tumidorum quorundam obturamentorum (*einiger Zapffen*) ſpeciem præbent. Ipſa vitis materia adſurgit firmiſcula, cortice rubenti, foliis albicantibus, et mediocriter ſciſſis. Colles, genus hoc, non minus, quam campos, patitur, dummodo calidum, humidum, iuxta et pingue ſolum ſit, non falſum, non amarum, non calce et ſabuloſo topho ieiunum. Fructus celeriter ſpondet, ideoque humido ſolo proficit; at vbi ſicco depoſita eſt, nonniſi frequentioribus imbribus prodeſt. Aæſtuoſo enim cælo, fructuarius palmes, quem ex more civitatis, in matre relinquunt agricolæ, facile inareſcit, niſi pluuia irrigetur ſæpius. Præſertim ſi ſolum a natura ſit aridum, plurimis vitium gemmis c) caries inducitur; ſæpe multi palmites, fructum penitus amittunt. Vbi vero gemma florem iam explicuerit, ſudum cælum, humumque calidam depoſcit, quo et deflorefcat celerius, et tardius mitelſcat. Nempè:

Tumidula et earum ingenium.

*Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.*

Quam ob rem, ſoli quoque caliditas, neceſſaria vis eſt, vt non tantum lætiori ſcapo adoleſcant, ſed etiam, vt ſint acinis plenioribus, atque æſtu coquantur, efficaciore. Et enim, tota vitis iſtius gloria, in d) rugoſa vuarum maturitate, hoc eſt, *vis paſſis*, poſita eſt. quare, ſi pluuio et frigido cæli ſtatu, adoleuerit, ſicco exuberat, magnamque vini copiam fundit; ſed generoſius lacrumatur, ſi calore rugata ſit, ſeu paſſa, quamuis pariori admodum culeo.

## §. VI.

Proxime ab his ſunt *Albula*, *die Weiſſen*, procul dubio, a colore acinorum, qui albi ſunt, ita nuncupata; tametſi et materiæ, et foliorum, alba proluxaque magnitudine, ab aliis diſcriminentur. Vti vero *Tumidula*, quam ſupra deſcripſimus, cum maiori Italarum *Aminea*, apprime comparari poteſt; ita hæc quoque *Albula*, ſingularis eſt, nec *Tumidula* diſſimilis, in primis magnitudine pampini, et trunci: ſed vini ſapor aliquanto inferior, tametſi ſatis generoſus. Ad vuas quod adinet, limpidiore ſucco turgeſcunt, nec facile, quouis cæli calore, rugas contrahunt, paſſisque adeo accedunt. Interim feraces ſunt, ac flore optime exuuntur: vuas ferunt, non tam ſpiſſas, quam *tumidula*; ſed æque albidas, et ſubtilioris acini: gracili agro non deſciſcunt; ſed mediocri exſilique et ſicco, exuberant. Humido cælo locoque, ægre, raroque, feliciter deflorefcunt; quo circa illis terræ locis deponi ab agricolis ſolent, quos *Tumidula* reformidant.

Secundæ notæ  
Albulæ,  
harum  
indoles.

## §. VII.

Tertiæ notæ vites ſunt *Auguſta*, ſicco maxime loco fertiles. Materia et foliis albicantibus, ſed et gemmis rubicundis, dignoſcuntur. Celerrime ſpondent, et primo quoque tempore, deflorefcunt: Vuas non ſpiſſas, ſed oblongas et dapſiles, iucundique ſaporis, exhibent. Primo omnium matureſcunt, menſe *Auguſto*, vnde et *Auguſta*, incolis *Augſter*, nuncupantur, *Viſulis* Romanorum fere ſimiles, quæ niſi primo quoque tempore maturæ legantur, in tetram decidunt. Numquam rugas colligunt, vt paſſæ euadent, ſed maturo iam fructu, aut flacceſcunt, aut putreſcunt penitus. Ex his vinum paſſum, (*Ausbruch*,) fieri dixit laudatus KOMAROMIVS. At enim vero, vel hoſpites Sempronii, didicerunt, nullum paſſi uſum noſtratibus eſſe,

Tertiæ notæ,  
Auguſtæ,  
earumque  
natura:

falſo ex  
iis paſſum fieri  
vt Cl. Koma-

X x

c) Id quod agricolæ noſtri, *das Erweiffen*, vocant.

d) Vernaculo vocabulo *Mangerle* dicunt.

romius  
dixit.

vt taceamus, quod si ludere etiam quis operam voluerit, non is ex *Augustis*, quæ nullas habent, sed ex *Tumidulis*, passulas colliget, et passum conficiet: qua de re infra dicendi erit locus.

## §. VIII.

Quarta  
nota  
subfusca.

Austerula

Spissula:  
Lombar-  
dica,  
reliqua.

Iam quod ad quartæ notæ vites adinet, plura harum sunt genera, quam vt recensendo possint exprimi; potiora dabimus. In his sunt *Subfusca*, *Krämler*, quæ fusco cortice, vnde ita merentur appellari, foliis virentibus, gracili materia, solo calculoso et exsili, progerminant, succo egregio exuberantes. Quibus haud absimiles sunt *Austerula*, *Gäfsler*, quippe æque fecundæ, succo tamen austeriore, qui si miscetur cum aliis, mitescit, et vim ingenerat vino egregiam generosamque. Oblongis et aculeatis pampinis vestiuntur, lætanturque, glareosa et mixta calce humo, vbi et commode deflorescunt: acino tamen *Augustis* et *Muscatulis* magis accedunt. In harum præterea classẽ referri merentur *Spissula*, (*Grobanckler*) et *Lombardica*, (*Lombarder*), quarum vltimas, nescio, cur cum *Aegomastis* comparauerit Cl. KOMAROMIVS, cum non tantum materia, pampinis, fructuque, ab iis differant, Augustisque magis accedant; sed vinum etiam exhibeant nobilius. Nihil dicam de iis, quæ ab incolis *Scheükhünler*, *Zollner*, vocantur, quæ item argentum aut cineres colore referunt, indeque *Silber-Weiss* et *Aschen-Weiss*, dicuntur. Neutra harum, prouentu, aut vbertate, ceteris cedit. Neque tamen ea causã, quod vbertim et vtiliter omnes germinent, ab omnibus agricolis promiscue feruntur; sed quod quisque iudicauerit eximum genus, id, quantæ multitudinis potest, efficit. Plurimi contenti sunt, *Tumidulis* et *Albulis*, satis existimantes, per duo hæc genera vindemiæ fortunam operiri.

## §. IX.

Vites ad  
escam:Duraci-  
næ, Bu-  
mammæ.  
Apiæ;  
que et  
Muscatu-  
læ.

Sed, præterquam quod Sempronienfes vino maxime student, multas etiam vites, ad escam deponunt, easque non minus in hortis ad iugum, quam ad pedamenta in agris aliis, immixtas colunt. Harum fructus alii vendunt, alii in cellis penuariis appendunt, apponuntque, vbi occasio fert, tota plerumque hyeme, inter bellaria. Hoc autem sine, maxime præcoces, *Duracinas*, *Bumammæ*, et si quæ sunt genera, iucunditate saporis, et specie, nobilia, conferunt. Principes tamen, quas huius rei causã deligunt, vix *Apiæ* sunt, non duro, nec ingenti, sed præcoci acino, et odoris, et saporis, pretio insignes, ceterum feraces, et ridicis idoneæ, coloris albidi et helui: vtraque generosissimi gustus, sed carnosior tamen helua. Pingui solo, feracissimæ sunt, sed nec mediocri ingenium deserunt, apum, ob gustus suauitatem præda certissima, ob quarum expopulationem *Apias* dictas esse COLVMELLA e) auctor est. Indigenæ f) *Muscatulas*, *Muskateller* dixerunt, forte a *Moscho*, quem ferunt, iuxta Poetam:

*Cum referam Moschum, merito muscatula dicor  
Ex me ne queras pocula, quere cibum.*

Sed reuera, nomen, a *muscis*, trahunt, quod ab iis exedi consueuerunt, simul atque maturescere incipiunt.

## §. X.

Turea.

*Apias*, odoris saporisque suauitate, *Turea*, (*Weyrauch-Trauben*), æmulantur, patientia vero, et durabilitate, etiam antecellunt: quippe quod acino prædita sunt duriore, et id, quod tunica complexæ sunt, contra temporis iniurias, optime tuentur. Campo maxime lætantur, vinumque fundunt dulce, forte, et g) *turco*, vnde nomen acceperunt, odore fragrans, sed capiti neruisque ineptum; hinc et ad escam

e) de Re Rust. 3. 2.

f) Nota in Komaromium.

g) KOMAROMIVS *Maioranum* vocat.

efcam plurimum colliguntur. Certe, quæ vina ex iis colliguntur, grauia ſunt, et inſalubria :

*Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.*

Præterea natium ſaporem, vix ultra anni ſpatium, retinent; ſin vero paullo durauerint diucius, degenerant, atque ſæpius poſt biennium, amareſcunt. *Aegomaſti* h) inde et *Bummaſti* nominari merentur, qui ſecundâs menſas, ſapore et elegantia, ornare ſolent. Vtrisque duplicis coloris vuz ſunt; ſed ſicuti in illis virides elegantiores, ſic præſtantioreſ in hiſ, quæ rubent, atque hinc ſuo iure *Rubelliana* dici poterunt. Solo pingui, et calido, optime naſcuntur, ſed a vite detractæ, frigidum ſiccumque locum depoſcunt. *Coturniceam* i) quoque, a coturnicis ſpecie, quam refert, nonnulli maxime probant; ſed rarior eſt, paucisque admodum ſeritur. Et eſt ſane iucundi guſtus, ſed ob crebram materiam, pampinorumque denſitatem, niſi pampinetur ſapius, maturo fructu, putreſcit facile. Iſtis, quas retulimus, *Cyribotron*, vulgo *Zyriſandel*, optimo iure poſſis accenſere, ſi quæ enim alia, hæc proſecto guſtatu eſt ſuauiſſima, materia gracili et rubente, folio acinoque viridi. Solo campeſtri et glareoſo maxime gaudet, id quod botris, natura gracilibus, exſilibusque et ſpiſſis, vbertatem conciliat. Denique et *Auguſtas* inter eos, quæ *τραγῆμασι* ſeruiunt, commode retuleris, niſi quod nequeant durare; præcoces enim cum ſint, breui ſpatio temporis, et opinione celerius, deſtuunt, doliisque propterea, quam perticis ſunt aptiores. *Italicæ* vites, pauciſſimi apud Sempronienſes pangunt. Genus eſt, breui et exſili materia, pampinis velut calamistratis, acino mediocri et rotundo, vuis albidis et iucundis, guſtu probabili, ſed noſtris regionibus, triſtius viliuſque, quam in patria, florent. Et quis recensendo reliqua genera conſectetur?

Aegomaſti: Bummaſti:

Coturniceæ.

Cyribotri.

Italicæ a paucis hic colluntur.

*Sed neque quam multa ſpecies, nec nomina que ſunt,  
Et numerus; neque enim numero comprehendere refert,  
Quem qui ſcire velit, Lybici velit æquoris idem  
Discere, quam multa Zephyro turbentur arena.*

Enimuero, fertiliffimus hic Pannoniarum tractus, non tantum abundat eo fructu, qui indigena et vernaculus ipſi eſt; ſed peregrinas etiam, et aliunde adſcitas vites, accedente colonorum ſtudio, ferre didicit, quarum quidem neque numerum, neque adpellationes, cum certa fide referre poſſumus. Omnia vero, quæ recensuimus, vitium genera, mirum in modum fructuum prouentu variant. Singulæ præterea ſtirpium ſpecies, duplices colore vvas gerunt, nullumque vitis genus habetur, ſiue viride illud ſit, ſiue album, quin etiam vvas gignat, quæ vel heluo, vel rubro, vel etiam glauco, et nigro colore, matureſcant. Ceterum pro vario vinetorum Sempronienſium ſitu, vna eademque vitis, vini præſtantia modo excellit, modo ſe ipſam quaſi deſerit; vt proinde, eadem vitis ſpecies, quæ ad lacum Peiſonem generoſiſſimum vinum fudit, ab eadem hac virtute creberrime penitus deſciuerit, ſi vel ad radices montis k) *Vöbndorffini*, vel in l) profunda valle, et vicinis cliuis depoſita fuit: hic enim largius; iucundius illic vinum gignit: tametſi et ad lacum, eadem vitis largius effluit, Aquiloni prona; generoſior contra ſub Auftro eſt.

Fructuum in ſingulis generibus varietas.

§. XI.

Vitium ſeminibus, iſto, quem diximus, cum delectu, poſitis, proſilientes, prima ætate, palmites, in nouellis vineis, ita propagant Sempronienſes, vt reſciſſis, ſi luxuriauerint, ſarmentis reliquis omnibus, tria, ſummaum quatuor brachia, omit-

X x 2

tant propagatio.

h) Sic dictæ ἀπὸ τῆ ἀγῆς καὶ μαῦ, a capræ vberibus; iſti vero ἀπὸ τῆ βῦς καὶ μαῦ, a bouis vberibus, quod earum ſpeciem, et magnitudinem fere quodammodo referunt.

i) Hanc Germani *Reiffler* vocant.

k) *Auf dem Leber*.

l) *Im tieffen Weg*.

tant residua, eadem sequenti anno, a matre, m) scrobibus commissuri. Sed propagandas in veteri vinea stirpes, non multitudine sarmentorum, verum vbertate fructus metiuntur. Nimirum, proxime ante vindemiam, et pendentibus adhuc racemis, prouidus agricola, eas vites, quæ materie vuisque hilares, et quæ continua fructuum vbertate, velut emeritæ sunt, quin iuniores quoque interdum, subiecto radicibus pampinorum fasciculo, velut signo quodam, adnotat. His demum interputandum tres quatuorue virgas relinquit, a quibus virgis, vitem, postea *sentem*, *eine Hecke*, cultores vocare sueuerunt. Singulæ demum virgæ, quæ iusta longitudine submissæ sunt, a matre, solo repastinato, defodiuntur, breuioribus per annum relictis, et futuræ quasi depressionis candidatis. Atque hæc propagatio, vere non minus, quam auctumno, instituitur; sed vere tamen opportunius, quod succo referti palmites, minus reformidant torquentis vinitoris manum, et faciliori flexu, varias per lineas, sternuntur. Nec multum interesse putant agricolæ, vtrum quis virgas demittat, ante quam progerminauerint, an in villos et frondes tum demum effusas. Attamen, vtrumque tentare coegit, diuersa vineas colendi ratio, haud raro, alterutrius felici successu, decepta. Interim, sunt, quibus posterior iste modus, tutior videtur, et fructuosior.

Vere commo-  
dius,  
quam  
auctum-  
no, in-  
stitui-  
tur.

## §. XII.

Antequam vero virgam a matre in terram deprimit agricola, scrobem, qua versus iuxta matris radicem, expressis angulis, refodit, in plano altum pedes duos, altioribus locis, femisse altiore, præcipitibus, etiam in tres pedes. Refossis ita scrobibus, et vetusto stercore, saltem cespice, vel terra pingui, e senticetis egesta, perspersis, virgas, iustis interuallis dispositas, suis singulas alueis, imponit, impositas, eodem fimi genere, vt felicius radices agant, contegit, contectas, effossa humo, coæquat. Palmites autem, qui supra terram exstare debent, non patitur plus, quam duas, summum, tres gemmas, habere. Spatia vero inter propaginum ordines, ita dimittitur, vt non tantum ager sumptibus respondeat vberius, sed etiam vites mutuis inter se capreolis coniugatæ, et contiguis pampinis veluti tectæ, omni tempestatum calamitati resistent, fructumque adolescentem, contra pruinæ, caliginem, noxios imbres, carbunculum, aliasque iniurias, tamquam gremio repositum, tueantur; ne vel frigore et imbris putrescat, vel æstu et siccitatibus intempestiuus, flaccescat. Tametsi vero huiusmodi mensura nectenda est vitium series, numquam tamen committet prudens agricola, vt angustiora fiant propaginum interordinia, quam facili pastinatoris transitui, iuxta et operis, pateant. Enimvero, si densa nimium vitis, operarios, transitu impediat, vinea commode coli haud poterit, et plerumque fructuarii palmites, vehementia transrepentium, vna cum botris decutiuntur. Interim æqua sentium spissitas, non tantum culturæ non obest, sed efficit etiam, vt præter alias vites, princeps illa, quam laudauimus, *Tumidula*, continuis auctumni æstibus ne aduratur, sed pampinorum sub umbra, sensim maturescat, vuasque, vino maxime idoneas, quas *passas* vocamus, exhibeat. Atque hic communis ille nostratium modus est, quo propagata vitis, celeriter conualescit, et tertio post anno, suos iterum sentes, exhibet, pari iterum propagationis genere, si opus sit, terræ committendos.

Quali,  
ad eam  
rem, scro-  
be opus?

appara-  
tus et  
opera re-  
liqua.

## §. XIII.

Idem istud propagationis genus, licet ita se habeat, vt singula vitis brachia, per ramos fossarum tracta, humo veluti submergantur, cum *mergis* nihilominus confundi haud debet. Præterquam enim, quod modus obruendi, vtrinque diuersus est, ipsa quoque species, variat. Illic enim tres quatuorue, ac subinde plures palmites, defodiuntur; hic vnus tantum, summum duo. Quocirca, in nouella vinea, omnes furculi, qui in tria, quatuor, et plura flagella, excreuerunt, priori modo adobruuntur; at *mergis* non alii, nisi imbecilles illi, quos vnica aut duæ tantum virgulæ simili propagatione, prohibuerunt. Vbi vicissim firmiorem vinitor submergit, altera ad

Mergi,  
alterum  
propaga-  
tionis ge-  
nus quo-  
modo in  
nouella,  
ac veteri  
vineæ,  
institui  
debeat?

m) *Eingruben*, operarum istud genus vocare solent vinitores.

ad vnicam n) gemmam deputata, quam præſidiariam vocant. At in vinea veteri, ea inprimis brachia mergis deponunt agricolæ, quæ vitis, dicta ratione, depreſſa, quaqua verſus, in longum effudit. Debilia enim cum ſint, et depreſſioni inepta, curuato tantum frutice, ſubmerguntur, vt fructui ſeruiant. Ceterum, ſi eadem vinea vetus aliquos in corpore habeat truncos, qui vna tantum propagine pollent, aut pluribus, ſed dimidia ſui parte aridis; cum illa vnica, ſi quidem ſecti poterit, dicto modo, curuatur, reliquæ amputantur, aut, qua poſſunt, ſubmittuntur, vt in proxime futuram propaginem conualeſcant. *Mergi* autem modus eſt, non iuxta matris radicem, vt in propagatione, ſcrobem ducere, ſed paullo remotius, vt matrem inter et foſſam, qua mergus lateat, pro virgæ portione, ſcamnum quoddam emineat. Huc deinde flagellum, a vite, ſupra terram, curuatur, atque ex alto, ſcrobe ſubmerſum, duabus tantum gemmis ſupra repaſtinatum erigitur, vt non minus ex ſagitta, quam ex arcu, materiam citet, vindemiæ vtilem. Submergitur autem non auctumno, ſed vere, nempe, in prima paſtinatione. Sequenti poſt anno, infeccatur ſuperior pars curuaturæ, atque id, quod a matre abſciſſum eſt, conſeſtim eiicitur, aut transfertur in nouellam vineam ad conſitionem.

#### §. XIV.

Sed præter hos vineas mergendi et propagandi modos, conſuevere Sempronienſes, iis vitibus, per inſitionem, conſulere, quas natura, et longa temporis experientia, improbauit. Nimirum, eam vitem, quam genere ignobilem, et minus feracem, obſeruauit agricola, alte circumfodit, et ſcrobiculo factò, ad imum ſolum præcidit; deinde, optimi generis ſarmenta fructuaria, cum gemmas agere incipiunt, a matre depromit: hæc, tribus nodis integerrimis relictis, infra tertium duorum digitorum ſpatio, in modum cunei, ſcalpello acuto, ita, vt ne medullam lædat, adradit; vite poſtea, cui ſarmenta hæc inſiturus eſt, ſciſſa, paratos furculos, in fiſſuram eam demittit, eatenus, qua adraſi ſunt, ita, vt cortex furculi corticem vitis æqualiter contingat, cumque eo coaleſcere poſſit: tum quidquid inſerit viti, libro, quam diligentiffime, ligat, atque luto ſubacto, aut cera, oblinat, operitque plagam, et ita alligat, ne aqua, ventuſue, penetrare poſſit: extremo, ſupra lutum, aut ceram, muſcum imponit religatque, et furculos ita humo circumfundit, vt duabus tantum gemmis emineant. Hac demum inſitione, emendatur vitis, et ad bonam frugem reuocatur.

*Inſitionis  
modus.*

#### §. XV.

Conſtituta ſic, atque longe ac late propagata vinea, de cultu vineatico ſolliciti ſunt agricolæ. Primas operas, putatio fatigat. Neque enim hic vites ſeneſcente auctumno, quemadmodum in ſuperiori Hungaria, moris eſt, aduerſus iniurias hyemis, humo integunt, vt primo eas vere neceſſum haberent reterege. Igitur, labores vineaticos a putatione exordiuntur Sempronienſes, nihil diſquirentes, verene, an auctumno, ea fieri debeat, ſed quando fieri poſſit. Profecto enim, ruris vaſtitas, temporis, quod ſit commodius, electionem difficilem facit, immo plerique negat proſus. Igitur, multi poſt vindemiam deputant, quam primum ſtirpes fructum cum fronde deponunt; pauci vere; nonnulli vtroque tempore; quin per brumam etiam, prouti cæli habitus ſuadet, atque poſſeſſarum vinearum ratio permittit. Ec ſane hæud multum Sempronienſium intereſt, vtrum hyeme exeunte, an media, vel etiam ante hanc, in auctumno, vitis melius putetur, ſi modo æqualem ante plagam accipiat, quam furculus progerminet. Quare id cum primis dant operam Sempronienſes, vt putator vineis immiſſis, o) primum fructui conſulat, deinde, vt in annum ſequentem, quam lectiſſimas iam hinc eligat materias, tum etiam, vt quam longiſſimam ſtirpi perennitatem adquirat. Quod vt in vniuerſum idem iuſte perfequi poſſit, neceſſe ante omnia eſt, vt duris tenuiſſimiſque et acutiſſimiſque ferramentis

*Putatio-  
nis tem-  
pus, at-  
que ope-  
rarum  
ratio.*

Y y

mentis

n) Vernacule, auf einen Zapfen di-  
cunt.

o) Ita COLVMELLA Lib. IV. c. 24. p. m.  
115. initio.

mentis instructus vineam ingrediatur. *Obtusa enim et hebes, et mollis falx, putatorem moratur, eoque minus operis efficit, et plus laboris adfert vinitori. Nam, siue curvatur acies, quod accidit molli, siue tardius penetrat, quod accidit in retuso et crasso ferramento, maiore nisu est opus. Tum etiam plagæ asperæ atque inæquales, vites lacerant, neque enim uno, sed sæpius repetito ictu, res transigitur: quo plerumque fit, ut quod præcidi debeat, perfringatur, et sic vitis laniata scabrataque putrescat humoribus, nec plagæ consanentur, ait optimus rei rusticæ scriptor, COLVMELLA. p)* Putationis inde laborem eodem, quo alibi siveit, imodo, perficiunt Sempronienfes. Ut enim fructui consulant, fructuarios palmites submitunt; anno autem sequenti materiam eligunt, neque gracilem ac emucidam, sed nec luxuriantem, nimiumque latam, verum quæ media inter vtrumque qualitate, bene in futurum spondeat: denique vitem perennem ut faciant, inde a radicibus perpurgandam censent. Pedibus diligenter percuratis, circumspiciunt, ne aut pampinariis palmes internatus, aut veruæ similis furunculus, relinquatur. Tunc, quid in vite, quod seu ventorum adflatu, seu æstu solis peraruit, falce ad viuum vsque eradunt, quidquid emortuum est, ut a viridi vegetoque codice ducat cicatricem. Quin immo, corticem quoque aridem fissumque, et per summa trunci dependentem, plane ex præscripto Columellæ, corpore tenus deliberrant, ut vitis fordibus liberata melius conualescat, et vino minus fecis adferat. Postea, muscum, et quidquid, more compedis, crura vitis consuevit illigare, ferro distringunt deraduntque. Inde, cum reliquum vitis deputant, hoc dant operam, ut plagam vitis accipiat resupinam rotundamque, non obliquam, et prona cicatrice terram spectantem: id quod, cum decori seruit, tum citius etiam vitem conualescere facit: et quæ sunt huius diligentiae partes reliquæ.

### §. XVI.

*Diuerse  
vitium  
species,  
diuerfas  
amant  
putatio-  
nes.*

Ceterum, vinetorum diuersitas, diuersis putationibus absoluitur. Quas enim auctumno deposuit stirpes agricola, his prima putatione vnicum admodum nodum, vna, vel etiam vtraque cum gemma, relinquit; altera duos, iuxta veteris sarmenti commissuram, itidem vna vel duabus gemmis constantes, qui materiam opportune citent. Hinc, si plures, quam duos palmites vitis progerminet, sequenti anno, tres aut quatuor virgas ei submittit, et terræ immergit. Sin vero duos tantum fronduit, ex his alterum submergit, ad proximum deinceps palum perducturus, alterum, in pollicem tondet, quem quidem custodem, alii rescem, nonnulli præfidiarium, COLVMELLA q) teste, adpellant: id est sarmentum gemmarum duarum vel trium: ex quo cum processere fructiferæ materiæ, in tres quatuorue palmites scissæ, vicissim terræ deprimuntur. Et hac quidem putationis cura fieri solet, ut stirpes truncum ab imo consequantur, et perpetua propagine durent. Nam siue mergos fecerint, sequenti anno illi, qui submersi erunt, rescinduntur, ut suis radicibus ali, et iterum propagari condiscant; siue scrobibus propagentur, ex depressis palmitibus, noua iterum sarmenta vtriusque generis, amplificationi idonea, expectantur. quod sicuti diuerso modo fieri solet; ita alia conditio in recidendis mergis est, alia in palmitibus: illic plures vno submitti e trunco negauimus; hic ad quatuor, immo ad quinque etiam sentes numerus extenditur. Tametsi vero numero inter se differunt, specie tamen non differunt; quippe quum vtrinque robustam materiam requirat agricola; vtrinque longa pedes tres, et semissem constituat flagella. Rursus, quidquid in vtroque stirpis genere processit, vel nepotum, vel clauiculorum, id omne pari vtrinque cura detrahit prius, quam sentes defodiantur.

### §. XVII.

*Pastina-  
tionis la-  
bor tri-  
plex.*

Sed vbi cum cura deputata vinea est, iamque hyems deforbuit, vernique soles humum occipiunt percalefacere, ad pastinandum curas operasque confert agricola. Sicuti vero tres esse motus in vite dixit CELSVS et ATTICVS apud COLVMELLAM; vnum, quo germinet; alterum, quo floreat; tertium, quo maturescat; ita tribus

p) Loco citato p. 116. b.

q) Lib. IV. c. 21. p. m. 114. a.

tribus foſſionibus, hos motus concitari oportere, Sempronienſes exiſtimant, triplicem inde paſtinationis laborem naſti. Prima ergo, quam peragunt paſtinatio, per diuortium hyemis et veris, menſe plurimum Martio, inſtitui ſolet. Tunc enim ſoluta humo, et dilapſarum niuium aquis, ceu fermento quodam, intumeſcente, et operæ ſuccedunt facilius, neque vitibus, niſi iam germinauerint, cladis quidpiam aut damni inferitur. Atque hoc illi paſtinationis labore, non bidentibus, ſicuti Poſonii et paſſim, ſed bipalis, ſeu latis ligonibus, defunguntur, quippe ex eorum ſententia, maxime idoneis, ad extirpandas inutilium herbarum ac fruticum radices. Ipſas operas antequam adgrediatur paſtinator, ſiue veteri, ſiue nouello, quem vineis deſtinauerat, loco, omnem fruticem, virgulta atque deciduos arborum ramos, ſubmouet et eiicit, ne poſtea operi intentum, morentur, neue repaſtinatum ſolum, veſtigiis, vineam repurgantium, inutiliter proculcetur. Quod vbi rite exſecutus eſt, terram mouere incipit, et vineam a capite, alte pedem vnum, reſodit, rectisque lateribus perpetuam foſſam educit, et poſt tergum motam humum componit, atque in tantum deprimit, donec altitudinis datam menſuram ceperit. Opus eſt autem perito et vigilante paſtinatore, qui inter fodiendum præcipue gramina exſtirpet, manuque collecta in ſcrobiculos, quibus terram eleuauit, componat, ac egeſta humo, vt putreſcant, adobruat, aut prorſus eiiciat. quod quidem vltimum cautiſſimum eſt, quia ſæpe alius etiam obruta reuiuifcunt, et vitium ſemina ita perurunt, vt ſcabra atque torrida efficiant. Partium præterea foſſoris officii eſt, vt ſingulas vires, aniculas in primis, ſollicite ablaqueet, et radículas, quæ circa ipſam terræ ſuperficiem e vite enatæ ſunt, quasque opus oſtendit, ferro decidat, vitemque adeo inuitet ad radices profundius agendas. Cum primis autem ſtudioſe caver, ne bipalio, incautiſſime terræ impacto, vitis crura lædat: ſit enim iſtis eiuſmodi plagis, vt ſuccus, quo vitem ali oportuit, temere diffluat, ipſaque adeo vitis inſperato retorreſcat. Ceterum *mergos*, prudens foſſor ita incuruet, neceſſe eſt, vt illæſo arcu, ſubmerſi longe pedem vnum, alte palmam deprimentur, eademque longitudine erecti ſuper repaſtinatum, emineant; de quo opere copioſius iam antea diximus. Extremo, id operam dat paſtinator, vt ripis vndiquaque erectis, ſulcisque euacuatis, totum ſpatium agri æquali ſuperficie, complanet. Neque enim parum reſert, inquit, COLVMELLA, r) *ſuſpenſiſſimum eſſe paſtinatum, et ſi fieri poſſit, veſtigio quoque inuiolatum, vt mota æqualiter humus, nouelli ſeminis radicibus, quamcunque in partem proreperint, molliter cedat, ne incrementa duritia ſua reuerberet, ſed tenero, velut nutritio ſinu, recipiat, et caeleſtes admittat imbres eoſque alendis ſeminibus diſpenſet, ac ſuis omnibus partibus ad educandam prolem nouam, conſpiret.*

Primus  
menſe  
Martio  
inſtituitur:

Regula  
æcono-  
mica.

### §. XVIII.

Prima hæc paſtinatio fuit. quamprimum vero vitis, rumpis ſtirpium, vnam admodum ſpithamam longis, protuberauerit, ſecundo repaſtinandum eſſe ducunt Sempronienſes. Ita namque continua motione intumeſcens ager, multo validiorem fertilioremque prolem reddit, quippe quæ mollis terræ ſinu recepta, tamquam comodo hoſpicio, latatur, nullaque externa vi impedita, robuſtioribus pampinis, conualeſcit. Præſertim, quando conuoluis vites prærodit,

Alter  
paſtina-  
tionis  
labor, et  
huius ra-  
tiones.

*Et populator edit gemmantia germina bruchus,*

iterum reſoluendam humum eſſe putant noſtrates, vt confirmata celerius vitis, morſibus inimiciſſimarum beſtiarum queat reſiſtere. Interdum differunt repaſtinationem, neque prius, quam pampinata, et maritata vite, ſolum reſoluunt. quod tamen haud alias factitare ſolent, quam humido calî ſtatu, in vineis nouellarum fortiumque ſtirpium plenis. Tali enim conditione, nec turbantur ab animalculis damnificis vites, et fortiter ſatis adoleſcunt, ſtercorato humidoque ſolo. Vltimo denique conuertitur vinea in agro Sempronienſi, menſe circiter Auguſto, quas operas indi-

Vltimus,  
quando  
inſtitui-  
tur.

cuparunt. Hoc vero temporis articulo, relaxata humus, cum fructui, tum materiae, mirifice prodest. Modum subigendi eundem, quem in prioribus fossuris, tenet pastinator, et collectis vbique graminibus, ac vel in summum reiectis, vel egesta humo adobrutis, eadem altitudinis mensura, lineam ducit, totamque repastinati faciem, ne vbi scamna omittantur, coæquat. Cauet præterea vehementer, ne in concatenato stirpium nexu, cum fructu, palmites decutiat; quod plerumque euenit, si aut florentibus, aut maturescentibus vuis, importunus vinitor, vineam intrauerit.

## §. XIX.

*Cura pedanda vineæ.*

Atque hæc sunt apud Sempronienfes pastinationum operæ. Iam, labores reliquos qui eas excipiunt, videamus. Prima sic se offert, pedandæ vineæ cura. Solent autem nostri, pedamenta hæc, siue ridicas, ex vicinis montibus, vbi e quercu, aut pino fiunt, tempestiue adportare, quæ demum, pro vitium diuersitate, diuersa ratione, vitibus adplicari curant. Nempe, breuiiores palmites, breuioribus statuminibus maritari volunt, longioribus contra eos, qui fortius e trunco materiam citant, et futuræ propaginis spem faciunt: omnes vero et singulos, molli et laxo straminis vinculo, ad palum, velut quodam connubio, iungunt. Nouellam vineam modico paxillo melius, quam vehementi palo initi, existimant: quare prima statim pastinatione, vt in oculos operariorum facilius postea incurrant, fossores exigua tenellis vitibus addunt pedamina, quæ infantiam eorum tueantur, atque educunt, producantque, in eam, quanta necessaria est, staturam. Tempus maritandæ vineæ, germine obseruat agricola. Scilicet quam primum teneris ramorum scapis, spectandam se vinea præbuit, pedandam esse putat, at non prius pampinandam, quam lesquipedales fere surculos extrusit.

## §. XX.

*Pampinationis operæ, earumq; modus.*

Enimuero, pampinatio, pedatam excipit vineam, quam cultores tum demum opportune perficiunt, cum teneri adhuc sunt palmites, atque leui tactu digiti, decutiuntur. Nam si penitus induruerint, aut maiori nisu conuulsi, matrem lacerant, aut, si falce deputentur, in caussa sunt, vt pars proxima vulnus accipiat, quod æstiuis caloribus, latius in stirpe viridi, innascens, non parum de trunco enecat. Neque tamen, dum vinea floret, aut ab animalculis infestatur, nostrates opus hoc peragi volunt. Si enim primum illud contingat, magna pars vindemiæ transitu pampinantium, defluit; sin alterum istud, tunc detractis inferioribus foliis, animalcula noxia, pampinis residuis, adrepunt, adeoque umbracula, quæ fructui reliquerat pampinator, maiori, quam prius, maleficio damnoque, abrodunt. Igitur, vt præcaueant vtrumque Sempronienfes, aut prius pampinari sinunt vineas, quam florem ostendant, aut, non nisi vinea, iam flore exuta. Interim, inimicissimum hoc animalculorum genus, perit, saltem non tantopere pampinis, a vinitore relinquendis, in posterum nocet, quantum nociturum ante erat, si vitis pars dimidia, folio nudata fuisset. Ceterum, quandocunque pampinatio hæc fiat, ita rem pampinator disponat oportet, vt ternis quaternisque virgis de iis, quæ plurimum valent, in farmento, relictis, omnes reliquos decerpat, ne in plures fortean diuisus ramos, farmenti succus, fructuariis palmitibus, deficiat. Eos tamen, quos reliquit, ab imo, vsque ad fructum, pampinat, omnesque eius, intra id spatium, enatos nepotes, detrahit, iis tantum relictis, qui superiorem vitis partem inuestiunt, vt fructui sint umbraculo. Atque hæc pampinandi ratio, non tantum in nouellis et præsidariis stirpibus, sed in iis etiam obtinet, qui terræ commissi sunt; hoc tamen discrimine, quod in mergis nulli alii, nisi quos fructuarios vocamus, submittantur; at in aliis stirpibus etiam ii, qui fructu carent, si modo futuræ spem propaginis faciant. Vtrinque autem prudentis est, ac maxime periti vinitoris, æstimare, et dispicere, quibus locis debeat in annum materias submittere, nec orbos tantum detrahare palmites, verum etiam frugiferos, si supra modum se numerus eorum profuderit. Præsertim si euenierit, vt eadem in linea, eodemque latere brachii, plane intra duas gemmas, ex clausura articuli, quædam propullulet materies. quam aut mature abno-

abnodari oportet, aut, ſi alterutrum iam brachium adflixit, id, quod imbecilius eſt, detrahi, vt materies illa, quam Romani *foraneum* appellarunt, (quod inter duos ramos, qua ſe diuidit vitis, enatus, velut fauces obſideat, atque vtrique flagello, duramenti alimenta, praripiat) in locum brachii illius detracti, ſubſtituta, ſpem futurae propaginis retineat.

## §. XXI.

Deinde ſequitur adligator, cuius officium eſt, vt ſingulas vites, prout abundant materia, vel deficiunt, vna, duabus, tribus et pluribus cum virgis, ſingulis adnectat adminiculis. Quod ſi in s) arcubus mergorum, caulem fructiferum, conſpexerit, hunc a trunco ſeparari, et proximo ſingulari palo adplicari; nec minus, vnamquamque ſagittam, qua a fronte depreſſorum ſentium adſurrexit, peculiari pedamento copulari oportet. Vbi tum ſapientis exactoris eſt, nullum pratergredi truncum, quin curate diſpexerit, vtrum conſueto ritu, adligator, omnia, qua debuit, perſequutus ſit, an aliquid prateriuerit. Sape enim, incuria adligantium euenire ſolet, vt vel prauitas ſtatuminum, ſi curua ſunt, et flexum ipſorum vinitor in adliganda materia ſequutus eſt, ad ſimilitudinem ſui vitem configuret; vel racemi, ſtraminibus, quibus hic pro vinculo vtuntur, cum pampinis, innectantur: quod vtrumque noxium eſt, et cauere maxime debet. Nec ſimplici tantum vinculo contenta eſt vinea Sempronienſis, ſed ſæpius, religari ſolet. Quam primum duos pedes longe a primo vinculo, in ſummum furculi proreperunt, iterum molli, et laxo ſtraminis vinculo, adſurgentes ſubſequi conuenit, et diligenter decerpere, quidquid ſuperuacui, in cacumine, aut in brachiis, enatum eſt, vt firmiori materia adoleſcant. Ceterum, curandum omnino eſt, vt tempeſtiue vtriſque ſarmenta vinculis constringantur. Id enim non ſolum ad ſpeciem plurimum refert, ſed ad vbertatem quoque et ad firmitatem perpetuitatemque: ſecus, niſi opportune vitis ligetur, a palo, in terram prona, declinabit, et viribus deſtituta, ſpem futuri anni, penitus deperdet. Neque minori induſtria decutiendum eſt, quidquid iuxta gemmam proceſſit. Procedit autem ſæpe caulis quidam, Romanis *nepos* dictus, qui maxime vitem emaciat, quippe ſuccum, quem mater vtrinque, portione æqua, proli diſpenſare ſolet, ab vno latere, exſugit. Annicula vinea, et, qua traduces præbere nondum poteſt, paxillis, iterato labore, haud adligatur; quin potius, quidquid primum poſt vinculum in ſummum adſurrexit, infringitur, vt craſſitudine conualeſcat potius, quam ſuperuacua longitudine, adtenuetur. Caute tamen derundi debet, quod ſuperuacuum videtur, ne ſarmento, cui adhæret, vis inferatur, et ſtirps penitus exareſcat.

Adliganda vitis ratio, prima et ſecunda.

## §. XXII.

Menſe deinceps *Auguſto*, poſtquam materia adoleuit, atque citra omne caliginis, æſtusque cæleſtis, diſcrimen eſt, vt ruſticis propioris ſpem vindemiæ fecit, tertium vites religari mos eſt. Vbi tum rurfus nepotes illos, et quidquid vel a dura parte, vel a trunco, proceſſerit, ſubmouere oportebit, et cacumina infringere, ne ſuperuacua fronde ſilueſcant. Neque poenitebit prouidum agricolam, quantumcunque operæ vinetis impenderit, ſi adminicula, et palos, ſi qui vento forte præfracti et ſubuerſi ſint, crexerit. Quod genus culturae, tertiam poſt paſtinationem, fieri conſuevit. Quia vero hac maxime tempeſtate, quando repaſtinatum intumuit, vincta, herbis plerumque, laborant; hinc, præterquam quod aliis calamentis ſarmentisque, liberare agrum ſoleant noſtrates, etiam euellendis his adulterinis gramminibus, tempus aliquod impendunt; quod non minus ante, quam poſt tertium vimen obtinet. Exigua vero ſi gramina ſint, et adeo exſilia, vt manum runcantis fugiant, ferramento t) detondentur. Cui negotio, vetuſti ligones, et diuturno uſu emeriti, numquam non idonei eſſe poſſunt. Cauendum hic eſt, ne turbulento hoc labore, incauti agricolæ, matureſcentem fructum, decutiant, et delapſum, mota humo, offundant. Adpropinguante iam vindemia, ſi pluuium cælum, putredinem

Tertio, quando adligari ſoleat.

runcatio et conſura vinearum.

s) Auf den Satteln.

t) Der Weinberg wird geſchoren.

dinem vis minari videatur, vinitor, subinde agrum ingreditur, et folia fructibus impendentia, manu u) decutit, umbrasque compefcit, et superuacuos pampinos, de orbis non minus, quam de fructuariis vitibus, vt sol æstu penetrare queat, vna cum cacuminibus, deturbat, erectis passim sustentaculis, si præfracta humi iaceant.

### §. XXIII.

Vindemiatio-  
nem, qua  
antece-  
dit?

Non minori autem cura fructum demunt, quam vitem colunt, Sempronienfes. Adpropinguante vindemia, nihil temere intermittunt vrbs magistratus, quod intelligant, decerpendis vineis conuenire. Primum, licitor, senatus cosulto, ostiatim ciuibus indicit, vt missis rus singulis operariis, singuli villici, itinera iubeant complanari: hos deinde, exeuntes viginti quatuor viri, qui negotio huic prospiciant, comitantur, et sicubi via forte obsoleuit, aut hinc inde prærupta sit, et vexationem minetur, hanc ita vtrinque coæquandam curant, vt plano vndique meatu, vindemiaturum aurigam, transmittere possit. Interea, prouidus paterfamilias, domi, ea, quæ sub tecto administrantur circa vindemiam, parat. Nec tamen hæc cura, totum se patitur auocari, a reliqua ruris cultura, quin subinde excurrat, maturefcentis fructus conditionem visurus. Mixtim enim, quum diuersæ notæ stirpes ferantur, numquam ad maturitatem simul perueniunt. Multæ humoribus etiam prius, quam maturuerunt, putrescunt. Quæ propterea separari ab aliis apud Sempronienfes solent, et, si defluerint, cleuari, ne, si maturitatem reliquarum expectent, aut plane amittantur, aut mixtæ, melioris vindemiæ fructum, corrumpant. Maturitas vuarum nostris, neque probatur solo casu foliorum, neque sola nigredine vinearum, neque solo colore acinorum perlucido; sed prout quis passulis vites conspicit exuberare, ita tempestiuam esse vindemiam, credit. Euenit hoc, mense potissimum *Octobri*: non tamen vno semper eodemque termino, maturus fructus cogitur. Si flaccescens iam putredine labascit, primis mox diebus mensis demitur: differtur, si viret, et temperata cæli clementia, spem cocturæ melioris faciat. Raro producitur vltra diem *Iuda* et *Simoni* sacrum. Propinguior enim brumæ tempestas, plerumque vvas adurit; nonnumquam, vt decimo et tertio, post millesimum septingentesimum, anno, vidimus, niue penitus offundit.

Eius  
signa.

### §. XXIV.

Vasa accipi-  
enda vinde-  
mia, qua  
et quomodo pa-  
rentur?

Vindemia, vt diximus, probe excocta, de vasis, quibus eam accipiat vinitor, sollicitus est. Atque hæc, pro diuerso vini vsu, diuersa sunt. Alia, amphoras vnam duasve continent, alia plures. Si domestico vsui vinitor aliquid destinare velit, id minoris mensuræ vasculis infundit: maioribus, si quid cupiat diuendere. Neque tamen ea, quæ venduntur, eiusdem sunt magnitudinis: sed nonnulla vrnarum duodecim amplitudine, minora sunt: multa et tredecim superant: vix vlla quindecim vrnas excedunt. Intra hunc, et decimum numerum, nostri mensuram vini vendibilis continent: sed duodenis vrnis, quam plurimi, vendere malunt. Enimvero huiusmodi vasa, tum emptori commoda sunt, tum venditori vtilia. Ille, minori difficultate, quam si grandiora sint, auctit; hic, plures numos aureos accipit: singula namque vasa, singulis numis aureis, dum vina licentur, æstimare solent. At quantacunque dolia sint, vino prius non replentur, quam suffitu subacta, redoleant. Quod antequam fiat, primum aqua feruenti pura, vel vinaceis incocta, intrinsecus perfundi solent, et diligenter claudi, ne ascendens vapor exeat, sed inclusus ex omni parte, vasis foetorem, opprimat, amœnumque musto hospitium, parat. In noua dolia villicus, cum aqua, manipulum salis iniicit, vt connatam, recens lignum, asperitatem, eo facilius desuescere possit. Accedit deinde villica effusioque priori illo liquore, altero deinde, sed frigido, vas eluit atque exsiccat. Tum v) sulphureo illo fumo, dolium intime imbuitur. Linteolum est, ex vtroque latere, sulphure picatum: quo a tabernariis empto, paterfamilias, crustulam longam digitum vnum, latam vngues duos, rescindit, accensamque, in intimo vase, per fauces,

u) Ausblättern.

v) Germanis, Einschlag.

fauces, e ferrea virga, ſuſpēdit, operculato interim dolio, et diligenter obſtructo, ne fumus diffugiat. Ita præparatis vaſis, nonnulli ſtatim muſtum infundunt, multi non prius, quam aliquot dies præterlapſi ſint. Et fatius omnino eſt, pluribus, ante infuſionem, diebus, dolia imbui; nam et ſulphur, hoc ſpatio temporis, dolia penitus perſuadit, et vinum poſtea multo ſuauius eſt, ſi foetorem non referat. Secus,

*Qui bibit ingrato ſædatum ſulphure Bacchum,  
Præparat ad diri ſe Phlegetontis aquam.*

### §. XXV.

Ipfam vindemiationem, ita inſtituunt noſtri, vt pro ſuæ quiſque poſſeſſionis modo, vindemiatores emittat, qui per vineam diſperſi, ſuum ſinguli penſum, perſequantur. Vnus reliquos præcedit, et meliorem, ſicubi occurrit, fructum, ad eſcam præſeruandum, reſcindit: ſequitur alter, et, quod præcedens decerpſit, ſeponit: interdum vnus vtrumque perſicit, ſcilicet, et demit, et ſeponit, quidquid, vel duracinarum, vel ægomatorum, ad eſcam, in truncis, deprehendit. Reliqui, totum agrum, eo, quo ſulci iacent, ordine, occupant. Scilicet, quam late vineum vicinis interiacet, tam late vitores velut concatenati conſiſtunt: qui dextrum vineæ latus occupauit: hunc iuxta alii ad ſiniſtrum vsque contingunt. Quilibet cul-tellum, quo botrum abſcindit, quilibet labellum, quo abciſum excipiat, ante ſe gerit. Vnusquiſque cauet, ne vel pampinis quid inuolutum, prætereat, vel uas manu diſtringat: quo non minima fructus portio, diſperſis acinis, in terram dilabitur, ſi vindemiator incurius ſit, et cæco velut impetu, cum vitibus, agat. Quare, operariis nonnunquam exactor datur, qui labori inuigilet; ſæpe herus ipſe aduolat, et omiſſa colligit, præſertim, ſi vber vindemia ſit, et ſpiſſa fructus cum foliis com-mixtio, cauſiſſimo cuique operario, imponat. Præterea, id dat, prudens villicus, operam, vt acerbæ, a maturis, et putridæ, a recentibus viuis, ſeparentur. Hoc enim niſi fecerit, aut ſerum fructum, cum præcoci, eleuabit, quæ res mox acorem faciet; aut confuſo in vnum, diuerſarum vuarum ſapore, vino, ſpem pretii adimet. Inde, quod tali modo collectum eſt, in trimodium componitur. Interim *ſtaphilophorus* adcurrit, eleuatoque in humores *anophoro*, ad frontem vineæ, vel ad calcem properat. Vbi auriga, curru, orca onuſto exſpectans, uas, primum palo in labro contundit, et tamdiu orcæ ingerit, donec ad ſummum repletam domum deuehere poſſit: cum deuecta domum materia, ante torculariam cellam, ſiſtitur, vbi in ſubſtratum canalem, prono vaſis ore egeritur; vnde recta demanans, ſubiecto rurfus dolio, aut lacu ita in cellario excipitur, vt vinacea in fundo conſideant, muſtum vero lixiuium, aut ſtatim recta in culleos, aut purum, in corbucula tantum deſtuet: vnde rurfus exhaustum, torculator doliis ingerit, et vinacea prælo ſubiicit. Quæ dum calcata ſemel ſunt, explicat, et in cadum, per reticulum, traicit. Quidquid in ſuperficie cribri ſcaporum, et id genus craſſæ et ineptæ materiæ in manibus traiciētis remanſit, amouetur, ne compreſſum ſuccum aſperum et maxime noxium vino adfundat; folliculi vero, traiecti altera iterum vice ſupprimuntur, vt, ſi quid reliqui multi habeant, exprimat in eundem lacum. Cum deſiit ſub prælo deſtuerre, factor viciffim torculari materiam eximit, refricat, et tertio ad ſanguinem vsque comprimit. Hunc deinde ſuccum noſtrates *Nöthinger*, Romani *circumciſtum*, et *circumcidaneum*, nominarunt, teſtibus VARRONE et CICERONE. Expres-ſos acinorum folliculos, multi foras eiiciunt: qui deinceps aut firmus fiunt, aut adſiccati, animalibus, pabula præbent: nonnulli in dolia coniciunt; eoque aqua additur; ea vocatur *lora*, quod *lota acina*, ac pro vino operariis datur hyeme, vt x) VARRONIS verba noſtra faciamus. At vero, labore vindemiationis deſunctus agricola, non modo quidquid vaſorum ad eas operas adhibuit, colligit, emundat, atque ſuo loco reponit; ſed agrum quoque, ſarmentis liberat, vitem haſtilibus ſoluit, et adminicula remouet; non tamen ab omni ſtirpe, ſed ab ea tantum, quæ iam velut

*Labor,  
quo vin-  
demia  
abſolui-  
tur.*

emeritis annorum stipendiis, fortis est, et indurata; reliquæ, inprimis aniculæ et imbecilles, suo singulæ paxillo innixæ et maritatæ, relinquuntur.

### §. XXVI.

Vinum  
passum  
non fa-  
ciunt  
Sempro-  
nienses:

Sed requirat fortassis lector, annon *passum* quoque apud nostros fiat? Id vero supra negauimus, nunc et causam reddamus, qua inducti, abstinent se ab isto vini genere Sempronienfes. Nimirum, vinum isthoc fit, ut inquit PLINIVS y) *ex uuis, diutius sole adustis*, hoc est, fructu optime subacto. *Passas* inde, seu *passulas*, Latini dixerunt; nam a *patientia*, quod vult PLINIVS, z) *nomen acinis datur passis*. Græci vocarunt Πατηθεϊσας, quasi *conculcatas*, non quidem, quod conculcentur, sed ob resiccationem, calcatis similes videantur. Nostri *Mangel* nuncuparunt, forte a *Mangel*, id est, *inopia*, quod succi sint inopes, et humore egeant. Quæ nomenclatio, etsi dubia est, et incerta; illud tamen certissimum, huiusmodi vuarum genus hic numquam a ceteris separatim colligi, ut *passum* exinde fiat. Talis enim separatio, vindemiæ maxime noxia est, et periculosa. Primum generositatem: deinde pretium vino subtrahit. Quidquid in vino huiate siue gloriæ est, siue virtutis, id in solidum *passulis* adscribi debet. Quo minus vinea, uis *passis*, maturuit; hoc viliori succo defluit. Quæ vero *passulæ*, si penitus ab aliis uuis separantur, vindemiam relinquunt inutilem, et raro impensis respondentem. Itaque, tantum abest, ut incola Sempronienfis *passulas* seorsum colligat, ut potius, quanta potest multitudine, cum reliquis commisceat. Quo pacto, nec quod pretiosius vini genus est, a natura degenerat, et illud, quod ignobilius, ab hoc, quod præstantius est, vim accipit, æquali fere pretio æstimandam. Scilicet alterum alteri, sua mutuo commoda, præstat: illud ubertate, hoc bonitate, magis temperatur. Quo fit, ut communia sæpe vina Sempronienfium, vix *passo*, virtute et iucunditate, cedant, et plerumque celerius, quam *passum* diuendantur. Etenim, maior hæc, communis vini, vasorum, mensura, mercantibus aptior est, quam minusculi illi cullei, quibus *passum* suevit adseruari. Nec temere quis vini commercium cum eo vinitore instituerit, quem forte subaudierat, vel oblectamenti tantum causa, aliquid vnquam *passi* confecisse. Nullus ergo ciuium, ita in vindemiam suam, et quos inde possit sperare, prouentus, iniurius est, ut suspicionem sibi hanc colligat, infamia quacunque alia, longe difficilius eluendam. Si quis tamen *passi* desiderio teneatur, uas *passas* mox a vicinis, mox a peregrinis, coemit: has, acinis viciosis eiectis, in dolium, vel cadum, coniecit; eodem mustum quam optimum, sic, ut grana submersa sint, addit; quod vbi conbiberint uas, prælo subiicit, *passum*que exiguis vasculis tollit.

quibus de  
caussis.

### §. XXVII.

Cellaria,  
qualia  
amet vi-  
num  
Sempro-  
niense:

Sed vbi mustum doliis condiderunt Sempronienfes, cellis idem custodiunt, nec omnibus promiscue, sed tantummodo iis, quas iam longa vini hospitantis experientia, adprobavit. Quemadmodum nec frigida perpetuo, nec continue calida loca vinum hoc amat: ita vicissitudine quadam delectatur. Nimirum, quæ tepent hyeme, et æstate frigent; eas putant cellas nostrates inprimis vini perennitati conuenire. Siccis etiam, quam humidis, deponere malunt; præsertim, si tetrum loca odorem spirant. Humor enim cellæ, foetore commistus, tum vino veteri nocet, tum maxime musto, quando efferuescit. Etenim siue apertis vasis fermentetur, siue operculatis, vtraque ratione aer irruit; ac si grauer oleat, vinum plerumque corrumpit. Ceterum temperato celo infusum mustum, illico turgit; tardius, si tempestas frigeat. Vbi tali vini conditione multi ciues dolia aperiunt, ut liberius ebullitura connatam asperitatem exhalent; nonnulli vel sibilans tantum occludunt, ne cum vapore simul et spiritus vini exhalet. Quo vero mitius efferuescit; hoc maiorem spem generositatis facit: si enim ieiuni sit succi, fæces diu non sustinet; sed celeri segregatione, velut fons, aream, in fundum transmittit. Contra, quo generosius vinum est, eo maiori lucta a fæcibus digeritur. Quippe spissus, et prægnans liquor, crassis illis

musti  
fermen-  
tatio.

excre-

y) Hist. Mundi Lib. XIV. c. IX. p. 647.

z) Lib. XIV. c. I. p. 628.

excrementis non facile cedit ; ſed facta velut mutua pugna , fæces , ima petentes , identidem retundit. Quo fit , vt , quo nobilius vinum eſt , eo diutius fermentet. præterquam enim , quod omnia promiſcue vina gemmante , florenteque vinea , ex qua dempra ſunt , referueſcant : generoſus fructus , toto fere anno turbari ſolet , neque prius depurgari , quam altera vindemia collecta fuerit.

## §. XXVIII.

Nec minus perenne vinum hoc eſſe , quam generoſum eſt , experientia didici-  
mus. Et enim , ſiue domi adſeruetur , ſiue alioſum , perueniat , toto decennio ,  
ab innata virtute , haud deſciſcit. Quod cum aliis innotuit , tum præcipue *Sileſiis* ,  
qui in primis vini huius quaſtum faciunt. Hoſpes ſit in *Sileſia* , neceſſe eſt , qui  
ignoret , vinum noſtras , decennali vetuſtius , ibi nonnumquam verum exponi.  
Multi certe diucius idem durare illic obſeruarunt , quam quidem nobis certo definire  
licet. Sed quemadmodum tempeſtas vindemiam Sempronii ſæpe variat : ita non  
eadem quouis anno vini eſt perennitas. Alter annus , alteri , plerumque fructus  
durabilitate , antecedit. At nulli vino tanta durandi vis ineſt , quin nonnumquam  
degeneret , niſi vel lentefcenti , vel aceſcenti iam , cellarius ſuccurrat. Atque in  
huiusmodi caſu noſtratibus nihil eſt vſitatius , quam permotis , ſemel atque iterum  
doliis , vinum , ſi generoſum eſt , ab imis fæcibus alleuare , vt latentem in fundo  
vim quaſi , et ſpiritum , recipiat. Si quæ vina ſunt forte duriora , quod agri vitio ,  
aut tempeſtate ſit factum , turbari eadem non permittunt , ſed in vaſa melioris vini ,  
ſi vacua ſunt , transfundunt , vt commiſta fæcibus liquoris generoſioris , virtutem  
etiam meliorem induant. Quæ vero miſcendi , et transfundendi ratio , vt commu-  
ne eſt apud nos vini medicamentum ; ita modus id vſurpandi diuerſus. Alii de-  
munt , alii nonnihil addunt ; prout ſinguli quidpiam vini condituris , et firmitati  
aptum , aut ineptum fore didicerunt. Quorum ritus ſicut explorare omnes difficile  
eſt : ita ſingulos percenſere non adinet.

*Vini  
Sempro-  
nienſis  
durabi-  
litas :*

*et contra  
vitiū  
remedia.*

## §. XXIX.

Alioquin Sempronienſes , non tam potus ſui cauſſa ; bibunt enim ſubinde exſi-  
lius ; quam prouentus gratia , vino ſtudent. Cum enim pars ciuium maxima , ex  
cultu vineatico , non modo vitam toleret , ſed reditus etiam omnes accipiat , facile  
erit ad colligendum , ita quemlibet vinum colligere , vt prouentum inde habere poſ-  
ſit quam copioſiſſimum , recipiatque cum fœnore , quidquid ſumtuum in vitem im-  
pendit. Neque , ſi vini probata ſit generoſitas , quemquam ſpes facile deceperit ,  
quin iuſto plerumque pretio reſarcire expenſas poſſit. Aduolant quot annis , qui vini  
huius quaſtum faciunt. In primis cum *Sileſiis* , vt dixi , commercium noſtratibus in-  
tercedit. Hi plurima vina , pauca *Germani* , nonnulla *Poloni* , mercari ſolent. Ea  
vero *Auguſti Imperatoris* in urbem hanc eſt clementia , vt confirmato privilegio anti-  
quo , indulſerit , quando , et quocumque velint , vini mercaturam inſtituere. Quæ  
priuilegia , ſicut diuulgata iam vbique ſunt , et longe lateque fama percrebuerunt ; ita  
neceſſe non eſt , vt ſuperuacua hic copiam illorum faciamus.

*Merca-  
tus vini  
Sempro-  
nienſis.*

## §. XXX.

Illud denique in ſingulorem ciuium arbitrio poſitum eſt , domine vinum velint ,  
an foras , diuendere. Neque vſo tempore libertas hæc definitur , quin quotidie qui-  
libet hederam ſuspendere audeat , ſi publicum illud cauponæ ius excipias , quod ma-  
giſtratus , augendis vrbs reditibus , adſeruauit. Nimirum , quatuor anni partibus ,  
*Quatembria* vocant , cellarium publicum , ſenatus conſulto , aperiri ſolet , et vinum ,  
quod vendi foras nequit , per octiduum ſingulis vicibus , educi. Interea temporis ,  
ciues , ſuas quiſque hederas , retrahunt , tempeſtiue iterum expandendas. Tameſi  
vero tanta ſinguli ciues polleant libertate ; nulli tamen permiſſum eſt , vt aliunde ,  
quam ex agro Sempronienſi , vinum in urbem aduehat. Et licet ſæpe ciuis alibi  
etiam propria vineta poſſideat ; non tamen facilius , ius inferendi fructum impetraue-  
rit , quam ſi fidem dederit , ſe nulla lucri lubidine , ſed ſolo domeſtici uſus deſiderio ,

*Eius in-  
tra vr-  
bem con-  
ſumtio :*

privilegia eo pertinentia.

quæ possideat, adlaturum esse. Viris nobilibus, qui urbem incolunt, aut negotii causa, intra mœnia civitatis morantur, publica regni comitia, permiscere, peregrina, quæ velint, inuehi curare; si domestico potui ea destinare velint, et Consuli civitatis prius, quam inuehant, vinum adesse significant. Edictum Clementissimi Imperatoris ita habet: *Cum Civitas Sempronienſis in territorio suo procreatorum vinorum educillationem, aut vasatim fiendam diuenditionem semper admittit; ita a modo in posterum semper tenebitur: vinorum extra territorium Civitatis procreatorum, iuxta antiquam et continuam eiusdem obseruationem, ex quo sola eadem civitas, in solo præcipue vino, eiusque distractione, suam haberet sustentationem, ex peculiari etiam sub his motibus contestata fidelitatis consideratione, vasatim fiendam diuenditionem, et educillationem admittere non erit obligata; nihilominus horum quoque extraneorum vinorum pro potu mensali nobilium, inductionem, prævia consueta requisitione, in posterum quoque admittere tenebitur, neque currus eorundem cum tali vino aduentantes, ultra tempus insinuationis, apud consulem fienda, conueniens ad portas suburbii detinebit.* Quare, si quæstum vini quis peregrini facere velit, seuerius in eiusmodi hominem animaduertitur.

### MEMBRUM III.

## PHYSICO-MEDICVM.

De

### Natura, Principiis et Vſu Vini Sempronienſis.

#### Synopsis.

*Dicendi ordo: Vinum natiuum non datur; sed fermentationis beneficio e musto factum: musti partes constitutiue: fermentatio quomodo fiat? Vini genesis. §. I.*

*Vini, quam ex fermentatione accepit, indoles: quibus rebus a musto differat? Chemicis experimentis docetur: quid conferuet vinum? cur et quomodo degeneret. §. II.*

*Vini Sempronienſis analysis, dulcis et aurei coloris: rubelli subacidi et adstringentis. §. III.*

*Tria vini requisita: coloris causa: Vini Sempronienſis color aureus et rubellus: eius causa: Odor vini nostratis suauissimi-*

*mus, unde oriatur: Sapor suauissimus: eius causa: cur forte sit vinum Sempronienſe? §. IV.*

*Vtilitates vini Sempronienſis: nutritio et exhilaratio. §. V.*

*Quomodo id accipiendum? Morbi ex abusu vini Sempronienſis, qui oriuntur? §. VI.*

*Quibus temperamentis maxime proſit? quomodo Cholericis: Sanguineis: Melancholicis: Phlegmaticis: qua aetate bibendum? §. VII.*

*Medica vini Sempronienſis efficacia: morborum, aduersus quos valeat, index: Tractationis epilogus. §. VIII.*

#### §. I.

*Dicendi ordo:*

**S**uperest, vt **PHYSICAM** vini Sempronienſis contemplationem, exhibeamus. Nescio vero, an ea commodius institui possit, quam, si primo statim loco, in *Genesis* vini, accuratius paullo indagauerimus. qua, pro ratione instituti, excussa, procliuè erit, de eius natura atque indole, pronunciare, designareque commoda partim, partim incommoda, quæ ex eius vſu, vel abusu, potores manere consueuerunt. Quia vero a) *vinum natiuum non datur*, quippe quod non a natura, sed

*Vinum natiuum non datur;*

a) Nihil heic moror rusticos scriptores, qui *vinum* id quoque adpellant, quod in vite est, et vſis continetur, atque ideo *pendens* vocant, videſis **M. CA-**

**TONEM** de Re Rustica Cap. **CXLVII.** et **CXLVIII.** opponuntque ei, quod est in dolis: quia laxius illi, strictus nos, vocabulum vini, accipimus.

ſed a fermentatione vinofa, e muſto, producitur; vini *genesis*, iuxta et *analysis*, nequit obſeruari, niſi et muſti, et fermentationis indoles, examinetur accuratius. Nempe, conſtat muſtum, Sale, Pinguedine, Terra et Aqua, quorum vnio, et inde natum fluidum, lubricum et mucosum euadit, tenuius id quidem, ſi Sal, ſpiſſius contra, ſi terra adſit copioſior. Et ſalem quidem acidum ineſſe muſto, partes eius, quas *conſtitutiuaſ* dicunt, egregie docent. Neque enim pinguedo cum aqua inſit conubium, niſi Sal acceſſerit, quem in vuis adhuc immaturis, præſto eſſe, ſuccus, guſtu acidus, indicio eſt. Pinguedinem vero, facta ſenſim ſucci huius acidi, in dulcedinem, conuerſio, manifeſte, prodit, vtpote, quæ a pinguedine, ſalina ſpicula irretiente et obtundente oritur: quem quidem effectum pinguedinis eſſe, liquoris, ex immaturis vuis expreſſi, deſtillatio, euincit, quippe qui minus exhibet pinguedinis oleoſæ, quam ſuccus vuarum maturiorum: id vero ita fieri poſſe, confirmant, acidiffimi quique mineralium ſpiritus, oleoſo ardente ſpiritu obtuſi et dulces facti. Porro, Aquam muſto ineſſe, fluidus eius habitus, Terram autem copioſæ et ad fundum ſecedentes feces limoſæ, teſtantur. Atque ob *conſtitutiuaſ* hæc partes, et inde natam lubricitatem, muſtum fermentationis capax eſt atque patiens, et quidem, propter teneriorem ſuam pinguedinem, fermentationis, quam diximus, *vinofæ*: in cuius inſtinctu motu, aquea muſti pars, reliquas commouet, collidit, et e nexu quodammodo diuellit, e quarum poſtea adritu, nouum concreſcit atque enaſcitur *mixtum*, quod *vinum* dicere moris eſt. Sub ipſo autem fermentationis motu, dirimitur et excutitur quadamtenus, pingue illud ſulphureum principium, e nexu ſalino aqueo et terreo, vt liquor magis acido-auſteri ſaporis adpareat, donec ex adritu, ſalina acida et ſulphurea partis natus ſpiritus ardens, ſali iunctus, acidum hoc inſringat, et terram, auſteri ſaporis fomitem, excludat, ne cum ſale concreſcere denuo poſſit, ſed ſub ſecum forma, irretitis vna ſalino ſulphureis craſſioribus partibus tartarum conſtituentibus, ad fundum ſecedat detrudaturque. Tres iſtos effectus, a ſpiritu ardente prouenire, docet eius, fermentanti vino, adfuſio; tunc enim ſolito citius obtunditur et miteſcit: ſpiritus autem minerales acidiffimi, qui lubentiſſime cum terreis concreſcunt, ſpiritu ardente, dulces redditi, contra ſuum morem, terram haud adgrediuntur. Tartarei denique ſalis præcipitatio, euidens fit, cum ſpiritus ardens, ſalium *criftalliſationem* promoueat, et ſolutionibus ſalium ſaturatis, adfuſus, partem ſalis ad fundum promptiſſime detrudat.

## §. II.

Hæc ergo eſt, quam breuiter explicuimus, Vini e muſto *genesis*, quod fermentationis beneficio, ſic enatum, aliam longe induit faciem. Enim vero, cum antea muſtum, dulce, lubricum, glutinoſum et turbidum fuerit; Vinum poſtea ſalfedinem, dilutum ſaporem et ad tactum, diaphaneitatem et fluiditatem indipiſcitur. Exhibet præterea *analyſi chimica* ſubiectum, noui quidpiam, quod a muſto nequaquam obtinueris; nimirum, præter ſalem acidum, pinguedinem, terram et aquam, ex quibus muſtum conſtare diximus, ſpiritum volatilem ardentem oleoſo ſalinum, ex ſalino ſulphureis, ſiue oleoſis muſti partibus, natum *mixtum*, quod partibus ſuis, conſtitutiuis, a ſale et pinguedine reliqua, non niſi tenuitate, et hinc nata volatilitate, differt. Vel, vt explicatius dicam: Cum muſtum deſtillatum, nullum ardentem ſpiritum, ſed aquam, pinguedinem *empyreumaticam* copioſiorem exhibeat; fermentatum, ſeu vinum, largiorem ſpiritum volatilem ardentem, fermentatione genitum, parciorem contra pinguedinem, vtpote, quæ ſub motu hoc partim perit, partim in ſpiritum ardentem conuerſa, partim fecibus immixta eſt, præbet, adeoque, colore, odore et ſapore, de quibus infra, a muſto diſcriminatur. Ceterum ſpiritum illum volatilem ardentem oleoſo ſalinum, ex ſale acido, et oleoſa ſeu ſulphurea parte, conſtare, plura ſunt, quæ euincunt. Enim vero, floribus adfuſus, colorem eorundem mutat; cum ſale alcalino vero digeſtus, acidum ſuum amittit, atque ſalem medium *criftallinum*, generat: porro, aqua modica accedente, expansione ſua, flammam auget et promouet: vt doliorum ſulphuroſam illam fumigationem, taceam, qui vinum, ad vitium inclinans, ab eo reuocari ſolet, conſeruarique. Vnde facile eſt colligere, ſpirituoſam hanc vini partem, cauſſam eſſe durationis, conſeruationis atque *analeptica* vini efficaciam, quæ ſi vel euaporauerit, vel ſeceſſerit ad fundum, ſal

Vini, quam ex fermentatione accepit, indoles: quibus rebus a muſto differat, chemicis experimentis docetur.

Quid conſeruet vinum? cur acidum

et quomodo degeneret?

acidum exferit se denuo, atque inualefcens, vinum in acetum transformat, subinde eo acrius, quo antea erat dulcius fuaviusque; donec sale illo debilitato, aceti quoque naturam exuat, ac penitus a priore indole degeneret. Est enim triplex fermentationis species, *vinosa*, quæ e musto vinum; *acetosa*, quæ acetum e vino facit; ac denique, *urinosæ*, quæ intime vnitas mixti partes, resoluit penitus. Igitur, vt vinum, in statu *vinosa*, quam diximus, *fermentationis*, conseruetur, *spirituosa* huius ac *volatilis* partis præsentia, requiritur, quæ quidem, quam sit firmiter atque intime in vino vnita, inde discas, quod auulsa semel, licet liquori, a quo separata fuit, adfundatur denuo, saporem nihilominus pristinum inducere eidem nullatenus possit.

### §. III.

Vini Sempronienſis analyſis, dulcis et aurei coloris:

Iam, his delibatis, vini Sempronienſis *analyſin* videamus. Nimirum optimum illud et generoſiſſimum, quod anno MDCCXX. natum erat, dulce atque aurei coloris, parum dedit *Spiritus vini*: plus *olei empyreumatici*; multum *capitis mortui carboniformis*; quod igne *calcinatum*, *ſalem tartari* perpaucum exhibuit. Et in promptu ſane ratio eſt, quoniam, quo dulcius vinum, eo musto conformius, necdum quippe *ſulphurea* vini parte liberata, hinc non potuit non parciorem *vini ſpiritum* fundere, cuius tamen defectum *oleo empyreumatico*, egregie compensauit. Vnde etiam cauſſa repetenda eſt, copioſioris *capitis mortui*, modici contra *Salis tartarei*. Altera vero eiusdem vini ſpecies, quam ſub examen vocauimus, rubella fuit, ſaporis *ſubacidi adſtringentis*, quæ plus quidem *ſpiritus vini*, minus contra *olei empyreumatici*; multum *capitis mortui*, præbuit, quod luculentiore *calcinatum igne*, *ſalem tartari* dedit copioſiorem. Maniſte iterum argumento, partem vini *ſulphuream* liberioſiorem hic exſtitiſſe, adeoque non modo *ſubacidum ſaporem* vino iſti conciliaſſe, ſed *ſpiritus* quoque vini longe plus, minus contra dediſſe *olei empyreumatici*, quam dulce illud. Id quod heic prænotari ſufficiat. b)

rubelli ſubacidi adſtringentis.

### §. IV.

Tria vini re-quiſita: coloris cauſſæ:

Tria vulgo, circa vinum requiri ſolent, *Color* puta, *Odor* atque *Sapor*. Et coloris quidem, ſicuti in omni vino, ita et in Sempronienſi, duplex cauſſa eſt, partim, quæ in *refractione* luminis conſiſtit, atque *formalis* dici meruit; partim, quæ in partium, mixtum conſtituentium, præſentia, fundatur, quam ideo *materialem* adpellant. Atque illa quidem hanc ſequitur. Enim vero, ſi terrea pars nondum, vti decuit, ſeparata eſt, a ceteris vini partibus, turbidum id eſſe oportebit et adſpectu luridum: ſi multum aquei humoris adſit, vino iam defecato, album erit, ſaltem pallidum; *aurei* contra *coloris*, ſi multum *oleoſo-ſulphurei principii* habuerit admixtum, idque eo magis transparentis, quò perfectior *vinosa fermentationis* ſtatus fuerit. Ex his c) reliquæ colorum rationes facile cognoſci poterunt, vt opus non ſit pluribus eas conſectari. Noſtras Sempronienſe, natura, duorum generum colore ſuperbit, *aureo* alterum, alterum *rubicundo*. Vti autem rubeum hoc paucis admodum, et nonniſi domeſtico potui, fieri conſueuit; ita illud aurei coloris, communi, in vniuerſum, vini Sempronienſis nomine, venit. Sunt autem varii coloris iſtius gradus, quo enim vinum præſtantius et liberius eſt a fecibus, eo exquisitiore colore ſe commendat; contra quo vilius, eo turpiorem præ ſe fert ſpeciem. Cauſſas laudabilis illius coloris, a ſubtiliſſimo *mercuriali ſulphureo* principio repetunt nonnulli; ſed cum principii *mercurialis*, nondum clara et euidens habeatur notio, tutius fortean, d) *oleoſo-ſulphureum*, dixit

Vini Sempronienſis color aureus et rubellus: eius cauſſæ:

b) *Vniuerſalem* tantum, vini Sempronienſis, *analyſin*, inſtituere placuit, ne errori locus relinqueretur. quia enim ſingulorum annorum, quin etiam vnus eiusdemque, fructus, pro ſoli diuerſitate, nimio opere variare conſueuerunt, fruſtraneus fuerit labor, ni definienda partium vini *conſtitutiua-rum* menſura et quantitate. Suffice-

rit ergo, partem, in noſtrate iſto, nobiliſſimam, ceteris præualere, indeque virtutes egregias indeptum eſſe.

c) Vide PHIL. IACOBVM SACHS, *Ampelographiæ* Lib. II. Sect. VI. Memb. II. cap. Art. I. §. 2. p. 387.

d) Videatur BECHERVS, ubi agit de *Secundo Terreo mixtorum* in mundo principio.

dixeris, cui odorem quoque fragrantiffimum, quo pollet, iure describimus. Reue-  
 ra enim, *vegetabilia* omnia et *mixta*, vti ſunt, aromata, flores, herbæ, fructus et  
 ſucci, atque id genus plura, odorem, quem fundunt, ex eodem principio trahunt,  
 qui tamen, pro ſoli et cæli, ac vegetabilium diuerſitate, variat, atque tot ſubinde  
 ſpecies induit, quot corporibus inefſe deprehenditur. Vinum ergo Sempronienſe,  
 odoris eſt ſuauiſſimi, de quo e) amicorum nonnemo: *Omnia, inquit, qua melior*  
*olſactus mortalium adprobauit, odorum genera, in hoc uno concertare videntur fructu.*  
*Atque hæc mutua citrei in primis cum tureo odore pugna, ſæpe humanarum narium adpro-*  
*bationem in dubium trahit, huic ne, an alii odori magis, rariffimam eius ſuauiſſimam*  
*ad-*  
*ſimilet. Quo magis virtutem eius ponderaueris; hoc auidius ad amplectendam iucundita-*  
*tem ipſius trahi videberis: et quo maiori deſideria te præſtantia eius ceperit; hoc maiori ſtu-*  
*pore ſenſus tibi adſecerit; vt mirari quidem odorem eius poſſis, ſed non ſatis concipere, in*  
*quo præſertim conſiſtat. Hæc ille, neque extra veri fidem. Equidem, poculo, lento*  
 hauſtu exinanito, atque admoto naribus, odorem ei proxime accedentem obſeruauit,  
 quem contuſa aromatum fragrantiffima, naribus adflare ſolent, vt dubium mihi  
 fuerit, odore ne olfactus, an guſtus ſapore magis adfectus fuerit. De quo iterum  
 meus ille: *Idem, inquit, dictum velim, de ſapidiſſimo vini Sempronienſis guſtu. Tanta*  
*eſt huius teneritudo, tanta ſubtilitas, tanta ſuauiſſima, vt nulla mente ſatis concipi, nullis*  
*verbis exprimi, nulla lingua enarrari, nulla manu tradi et deſcribi poſſit. Sermo vero*  
 ei eſt, f) non de immaturæ ac degenerantis vindemiæ fructu, neque de corrupto  
 craſſoque palato; ſed de eo, qui et bene maturuit, et guſtum nactus eſt ſubactum,  
 neque obtuſum. Vnde vero tanta ſapori ſuauiſſima? ſunt, qui eum a ſalis cum ſul-  
 phure, et elementis aliis, temperatione, deriuent. Nobis, aliorum pace, ea de re  
 ita videtur, oriri quidem eum, ex vario vini partium, quas vocant, *conſtitutiua-*  
*rum*, habitu, ita tamen, vt, vbi ſal præualet *acidum*, vinum quoque acido fiat ſa-  
 pore; vbi vero *acido ſali* iuncta fuerit terra, auſterum et *adſtringens* euadat; dulce  
 contra ac *ſuaue*, ſi copia pinguis, ſeu *oleoſo-ſulphureo* principii, partes *ſalinas* obtu-  
 derit, et partem illam terream in feces deiecerit. Proinde, ipſum iſtud eſſe exiſti-  
 mo, quod vino Sempronienſi, mirificum illum ſaporem, conciliat. Quin et forti-  
 tudo vini noſtratis ad eandem cauſſam referenda eſt, in primis ſi motus fermenta-  
 tionis fuerit placidus et tardus: quo enim is ſuccedit tranquillius, eo dulciora for-  
 tioraque vina euadunt; pingue enim illud, quod ſæpe memorauimus, principium,  
 lentius liberatur, neque facile exhalat, verum irretitum, quaſi quodammodo, ſa-  
 linas partes infringit, vinumque dulce atque forte conſeruat; quod contra eſt, ſi  
 motus fermentationis vehemens ſit et cum impetu coniunctus.

Odor  
vini no-  
ſtratis  
ſuauiſſi-  
mus unde  
oriatur?

Sapor  
pane in-  
effabilis.

Eius  
cauſſa:

cur forte  
ſit vinū  
Sempro-  
nienſe.

## §. V.

Nondum ſufficit, Coſ illud vini expromiſſe, medicorum regulam ſequamur  
 oportet, qui ſubinde, quos ſibi habent obnoxios, monere ſolent: **NOSCE**, *quid*  
*bibas?* qua illi quidem monitione, non ad odorem, colorem et ſaporem tantum, ſed  
 ad nomen quoque, et efficaciam vini reſpicere mihi videntur. De nomine vini no-  
 ſtratis nihil iam ſumus ſolliciti; de efficacia eius dicendum erit nonnihil. Non eſt  
 vero animus ſingula conſectari ſigillarim, quæ medicorum filii, de virtute vini ſalu-  
 tari, præcipiunt; verum illa tantum promemus, quæ ſe offerent, vinum Sempro-  
 nienſe examinantibus. Nimirum, nequaquam ſatis eſt, colore, odore ac ſapore ad  
 bibendum vinum allici, plurimum potoris intereſt, vt quid a vino, quo vitur, ſeu  
 ſperare poſſit, ſeu metuere, perſpectum habeat atque cognitum. Multæ autem et  
 variæ vtilitatis eſt, Sempronienſe vinum, nam et valetudinariis prodeſt, et hos,  
 qui

Vtilita-  
tes vini  
Sempro-  
nienſis.

Nutri-  
tio:

Bbb

e) Cl. IOHANNES MATOLAY, in com-  
 mentatione epistolica, de vino Sempro-  
 nienſi, ad me exarata.

f) Addo, ſaporem intelligi debere, *ger-  
 manum* illum, quem in natali ſolo  
 habet: nam ſi eandem eius gratiam  
 apud externos haud obtineat, vectorum  
 et mercatorum fraus καπηλική in cauſ-

ſa eſt. Vini certe indoles ita eſt com-  
 parata, vt, ſi vel ad transmarina loca  
 deportetur caſte ac intemerate, a nati-  
 uo ſapore non modo non deſciſcat, ſed  
 videatur etiam ſuauius quodammodo  
 ſapere, id quod Anglos illos vſus do-  
 cuit, qui faciundi periculi cauſſa, vinum  
 noſtras, patriæ ſuæ inuexerant anno 1702.

qui sani sunt ac bene habentes, partim exhilarat, partim nutrit. Non equidem sum nescius, vix adeo exfile vinum dari, vel mente concipi posse, quod non aliquid huius efficacitatis habebat: Sempronienſe tamen ſuo quodam iure, palmam hanc ſibi vindicat, vt quidquid de virtute, vini etiam praestantiffimi, dici poſſit, id in noſtro iſto cumulatiſſime deprehendatur. Ad nutritionem ergo, quod adtinet, bifariam ei vinum noſtras inſeruit, primum, quando calorem digeſtioni ſuppeditat; deinde, dum eorum, quorum digeſtionem iuuat, diſtributioni, omniumque ſuo loco ſegregationi et ſeparationi, ſuccurrit. Quia enim calore pollet natiuo, quem a praecipuo, quo conſtat, ſulphureo elemento indeptum eſt, non poteſt non producendae ſulphureae ſanguinis parti, maxime eſſe idoneum; qui demum, adaucto motu, purificatur et adtenuatur: enim vero circulo ſanguinis concitatiore exiſtente, idem ad ea loca, quae ſunt ſecretioni deſtinata, frequentius adpellitur, adeoque partes heterogeneae, opportune deponuntur et excernuntur, qua ratione, pro temperamenti diuerſitate, hiſ quidem robur, illis pinguedo, vtriſque forma valetudoque, conciliatur. Neque minor ei ad exhilarandum vis ineſt, vt poſſis omnino diuini illius effati veritatem huc accommodare, quod DAVID g) prodidit: *Vinum exhilarat hominum animos.* Et quod Poeta cecinit: h)

*Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,  
Cura fugit multo, diluiturque mero.*

Et TIBULLVS. i)

*Ille liquor docuit voces inflectere cantu,  
Mouit et ad certos nescia membra modos.  
Bacchus et agricolae magno confecta labore,  
Pectora, tristitia dissoluenda dedit.  
Bacchus et adflictus requiem mortalibus adfert,  
Crura licet dura compede pulsa sonent.*

Hinc OVIDIUS, venam ſibi aruiſſe ſcribit, quod apud Geras exſul, vino carere cogebatur:

*Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,  
Qui pius in nobis esse solebat, abest.*

Vt ſint, qui credant, SILESIOS, ea re ad verſificandum naſci, fierique idoneos, quod non tam caſtali fonte, quam vino perluantur Sempronienſi. Certe,

*Vno ex cymbiolo hoc Sempronienſi,  
Multi verſificarunt Sileſitae.*

Adde SENECAE k) locum: *Eluit, inquit, vinum, curas, et ab imo animum mouet, et vt morbis quibusdam, ita triftitia medetur: Liberque, non ob licentiam linguae, dictus eſt inuentor vini, ſed quia liberat, ſeruitio curarum animum, et aſſerit, vegetque et audaciorem in omnes conatus facit.*

## §. VI.

Quomodo id accipien-  
dum?

Iſta vero de temperato vini noſtratiſ vſu accipi velim: nam vbi in abuſum vertitur, non modo non prodeſt, ſed vehementiſſime etiam nocet. Hinc eodem loco SENECA: *Vt libertatiſ, inquit, ita vini, ſalubriſ moderatio eſt.* Enim vero, quidquid

g) Pfalm. CIV. 13.

h) OVIDIUS de A. A. I, 238.

i) Lib. I. Eleg. VIII. 37. ſeqq.

k) De Tranquillitate animi, cap. XXV. extremo.

quid morborum ſiue mentem inſidere poteſt, ſiue corpus occupare, ex vini id abuſu, maxime Sempronienſis, deriuari poteſt. *Experientia*, inquit noſter, *diſcimus*, *Morbi ex abuſu vini Sempronienſis, qui oriuntur?* *quam varia ciues intemperantes excrucientur aegritudine.* Hinc dolores capitis; hinc corporis infirmitates; cerebri conuulſiones; vocis obtuſiones; pectoris oppreſſiones; ſpirationis et reſpirationis difficultates; aſthma et phthiſis; lienis tumores; humores ſanguinis putridi; manuum tremores; pedum neruorumque aliorum contractiones, puta, chiragra, gonagra, podagra. Taceo forma amiſſionem, iuuentutis perditionem, maturam ſenectæ adpropinquationem. Nempe l)

*Vino forma perit, vino corrumpitur etas.*

*Vino ſepe ſuum neſcit amica virum.*

Neque fieri poteſt aliter, vbi totius naturæ compages vino, vel eluitur, vel quaſi flammis quibusdam exurit. Et eſſet proſecto tolerabilis calamitas iſta, quam ita ſibi accelerant ebrioli noſtrates, niſi mentes quoque eorum in omne vitium flexiles redderentur pronæque. Ecquid enim illic ſalubritatis ſiue in animo, ſiue in corpore, poſſit eſſe reſiduum, vbi inchoatam a paruis calicibus commellationem, amphoris et capacioribus cupis terminare moris eſt? Scytharum, immo Græcorum potius ritu, quos mirari ſe aiebat *Anachariſis*, quod initio conuiuii minoribus, cum vero ſaturati eſſent, maioribus poculis vterentur, qua de re ſcribere ſuperſedeo. Dices, hoc vero, ſi ita eſt, cicutam potius biberim, quam Sempronienſe vinum, quum iſtud lentam, illa mortem acceleret citam præſentemque. Verum non eſt opus in eam abire ſententiam, ſi adſit, temperantia magiſtra, quæ doceat, m) *non quantum velis, ſed quantum debeas ſumere.* Tunc enim *travducian* futuram adfirmauerim; nullis non efficaciorum medicationibus; id quod paucis expediamus.

## §. VII.

Solent, neque id ſine ratione, quum de vini potu præcipiunt medici, non tantum ad modum reſpicere, ſed diuerſitatem quoque temperamentorum designare, hoc eſt, aliam menſuram *Cholericis*, aliam *Sanguineis*, aliam denique *Melancholicis*, præſcribere. Arque hoc eſt, quod in primis circa Sempronienſe vinum, potores obſeruare neceſſe eſt. Scilicet, *Cholericis* parcius; largius *Sanguineis*; omnium autem largiſſime bibendum eſt *Melancholicis*. Dixi parcius *Cholericis*, atque in promptu cauſa eſt: quia enim ex ſe ſanguis eorum, *oleoſo-ſulphureis* particulis abundat, camino illi adfundent oleum, ſi vinum, iisdem luxurians principiis, ſine modo hauſerint; hoc eſt, accelerabunt ſibi omnem illam morborum cateruam, qui ex bileoſo nimium, et præter modum concitato ſanguine, originem trahunt. Quo periculo, quia ob dilutum atque tenuem ſanguinem carent homines *Sanguinei*, largius illis quidem *Sanguineis.* permitti poteſt vinum noſtras, haud tamen ſine moderatione, ne humores, quorum conſeruationem iuuare debebat, peſſundet, atque commotionibus et ſanguinis congeſtionibus, motibus item *ſpaſticis*, huic generi familiaribus, reddat obnoxios. quod ſi autem iuſta acceſſerit temperatio, proſecto illi mihi et robore corporis valebunt, et forma. Sin vero *Plethorici* ſint, liberaliorem vini huius uſum, eo vitabunt ſtudioſius, quo maius inde ac certius diſcrimen valetudini ſubnaſci poteſt. Sed *Melancholicis*, *Melancholicis.* ſicuti compactione ſunt corporis ſtructura, ſanguinem adhæc habent terreis particulis impeditum; ita non peccauerint, ſi liberalius ſubinde, numquam tamen ad ebrietatem, vino Sempronienſi, uſi fuerint: quippe quod non modo craſſo ſanguini adtenuando ſeruit; ſed motum quoque eius, cum *intestinum*, tum *progreſſiuum*, egregie adiuuat. Definire autem non audeo, mero ne? an diluto potius uti oporteat: optime, crediderim, regulam ſibi iſtis præſcripſerint, ſi accuratius adtenderint, hoc ne? an illo potus genere, magis ad ſanitatem proſecerint. Certe, ſi *malo hypochondriaco* ſint obnoxii, ſuaſerim omnino, ut pocula ſua numquam non diluant, ne *ſpirituoſiore* potu, ſpiſſum ſanguinem, et ad permeanda vaſa ineptum, importune commoueant, adeoque malum, quo laborant, exaſperent. Contra, ſi iidem

Melancholici, tristes sint, aut plane delirantes, ideoque infomnes ducant noctes, merum, sed ad iustam mensuram, optime biberint. Quia enim in tristitia, *tonus* corporis strictus est, et sanguis, circa interiora, multo magis stagnat, quam in *malo hypochondriaco* simplici, vinum nostras, *sulphureoso principio* turgescens, motum sanguinis actuosiorefficit, ad exteriora propellit, æqualemque ei *circulationem*, conciliat. qua re fit, ut mens ipsa, explicatior euadat hilariorque, et in somnum propior. Documento esse poterunt, mores melancholicorum, qui si liberalius se vino inuitauerunt, in læticiam soluuntur, etiam immodicam; sed posteaquam exhalauerunt crapulam, non minus terici sunt ac tristes, quam antea. Porro, de *Phlegmaticis* quid dicere debeam, vix reperio. quia enim natura in abdomen sunt proni, nihil minus ferre poterunt, quam monitiones, quæ de iusta cibi ac potus mensura, præcipiunt. Si tamen legem sibi paterentur scribi, hoc est, ut pro indole quidem sua largius, sed non extra modum, vino vterentur, neque cibus nimis stomachum obruerent, næ illi mihi ad emendandum temperamenti sui vitium, multum proficerent. Obseruatum est enim, vini generosioris, quale Sempronien- se est, moderato vsu, phlegmaticos, sanguineorum euasisse quam simillimos. Sed porcum forte lauamus, rediturum mox ad cœnum. De ætate, qua potissimum vinum istud sit bibendum, superuacuum est quarere, apud nostros in primis, vbi ad vbera matris, vinum bibere addiscunt infantes; quod demum adolescentibus annis potant; hauriunt, gurgitis instar, virilibus: ut parum omnino, non dicam apud Sempronien- ses, sed in vniuersa Hungaria nostra, qua vini ferax est, profesturus fuisset PLATO, h) lege illa, quæ calentibus ingeniis vinum subtrahebat, pueris autem penitus negebat, vetabatque ignem igne incitari. *Cauendum*, inquit, *ne pueri ante decimum octauum annum prorsus vinum gustent, quoniam in ignem non est ignis deducendus; ab hoc tempore, usque ad annum tricesimum, modice illis concedendum, sic tamen, ut eo tempore iuuentutis, a nimio potu vini sibi temperent; vbi autem quadragesimum annum exceßerint, et senibus initiati, liberalius bibant.* Egregie ista quidem a Platone præcipiebantur, sed non omnium siue institutis, siue valetudini, congruenter. Illud certum est, Sempronien- se vinum, si eo modice vtaris, iuuentam vegetare, fovere virilem ætatem, senectutem denique sustentare. Hinc est, ut agricola Sempronien- sis, labore vineatico iam tum annis iuuenilibus, pane fractus, vitam nihilominus, in seram vsque senectutem producat vegetam robustamque.

Phle-  
gmaticis.

qua æta-  
te bibe-  
dum?

## §. VIII.

Medica  
vini  
Sempro-  
nien-  
sis  
efficacia.

Longum foret, morbos omnes, percensere, quibus siue mitigandis, siue depellendis, vinum Sempronien- se commodum est atque efficax. Occupauit hanc materiam Cl. IOHANNES PETRVS KOMAROMY, o) eo fortassis iusto liberalior, quod, quidquid generatim de vsu vini medico præcipi consuevit, vino id Sempro- nien- si tribuere nihil addubitarit: laudabili quidem diligentia, sed an congruente cum *praxi*, quam vocant, *clinica*, non est meum disputare. Id potius, viros excellentissimos, qui apud Sempronien- ses, cum laude, medicinam faciunt, quam possum, humanissime rogo, ut certiora obseruare velint communicareque nobis- scum, vbi id opportunum fuerit. Iuuabit interim, saltem nomina, eorum mor- borum heic adscribere, quibus medelam vino isthoc adferri posse putat Cl. KO- MAROMYVS. Refert autem ad vini Sempronien- sis *vsu internu vniuersalem*: Febres, Pestem, Atrophiam, Cachexiam, Icterus et Scorbutum: ad *particula- rem* vero: Capitis dolores, Apoplexiam, Epilepsiam, Palpitationem ac Tremo- rem cordis, Syncopen, Phthisin, Asthma, Anorexian, Apepsian, Nauseam, Vomi- tum, Iliacam passionem, Diarrhoeam, Dissenteriam, Lienteriam, Hydropem Asciten, Suppressiones hæmorrhagiarum, in primis mensium, nimium eorum flu- xum, Dolores Articulorum, Chiragram, Ischiadicum dolorem, Gonagram, Lumbaginem, Podagram, et Rheumatismum. Atque in his quidem morbis, *inter-*

Morbo-  
rum ad-  
uersus  
quos va-  
leat, in-  
dex.

n) Vide SENECAM de Ira, Lib. II. c. XX.

o) In laudata dissertatione Cap. III.

De Vini Sempronien- sis vsu et Abusu.  
§. II. seq.

num vini uſum, ſed medicum tamen modicumque, commendat: quibus addunt alii: Hemicraniam, Ophthalmiam, Auditus grauitatem, Catarrhum, Pleuritidem, Flatulentiam, Colicam, Vermes. Extus uero adhiberi ſuadet iterum Komaromyus: in inflammatoriis tumoribus, Vulneribus, Ulceribus, Morbo Gallico, Scorbuto, Scabie, Apoplexia, Paralyſi, Lipothymia, Conuulſionibus epilepticis, Colica, Cardialgia ſpasmodyca, Procidentia ani et uteri. Iſti fere ſunt morbi, quibus medelam ſpondeat uinum Sempronienſe. Nos iam finem commentationi noſtræ imponamus, precati Deum O. M. ut urbem iuxta et agrum Sempronienſium, bonis omnibus, indulgentiſſime, et ſine ceſſatione, cumulare uelit.

Tractationis  
epilogus.

*Interea pax arua colat. Pax candida iunctim,*

*Ducat araturos ſub iuga curua boues.*

*Pax alat et uites, et ſuccos exprimat uua,*

*Funderet ut nato, teſta paterna merum.*

*Pace bidens, vomerque uigent, at triſtia duri*

*Militis in tenebris occupet arma ſitus. i)*

## CAPVT XII.

# De MATERIA MEDICA, quam gignit Hungaria, ſiue, HISTORIA SIMPLICIUM Hungariæ.

### Synopſis.

**N**Equè illud uifum eſt ſine obſeruatione transmittere, quod Hungaria noſtra, MATERIAM MEDICAM ſuppeditat, non facile ubique obuiam. Caput ergo hoc, ex more, medicorum filiis conſueto, in tres Classes diſpartimur, quæ illi totidem Regna uocant. *Primum* eſt REGNUM MINERALIUM, ubi, quicquid de uisceribus terræ eruitur, et medicinæ parandæ aptum eſt., recenſebimus, nempe, *Mineralia, Metalla, Terras medicatas, et Foffilia* alia. *Secundum* REGNUM VEGETABILIUM, ubi de iis, quæ ex terra naſcuntur, agemus, puta: de *ſeminibus, radicibus, fungis, herbis, floribus, arboribusque*, et eorum *fructibus, ſuccis et reſinis*, et ſic porro. *Tertium* denique REGNUM ANIMALE, quod varia *animalia, aues, piſces, uermes*, reliqua, complectetur. Totam adornandi capitis huius curam, *Medicis, amicis noſtris, permiffimus, ſpecimen, huius quoque moliminis exhibituri.*



Ccc

I. HISTO.

## I.

## HISTORIA NATRAGVLYAE.

## Synopsis.

Quis plantam hanc, patrio nomine, detexerit? Lipsensium eruditorum ex Wagenfeilio, relatio. §. I.

Auctoris *παρασις* et coniectatio. §. II.

Reygeri observatio de Natragulya: cum narratione Wagenfeilii confertur: est Solanum Maniacum. §. III.

Natragulya, deprauatum Mandragoræ nomen. §. IV.

Quibus locis germinet Natragulya? quomodo nobis obseruata? §. V.

Eius icon et descriptio vberior: §. VI.

Natragulyæ figura eadem, qua Solani Maniaci: plebis ioci: diuersa Natragulyæ efficacia! eius rei causa. §. VII.

Auctoris coniectatio, de Natragulyæ, apud podagricum illum, efficacia: eadem cum Tarantula morsu confertur. §. VIII.

Reygeri cautela circa Natragulyæ Usus: iuxta et auctoris monitio: plebis medicationes, et fabella. §. IX.

## §. I.

Quis plantam hanc, patrio nomine, detexerit? Lipsensium eruditorum ex Wagenfeilio, relatio.

**P**rimus plantam hanc orbi erudito, patrio hoc nomine insignitam, IOH. CHRISTOPHORVS WAGENSEIL, Academiae Noricorum *Doctore*, detexit, in Epistola, de *Hydraspide sua*, ad Petrum Valkenierum, quam is anno 1690. edidit, quamque eruditi Lipsenses, anno 1691. mense Ianuario recensuerunt. Ita vero illi, cum ea, quæ in itinere Hungarico obseruauit WAGENSEILIVS, persequuntur, de Natragulya nostra: Refert porro, Wagenfeilium volunt, in itinere per Hungariam, dono se accepisse, a viro quodam, antiquæ virtutis fideique, Natragulyam radicem, in solo monte Carpathico prouenientem, presentissimum nouumque aduersus immedicabiles, ut hæctenus creditum, Podagræ dolores, remedium, et cuius ipse, qui dederat, non sine numine, compos factus fuerat. Nimirum, certis nuntiis ad ipsum esse perlatum, Sarmatiæ quendam accolam, omnibus membris ita extortum ac agrum iacuisse, ut ne in lebetulo quidem, nisi ab aliis, moueretur: hunc adhibuisse istam medicinam, (quod fiat, epotando lac, in quo probe contusa radix ad dimidias percocta sit) atque tum in soporem prolapsam per vniuersas XLVIII. horas iacuisse, ut caudicem et stipitem, nec alio indicio, præterquam solo anhelitu, viuere se declarasse: cum vero denique euigilasset, non credidisse, se eundem esse, omnis nempe agrimonie se expertem: hinc e strato surgentem, stupentibus amicis et necessariis, quid de se factum sit, narraße, paratoque conuiuio, cum in cæna se inuitasset plusculum, in multam noctem saltasse ac tripudiasse. Existimat vero noster, cruciatuum impotentem, intendisse medicamentum, ultra prescriptum, et parcius illo vsuros, aque bene, utique citra lethargum, paullo tamen tardius conualescere posse.

## §. II.

Auctoris *παρασις*, et coniectatio.

Ista ex WAGENSEILII epistola Lipsienses, quorum verbis uti nos oportuit, cum non sit libellus auctoris, ad manus. Ceterum, præclare de Natragulya nostra, omnia, si lethargum excipias, cum is facile cum morte permutari possit, si naturæ vires ei ferendo, uti sunt plerumque podagricis, haud sufficiant. Illud dolendum, quod non retulerit in litteras nomen viri illius, antiquæ virtutis fideique, a quo Natragulyam acceperat Wagenfeilius; ita enim procliuus fuisset, historiæ illius, quam recensuit, veritatem, quin et plura eius rei exempla, indagare. Equidem, si in re dubia coniectandum sit, ita existimo, CAROLVM REYGERVM Sen. M. D. et Præficum apud Posonienses nostros, celeberrimum, eundemque Acad. Nat. Curios. collegam solertissimum fuisse, a quo Natragulyæ illa radice, donatus fuit peregrinator WAGENSEILIVS. Præterquam enim, quod diutius eo itinere Posonii diuersabatur, vir celeberrimus; certe REYGERO nostro vsus est familiarissime. Accedit, fuisse reuera opimum




**NATRAGVLYA**


sive

**BELLA DONNA**

- a. Radice crassa unciis 6½.
- b. Pars radice, longa pedem unum crassa unciis 3.
- c. Alter radice ramus longus pedem et ½. crassus unciis 2½.
- d. Tertius radice ramus ½ pedem longus, unciis 2. crassus.
- e. Truncus dexter altus pedes 4. unciis 2½ crassitie infra (1) unciis 1½, supra (2) unciis 1½.

- f. Truncus sinister altus pedes 4. crassitie infra (3) unciis 1½ supra (4) unciam unam.
- g. Truncus medius decussus.
- h. Rami e trunco procedentes sine foliis, longi unciis 9.
- i. Ramorum virgulta foliis floribus, ac postea bacis vestita, longa pedes 2.
- k. Folia et flores.
- l. Folia sine floribus.





Optimum virum REYGERVM, et sicuti accessionum artis medicæ studiosissimum, ita doctorum virorum longe amantissimum.

## §. III.

Auger coniectationis nostræ verosimilitudinem, ipsius REYGERI obseruatio, quam is de *Natragulya* Ephemeridibus medico-physicis, \*) curauit inserendam. Dabimus eius verba, vt *Wagensfeiliana* historię, lucis nonnihil adfundatur. Ita vero REYGERVS, posteaquam de remediorum *Antipodagricorum*, sicuti copia, ita imbecillitate quoque edisseruisset: Forte, inquit, inaudiens Apothecarius Comaromiensis, virum quendam in hac ciuitate, mihi amicissimum, et maxime honorandum, podagricis torqueri doloribus, scriptis ad eum litteris, inclusit portionem cuiusdam radicis exsiccata, quam cauponi ibidem locorum, valde podagrigo, peregrinus quidam, apud ipsum diuertens, dedit, et *Natragulya*, Hungarico idiomate, appellauit. Hanc in lacte coxit, et ebibit caupo, mox profundissime obdormiuit ad 48. horas, expergefactus, liber ab omnibus doloribus euasit, id quod in pluribus aliis cum successu tentatum. Hactenus REYGERVS. Equidem historiam, si non eandem, saltem adfinem illi crediderim, quam supra ex *Wagensfeilio* adculimus. Nempe audiuerat *Wagensfeilius* quod supra coniecimus, ex REYGERO nostro, de *Natragulya* stupenda efficacitate, atque id forte inter sermones familiares, qui apud nos inter vini pocula institui plerumque solent. Rem, ergo ille, quam audierat, non dememinit quidem, sed περιγύσιον oblitus, pro Comaromino, Sarmatię oram, quemadmodum fit, substituit. Sed hæc hactenus. Pergit laudatus REYGERVS: Communicato mecum hoc remedii genere, a multis rescire non potui, quid sit *Natragulya*, licet radix et denominatio, multis fuerit nota. Tandem in lexico Hungarico-Latino, inueni, ita vocari *Mandragoram*. Miratus, hic loci, in primis in montibus Carpathicis, inde enim quam maxime adferri nonnulli adferebant, sponte crescere *Mandragoram*. Totus in eo fui, vt recentem possem habere radicem. Acquisiui binas, e duobus diuersis locis, studiose terrę commisi, incunte vere. Progerminarunt amba; altera species erat quedam *Lapathi acuti*, ex altera *Strychnus*, seu *Solanum Maniacum*, Italis *Bella Donna*, effloruit. Non dubitavi amplius illam fuisse radicem siccam, in primis, cum teste *Taberna Montano*, herba hæc, *Mandragora Theophrasti* vocetur, ipsiusque radix a nonnullis, pro radice *Mandragora* diuendatur, cumque habeat vim soporiferam, robusto illi viro, profuisse.

Reygeri de Natragulya obseruatio,

Cum narratione Wagensfeilii conferatur:

est Solanum Maniacum.

## §. IV.

Hæc sunt, quæ de *Natragulya* nostra memorię prodita leguntur. Nunc ea, quæ obseruauimus ipsi, promamus. Et ad nomen quidem plantæ, quod adinet, deprauatum id omnino est ex vocabulo *Mandragorę*, more Hungaris familiari, vt ex *M. Labiali* N. faciant, atque R. *Caninum*, in L. conuertant: quo quidem modo ex *Mandragora* ipsis *Nandragola* et inde sermonis lapsu, *Natragulya*, factum est. Recte vero censuit celeberrimus REYGERVS, cum *Mandragoram* *Theophrasti* esse credit. Enimvero Botanicos, ac in his \*\*) CAROLVM CLVSIVM, consulenti, obuium fit, maxime, si *Natragulya* nostræ figura, cum *Solano* eius lethali, accuratius conferatur, idem plantæ genus esse. Ille vero de *Solano* *Lethali* sic habet: *Solani* porro genus illud, quod *Lethale* vocant, et *Theophrasti* *Mandragoras* esse, a quibusdam, non inepte forte, censetur; apud vulgus *Italorum* *Bella Donna* nomen obtinuit: apud *Germanos* *Dollvvurtz* et *Dollkraut*; apud *Belgas*, *Groate Naskape*, et *Dulle besien*. Multis *Pannonia* et *Austria* siluosis montibus sponte prouenit: nusquam vero frequentius videre memini, quam in silua illa *Zollonok*, Illustriss. Dn. de *Bottyán*, urbi vicina, tumulo quodam, qui ab urbe circiter milliare *Germanicum* abest.

Natragulya deprauatum Mandragorę nomen:

\*) Anno MDCXCIV. Decurię III. Anno secundo, obl. XXIII. pag. 31. De

*Natragulya* Antipodagrigo remedio. \*\*) Lib. V. c. 4. p. 86.

## §. V.

Quibus  
locis ger-  
minet  
Natra-  
gulya?

quomodo  
nobis ob-  
servata?

Discas hinc, non modo quid sit *Natragulya* nostra, sed et quibus locis eius natales sint quærenda. Nimirum in Pannonia, creberrimum eius prouentum scribit CLVSIVS, atque id quidem siluosis in montibus. Idem obseruauit adfinis meus, ANDREAS HERRMANNVS, *Med. Doct.* et cum hæc scribo *Inclyti Comitatus Neograd. Physicus Ord.* qui et ipse *Natragulyam* hanc, anno 1721. mense Maio, cum *Illustissimo Domino Iohanne Adamo Forgách de Gyms, Comitatus Neogradiensis Supr. Comite*, ad venandum profectus, in nemorosis montibus, lixæ cuiusdam indicio, reperit. Ut fallatur adeo celeberr. WAGENSEILIVS, qui solo in monte Carpathi, eam prouenire scribit. Est enim frequens eius prouentus, in vtraque Hungaria, superiore et inferiore, sed a paucis admodum hucusque obseruatus; quin et HERRMANNVS meus, casu potius, quam studio, vti fieri adsolet, in eam incidit. Lepida est historia, et facetiarum plena, quam is mihi, ea de re, præfens apud me, recensuit. Exiuerat nempe *Illustriß. Comes FORGÁCH* venatum in siluas, quas arx *Gácsensis* a Septentrione et Occidente, præfensas habet, cum lixarum nonnemo, de *Natragulya* sollicite inspicit, atque repertam, rhedario imprudenti, miscet, propinatque. Is vero portione sumta, obdormit, et breui magno æstu corripitur, atque delirare primum, mox insanire occipit. Res mira et inusitata visa fuit omnibus, hominem validum sanumque, subito in insaniam prolapsum. Vocatur in auxilium medicus, sed sicuti causas morbi non reperit, ita dubius animi, medicamine æstum temperante, propinato, hominem tantisper obseruat, dum, quorsum eruptura esset res, certis indicis possit perspicere. Lixa interim, facinoris conscientia impulsus, rem vti se habuit, medico narrat, bibisse nimirum hominem *Natragulyam*, quam ei miscuerit, sileret modo medicus, neque se apud herum deferret, daturum se esse operam, vt radicis huius participem eum faciat: spe silentii facta, homo is, prorumpente sudore, ad se rediit.

## §. VI.

Eius  
icon, et  
descri-  
ptio ube-  
rior.

Atque hæc demum occasio fuit, inquirendæ, eo maiori cura, *NATRAGVLYAE*, quam lixa idem D. HERRMANNO in siluis, arci *Gács*, confinibus, monstrauit, qui eam postea, pro diuersa ætate, crescentem, non minus quam efflorescentem, quin baccas etiam ferentem atque semina, sæpius adiit, et maximæ, quam inuenire potuit, hanc icona, quam tecum, Lector beneuole! communicamus, delineauit. Caulis et folia saturatum viridem colorem referunt. Flos recens rutilat, exsiccatu luteus fit, in apice tamen purpureum quadantenus colorem, retinet. Flore defluente, baccæ remanent, initio quidem virides, postea coloris purpurei, quem et resiccata retinent. His semen inclusum est, quod recens coloris est brunni, figura semen *hyosciami* referens, exsiccatum autem coloris euadit saturatiore. Radix spongiosa est, recens, coloris albi, et non secus, quam *Radix Cichorei*, cortice prædita, cuius interior pars, quæ medullam radicis cingit, rutilat: exsiccata plus parte dimidia de crassitie amittit; sed et medullæ cortex, colorem illum rutilantem, in subluteum mutat interiore radicis parte, alba manante. Tam recens, quam exsiccata radix, quin et semen odorem papaueraceum, opio consimilem, spargit. Semen autem siccum, et contusum quodammodo, copiosum graueolens oleum præbet, non secus ac semen *hyosciami*.

## §. VII.

Natra-  
gulya  
figura,  
eadem,  
quæ Sola-  
ni mani-  
aci:

Eandem vero esse *Natragulyam* hanc nostram, cum *CLVSII Solano Lethali*, aut potius *Maniaco*, vtriusque curam inuicem contendenti, obuium est atque manifestum. Mihi præter ea, quæ iam adtulimus, plura de *Natragulya* sciscitanti, relatum est, creberrimum eius prouentum et in montibus *Bikk*, qui sunt in *Comitatu Borfodiensi*, vt et in siluis *Bakony*, obseruari, atque plebeios homines, vbi deludere sui similes

similes volunt, clam eis \*) *Natragulyam* propinare, qua cum primis in vini epota, alii quidem in furorem agantur, et obuia quæque inuadant, alii in saltum et lasciuiam effusi, palantes discurrant; alii denique tristes euadant et somnolenti, neque seu furere, seu lasciuire, desinant prius, quam frigidam biberint. Tunc enim ad se redire aiunt, vix eorum memores, quæ a mentis potestate deieci, patrauerunt. Hanc ego efficacitatis diuersitatem a *temperamentorum*, quæ vocant, diuersitate, provenire existimo: Nempe, *Cholerici*, uti sunt natura in iram proclives, aguntur in furorem: *Sanguinei*, ad lasciuendum atque saltandum proni, effunduntur in læticiam: *Melancholici* denique et *Phlegmatici* soluuntur in soporem, quippe ad tarditatem et somnolentiam a natura facti. Sed unde quæso illa frigida vis atque efficacia, ut et furorem cohibere, et lasciuiam sistere possit, si ab his potetur, qui *Natragulyam* biberunt? Crediderim quod feruidiorem sanguinis motum, cum *intestinum* illum, tum *progressuum*, a *Natragulya* inductum, refrigeret, quo facto, haud quidem mirum est, ad se redire homines, sanguinis circulo, atque motibus naturæ ceteris, ad consuetum moderamen, redeuntibus.

Plebis  
ioci: di-  
uersa  
Natra-  
gulyæ effi-  
cacia.

eius rei  
causæ.

### §. VIII.

Subit animum haud vana suspicio, annon Sarmatiæ ille accola, quem potu *NATRAGVLYAE* a podagræ doloribus penitus liberatum ait *WAGENSEILIUS*, non tam, quod se parato conuiuio in cœna inuitauisset plusculum, quam quod *Natragulyam* bibisset, in multam noctem saltauerit ac tripudiauert. Enim vero per somnum 48. horarum vi *Natragulya* soporifera exhalata, cum expergefactus, vino se exhilarasset, poterant recrudescere vires *Natragulyæ*, imis venis adhuc hærescentes, atque hominem, credo *sanguineo-cholicum*, quales plerumque esse aduertat podagræ obnoxios, in saltus atque tripudia egisse; non secus, quam morsus *Tarantula* adfolet, qui primum quidem, ubi se virus bestiolæ venis penitus insinuauit, exanimes pene relinquit, quos fauciauerat, postea vero, ubi symphoniarum concentus audiunt, ingenio *Tarantula*, quæ morsum infixit, congruos, anhelare primum ex imo pectore, mox attollere membra, caput postea, atque corpus vniuersum erigere occipiunt, dum e strato, furibundis similes, prosiliant, atque in saltus effundantur, non cessaturi prius, quam toto corpore sudor liberalius eruperit, virusque adeo, venis conceptum, vna eduxerit: tunc enim et salubritatem pristinam recipiunt, et finem faciunt saltus ac tripudii. Næ ista mihi podagræ medicatio, solo potu *Natragulyæ* procurata, si tuta omni ex parte esset, expeditaque, inter eas suo iure deberet referri, quæ non a medicorum filiis, sed a deliciarum magistris, poterunt expectari. Ecquid enim hominibus, perpetuis podagræ cruciatibus fere enectis, accidere possit exoptatius, quam intra somniandum, infausto hospite exonerari, postea vero inter saltus ac tripudia, ei penitus valedicere. Sed vix se medicatio ista probabit omnibus, dum longior experientia tutam eam, et omni vacuam periculo, docuerit.

Auctoris  
coniecta-  
tio, de  
Natra-  
gulyæ apud  
podagri-  
cum  
illum,  
efficacia.

eadem  
cum Ta-  
rantulæ  
morsu,  
confer-  
tur.

### §. IX.

Atque hoc est, quod *Celeb. REYGERVS* eo loco, quem supra indicauimus, monet: Sed, inquit, tentet alius, qui velit, me sane terret obs. XI. quam habet *Excell. Dominus D. Faber in Strychnomania sua p. 23. ubi tonsor quidam, cui cuidam Strobelbergensi, sparsis per vniuersum corpus doloribus, eum misere cruciantibus, laboranti, propinavit decoctum foliorum Strychni, unde omnium dolorum oblitus, lethali somno, diem suum clausit, finemque vita et morbo fecit. Ego sane nihil in podagricis doloribus horreo, quam medicamenta narcotica, utut a magnis viris laudentur. Et paullo post: Sane nihil agere*

Reygeri  
cautela  
circa  
Natra-  
gulyæ  
usum:

Ddd

in

\*) Plura, qui volet de *Natragulya* nostra, adeat *IOH. MATTH. FABRI Strychnomaniam* Augustæ Vindelic. 1677. 4to exulam; et *IOHANNEM BAPTIST. PORTA Magia Natural. Lib. XIV. c. 13.* qui et facetam, uti sibi placet, viam monstrat, qua possunt parastæ, mensis

nostris importunius imminentes, abigi. Sed in talibus iocus locum ita tuto non habet, monente *SENNERTO Pract. Lib. 2. Part. I. c. 24. qu. 3. p. 286. b. Confer Collect. Vratislavienses. Anno 1718. Mensis Augusto, p. 1467. et Mensis Decembri, p. 1971.*

*in hoc morbo, est optime agere.* Hactenus REYGERVS. Cuius narcotici effectus caussa \*\*) SACHSIVS, *Natragulyam* nostram, inter venena collocat; †) verba eius sunt: *In specie acetum adhibetur interne et externe.* 1.) *Interne: ad venena varia acetum est Alexipharmacum egregium. Curat haustum 1. Cicutæ venenum.* 2.) *Solani maioris, seu Belladonna, Gesner. l. I. Ep. 44. &c.* Quare nolim cuiquam auctor esse, ut *Natragulyam* bibat, podagræ valedicturus, cum fallacia plerumque, non vulgi modo, sed medicorum etiam experimenta esse consueverint, in primis vbi ancipites medicationum sunt euentus: hinc merito HERRMANNVS meus, nullum hucusque ausus est sumere experimentum, periculosum ex eius vsu metuens euentum, rusticis et empyricis sua relinquens; quamuis multorum sermonibus confirmatum sibi esse adseruit, rusticos, quibus nota est plantæ efficacitas, cum doloribus dispunguntur Arthriticis, quos illi Hungariæ *Köszvény*, Slauice *Hoftec*, appellant, subinde ad *Natragulyam* confugere, atque lacte decoctam, non modo sine noxa bibere, sed liberari etiam a doloribus, qui eos ad bibendum coegerant. Addendum id quoque est, vulgus plebis, persuasum sibi habere, quod, quales gestus is, qui radicem effodit, sub effossionis tempus, faciat, similes eundem, cui propinatur, exhibiturum, sub insania: sed cum idoneus experimenti auctor non adsit, merito id quidem in fabellis reponimus.

## II.

## NATIVVS SAL CATHARTICVS.

## Synopsis.

*Alterum, ex Regno Minerali, specimen, Natiuus Sal Catharticus: quomodo inuentus, et artis beneficio, præparatus. §. I.*  
*Accuratio eius Analysis: experimentum medicum. §. II.*  
*Idem in fodinis Schemnitziensibus, deprehensus: eius a priori illo, discrimen:*

*Vtriusque, curus, in medicina vsus. §. III.*  
*Salis nostri genesis subterranea: §. IV.*  
*Ea, fontium medicinalium et acidorum, origo, illustratur. §. V.*  
*Plura experimenta, circa eundem salem, instituta. §. VI.*  
*Peculiare phœnomenon, excussum. §. VII.*

## §. I.

*Alterum ex regno minerali, specimen, Natiuus Sal Catharticus.*

*quomodo inuentus?*

**F**uit hoc specimen, ex eorum genere, quod *Regnum*, ut vocant, *VEGETABILE*, suppeditauit: addimus alterum, ex *Regno minerali*, singulari, *HERRMANNI* nostri, industria, elaboratum, nempe: *NATIVVM SALEM CATHARTICVM*, in fodinis Hungariæ, nuper inuentum. Ex fontibus mineralibus, *euaporationis* beneficio, præparauisse eundem hucusque, gentes omnes, apud quas aliquis eius vsus exstitit, certum est exploratumque; alioquin ignaras, quomodo se is aquis admiscuerit: nos, primam eius *genesis*, in locis subterraneis, contemplamur. Mihi certe, cum ad fodinas, *cupri*, curiosius scrutandas, cuniculos, in *Valle Dominorum*, vulgo *Herrngrund*, subirem, singulari se is numinis beneficio, obtulit. Enimvero, cum singula, quæ se oculis ingerebant, et ad institutum meum pertinere videbantur, accuratius obseruo, en! offert se mihi, nec opinanti, *Vitriolum*, ex aqua concretum *homogœna*, et cuniculi parietibus adharens, colore partim *viridi*, partim *ceruleo*: deducor mox ad album quoque, quod instar tenerrimorum filamentorum, saxorum fragmentis, et lateribus, susque deque innexum erat. Exploro vitrioli huius saporem, et initio quidem gustatu dulce, postea amaricans, deprehendo. Subiit tunc animum *Salis Epsomensis* recordatio, quippe cuius sapor, *vitriolo* huic prorsus mihi videbatur consimilis. Quapropter, collecto, aliquot librarum, pondere, domum id defero, et in naturam eius, ignis beneficio, penitus inquirō. Facto, per *solutionem*, *deurationem*,

et

\*\*) In Ampelographia sua p. 535.

†) Sub Tit. *Vsus aceti Medicus*. Vide et laudati FABRI Strichinomaniam, vbi aceto *specificam* aduersus *Natragulya*

venenum, efficaciam tribuit, quemadmodum et *I. B. Porta*, loco supra citato.

et crystallisationem, experimento, salem ex utroque obtineo, *Epsomensi Cathartico*, forma et artificio et sapore, per omnia simillimum. *Solutio* ipsa rutilabat, et hinc rutilantem quoque beneficio dedit salem. Pendebam ergo animi, quid hoc rei esset? at vero, cum recordarer, *preparatus* salem quoque *Epsomensem*, non semper candidum, sed rutilantem quandoque, ex *Aromatopoliis* Viennensibus, ad nos missum fuisse, dimisi tantisper non necessariam sollicitudinem.

## §. II.

Sed antequam, *novus hic sal noster*, ad usus medicos transferretur, instituendam esse eius analysin existimabam. Facta ergo *precipitatione*, per *solutionem salis alcali*, terra albicans, fundum petebat, aqua vero falsedine liberata, lapis fuit, Germanis, *Spaat* dictus: at liquor residuus *evaporatus*, salem exhibuit medium, *Tartaro vitriolato*, geminum: Lapis vero *acido sulphureo-vitriolico solutus*, et in cristallos redactus, eundem salem medium formavit. Atque hoc mihi certissimo fuit argumento, salem hunc meum, eandem, quem *Epsomensis*, habiturum efficacitatem, cum et illud, eadem, in analysi, exhibeat phaenomena. Præterea *sal hic noster*, non secus ac *Epsomensis*, et *Glauberianus*, in fornace calida, in calcem albam fatiscebat, atque restituto fluido, incalescendo, iterum in salis formam, redibat. Ita omnibus, uti decuit, rite exploratis, propinatur tandem, bono cum Deo, ægrotis, dosi, qua *Anglicanum* exhibere moris est, *Catharsi* et *Diuresi*, non aliter, quam a *sale Epsomensi*, egregie subsequitis; ut iam in praxi nostra illius locum ex animi sententia suppleat.

## §. III.

His tamen haud contentus, porro indagandum esse rebar, annon reliquæ etiam patriæ nostræ fodinæ, salem eundem generarent. Cum itaque *Schemnitzium*, *Liberam*, *Regiam Montanamque* civitatem, digredior, fodinarum, et minerarum, huius quoque loci, inspiciendi causa, ut, si quid forte esset, quod institutum meum iuvare posset, in usus id meos, transferrem; occurrit, inter multa alia, in fodinarum maxima, *auf dem Windschacht*; eo cuniculo, qui a sanctissima Trinitate nomen habet, *Dreysaltigkeit-Stollen*, sal parietibus hærescens, et niuis instar, candidus, sapore itidem dulci et amaricante. Non quidem ignotus sal hic fuit, siue metallicis, siue ipsis etiam medicamentariis; sed hi cum *alumen plumosum*; illi salem esse credebant, ex nitroso pulveris pyrii fumo, quo saxa in fodinis dirumpi mos est, parietinis cuniculorum sensim adherentem. Sed non fuisse *alumen plumosum*, consistentia eius me mox docuit; multo minus salem ex fumo pulveris pyrii concretum; cum notum sit experimentum, ex pulveris pyrii deflagratione in *Retorta Tubulata*, aquam prepositam, ne hilum quidem salis suscipere. Postea vero eiusdem huius salis, *crudi* non minus, quam *depurati*, copiam insignem, apud *Pharmacopolam Schemnitzensem*, reperi, iam pridem collectam, sed in cuius genesin, naturam et usum noluerit, an nequiverit? indagare: ego vero eundem cum *Epsomensi*, et *nostro* recens inuento, esse ratus, libras aliquot *Neosolium* defero, atque analysi suscepta, et experimentis iisdem, quæ supra diximus, institutis, vnum eundemque esse deprehendo: hoc tantum intercedente discrimine; quod cum *sal natiuus Catharticus Vallis Dominorum*, *solutionem* et salem rutilantem; *Schemnitzensis* contra, *solutionem* et salem candidum exhibeat: et cum in illo, *acidum vitriolico-sulphureum*, pro basi habeat lapidem *Grünen-Spaat*; huic *basin* præbeat lapis *Weiser-Spaat*. Uterque Sal in furno *anemio*, per duas horas detentus, initio ebulliebat, postea vero *Sal Vallis Dominorum* in cinerem; *Schemnitzensis* in candidiorem pulverulentam consistentiam abiit. *Basin* itaque huic salis et consistentiam, lapidem *Spaat*, dedisse, ex allatis liquido constat; *acidum sulphureo-vitriolicum*, cum eodem in *Sal* concreuisse docet, partim *Tartarus Vitriolatus*, qui ex connubio *salis alcali*, lapidem *Salis Cathartici* deturbante, prodiit; partim genesin *sulphuris mineralis*, ex instantaneo hoc sale facta: siquidem cum *sale Tartari Philosophico*, ex æquali parte *Nitri* et *Tartari*, in fluxum deductus (per se enim vix fluit) additis carbonibus, *Alcali sulphuratum* prodiit; quod aqua solutum, et aceto *precipitatum*, lac *sulphuris*, *sublimatione* leni, in *flores sulphuris* abiens, adeoque *sulphur minerale*, arte productum, exhibuit.

*Veriusque rutilus, in medicina, usus.* Sed *sal Schemnitziensis*, ab *Epsomensi*, nihil omnino differt; *Vallis vero Dominorum*, solo colore *rutilante*, quo *genesin* suam ad *cupri fodinas* referri debere, condocet. Neque tamen *rutilus* ille color, *damni* quidpiam accelerat *ægrotis*, *fale isto* utentibus, eo quod *cuprum naturale* haud est. Certe post copiosorem *salis* huius dispensationem, *aduersum* nondum est, *nauseam* cuiquam excitatam, multo minus vomitum fuisse *prouocatum*, qui tamen *cupri esse* consueuerunt effectus. Si cui *nihilominus rutilus* ille color suspectus sit, *leui is eum manipulatione* separabit, *secedente* *flauo puluere*, qui *colorem illum* induxerat, *fale interim* manente candido.

## §. IV.

*Salis nostri generis subterranea:*

Atque hæ sunt *salis nostri Cathartici natiui* partes *constitutivæ*, quas sic indagauisse, *operæ* duximus esse pretium. Nunc, *subterraneum eius genesin*, vestigemus. Et hæc quidem, *acidi primigenii sulphureo vitriolici*, in *aëre hospitantis*, accessum requirit; cuius, in *aere*, præsentiam, *sal alcali*, *aeri per tempus expositum*, cui *acidum hoc sese insinuat*, et *sal medium* suppeditat, satis omnino demonstrat. Idem *acidum primigenio sulphureo vitriolicum*, cum *aere intra cuniculos*, specus, et *petrarum ac montium rimas*, delatum, *lapidem Spaat*, penetrat et corrodit, inque *falem istum* transformat. Hinc, in *iis locis*, ubi *liberior aeris commectio* deficit, nullum reperias; *copiosorem contra*, ubi *largior*, neque *interrupta aeris adest* circulatio. Istud maxime in *fodina*, vulgo *Richter-Grund*, quam *Generosus Michael Fischer, Vrburarius*, rei *metallicæ* longe peritissimus, a maioribus suis acceptam, et hac *temporum difficultate*, strenue excolit, *evidentissime obseruauit*. Enim vero in *illa fodinæ regione*, ubi ea a *Valle Dominorum*, determinatur, et quam vulgus, *die Marckstatt*, vocat, quod *liberior aeri pateat aditus*, (*da ein starker Wetter-Wechsel ist*) idem iste *sal*, *copiosior* reperitur; quem in *aliis fodinæ huius locis*, ubi *interclusus est aër*, frustra requisieris. Præter *liberiores aërem*, et hoc ad *genesin salis nostri* pertinet, ut *locus*, in quo eum nasci oportet, neque *humidus nimium*, sed neque *extra modum siccus*, verum *medio*, inter *utrumque*, sit temperamento. Sicuti enim *copiosiori humiditate* soluitur; sic *nimia siccitate*, inarescit, quin *fatiscit* profusus. Id vero *Auri fodinæ Botzenses* me docuerunt, in quibus *eundem hunc falem*, inueni quidem; sed *siccioribus locis*, *parciorem*, solum contra, *humidioribus*. Alioquin, *salis huius generatio* perpetua esse consueuit; *parietes quippe cuniculorum*, eo *liberati*, breui, rursus *eadem inuestiuntur*, ut adeo, de *eius inopia*, aut *defectu*, in tanto *fodinarum numero*, non sit, quod metuemus.

## §. V.

*Ea, fontium medicinalium et acidorum, origo, illustratur.*

*Genesis salis nostri*, sic excussa, viam nobis pandit, ad *fontium medicatorum, et acidularum*, genuinam originem, eo *facilius, feliciusque*, indagandam. Nimirum, *Natiuus hic sal Catharticus*, eo modo, quem nunc explicuimus, in *rimis et meatibus subterraneis*, sed *aëri tamen quomodocunque patulis*, depositus, per *aquarum venas*, quæ eos *interfluunt*, solutus, et ad *fontium scaturigines* delatus, *aquas constituit medicinales aut acidas*: exemplo *fontium Epsomensium, Egrani, Pyromontensis, et Sedlitzensium*. Quia vero *acidum hoc primigenium sulphureo-vitriolicum*, pro *diuersitate terrarum*, quas permeat, in *diuersa salia*, accedente *phlogisto*, seu *sulphureo principio*, in *sulphur concrefcit*, et *specificatur*; pronum inde est, cum *salium, et sulphuris mineralis, genesin subterraneam*, tum *diuersitatem quoque, et originem fontium medicatorum* indagare. Nec dubito, quin inter *tot acidulas, et fontes medicatos*, quibus *luxuriat Hungaria*, sollicitiore examine instituto, multi inueniantur, *eundem falem Catharticum e montium cauernis, euehentes*: ad quorum quidem *examen, cum cura instituendum*, eo magis hortamur *ciues nostros, naturæ curiosos*, quo turpius est, *munificam parentem naturam, qualem in Hungaria nostra experimur, inconsultam, negligere*.

## §. VI.

Sed ne illud quidem tacendum est, falem nostrum *Catharticum*, niui additum, non secus ac *falem mirabilem Glauberianum*, falem item communem, *nitrum*, et *falem armeniacum*, frigus augere. Præterea, tamen in præcluso aëris accessu, cum carbonibus, vel alio inflammabili mistus, spargat odorem sulphureum, nulum tamen *Pyrophorum*, aëris accessu incandescentem, præbet: id quod de *Glauberiano* notat Cl. GOHLIVS \*) Repræsentavit nihilominus, ignis fatui actiones, exardescendo in summitate orificii vasis, quales *pyrophorus*, sub præparatione, solet exhibere. Lapis præterea, qui falis huius basin constituit, ex *crudi falis solutione*, accedente *fale Alkali*, quod *acidum sulphureo-vitriolicum* arripit, præcipitatus, et in *nouo acido sulphureo-vitriolico* solutus, eundem rursus suppeditat falem, e *Schemnitzienfi* quidem candidum, ex *Vallis Dominorum* autem, *rutilantem*. *Spiritu nitri* solutus, et ad siccitatem abstractus, e *Schemnitzienfi*, falem album, sapore dulcem, ex *Vallis Dominorum*, *rubicundum dulcemque*, exhibuit, qui nouo et copiosiore affuso *Nitri spiritu*, facta abstractione, in coccineum rubicundissimum, purpurei coloris falem, abiit: ipse vero *spiritus Nitri*, non prout solet, *rutilante colore*; sed *albarum nebulæ forma*, alembicum transcendit. Idem hic fal, libero aëri, per aliquot dies expositus, humiditate adtracta, colorem, quem nunc diximus, amisit, eundem tamen, humiditate semota, recuperavit: calidus adhæc, ceræ instar tractari potest, frigore iterum indurefcens.

Plura  
experi-  
menta,  
circa  
eundem  
falem in-  
stituta.

## §. VII.

Anxium, quod fateor, distinebat animum, origo coloris huius *rubicundissimi*, *Peculiaris* is ex *Spiritu Nitri*, vel *cupro* (quod tamen *viridem* vel *ceruleum* in *menstruis colore* solet præferre) prodierit? donec institutis experimentis, *solutionis vitrioli* *venerei natiui*, facta per *sal Alkali*, *præcipitatione*, ex *magmate præcipitato*, et in *spiritu Nitri* soluto, *rubicundam*, eamque *solutioni Martis* respondentem *solutionem*, obtinui. Igitur, sumsi inde argumentum, colorem *falis* huius *rubicundum*, partim *constitutiuis cupri* partibus, partim *spiritui Nitri*, cuius sulphurea pars, colorem hunc auxerat, inque coccineum exaltauerat, in acceptis ferri debere. *Cuprum* enim cum *acido sulphureo vitriolico* in *Vitriolum* concrefcens, accedente *solutione falis Alkali*, dirimitur, ita, vt acido illo terram in cuprum specificante, in falem *transumpto*, reliquæ eius partes *constitutiua*, secedant. Ista, *speciminis loco*, sufficiant.



Eee

CA-

\*) In Actis Medic. Berolinensibus, sub tit. *Sulphur minerale, arte produ-*

*ctum, ex aere ignem conspiciens.*  
p. 85.

## CAPVT XIII.

## De Re Rustica Hungariæ.

*Synopsis.*

**C**laudimus, historiam, patriæ nostræ, naturalem, prolixiore commentatione, de RE RVSTICA HVNGARIAE. Præmittimus non pauca, quæ de vitæ hoc genere, ex scriptoribus cum antiquis, tum recentioribus, puta de eius antiquitate, innocentia, necessitate, vtilitate, iuxta et iucunditate, dici poterunt. Tum occupationes vitæ rusticæ, quales sunt in Hungaria, enarramus, quod vt fieri queat, in tanta laborum et multitudine, et varietate, expeditius, partimur eas in *necessarias, vtilis, et iucundas*? Ad NECESSARIAS referimus, *Agriculturam, Rem pecuariam, et Aviariam domesticam.* AGRICVLTVRA absoluitur: aratione prima; et semente verna; stercoratione agrorum; foenifecio; aratione secunda; messe, semente autumnali; denique trituratione. Huc et agrestis hortorum cultura pertinet. Erit hic locus agendi de satis Hungariæ, seu de tritico, siligine, hordeo, auena, leguminibus item varii generis. Vbi et de ritu tritुरandi, equorum beneficio. Ad REM PECVARIAM pertinet, cura ARMENTORVM, cum domesticorum, tum campestrium: *Equorum; Ouium; et Caprarum;* denique et *Porcorum.* Erit hic dicendi locus, de Boum Hungaricorum præstantia; equorum pernitate; casei Hungarici, Lyptouiensis, et Brisnensis in primis, bonitate; porcorum Bakonyensium, et Matrensiū, magnitudine. AVIARIA DOMESTICA, curæ habet, aues indicas, gallinas, anseres, anates, columbas. In VTILIVM censu ponimus: Apum curam; Piscinas arte factas; Pomaria; et quæ humana industria reperit, non tam vt essent sustentandæ vitæ necessaria, quam quæstus faciundi causa. His subiungimus occupationes IVCVNDAS, quæ circa Viridaria, viuaria, auaria, aucupium, venationem, et id genus alia, versantur.



## EPIMETRA.

## I.

## De Re Vestiaria Hungarorum.

**N**on lingua tantum, sed amictus etiam ratione, discreti sunt a gentibus Europæ reliquis, Hungari. Disquirimus de eorum vestibus, antiquis non minus, quam recentioribus, et quæ siue commoda habeant, siue incommoda, expromimus. Quod ut eo fieri queat expeditius, sexus utriusque et ordinum omnium icones, quam scitissime æri incisas, dabimus: cuius opellæ specimen, *Nobilis hic, Adolescens Hungarus*, exhibebit.



Nempe, huic accommodes licet, quod SIDONIVS a) de Francis cecinit :

*Strictius assuta vestes procera coercent  
Membra virum : patet illis alto tegmine poples,  
Latus et angustum succingit balteus aluum.*

Atque de cultu Gothico :

*Applicat a leua surgentem balteus ensem.*

Alioquin, haud immerito queri possis, de curto isthoc vestis genere, quemadmodum b) SENECA de Romanorum sui temporis luxu: *Vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est.* Sed de his suo loco prolixius.

## II.

### De Populis Hungariae eorumque Moribus.

**E**Rat Hungaria, inde a priscis temporibus, gentium quasi quoddam diuersorium. Idem hodie quoque aduertat. Praeter HUNGAROS enim, *Germani, Slaui, Croata, Rasciani, Rutheni, Valachi, Graci, Iudei*, eam passim incolunt. In moribus singularum gentium describendis, id dabimus operam, vt neque quod nimium, sed nec quod parum est, dicamus.

a) Carmine V.

b) Epist. XC. p. m. 204.

